BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 M
15 — G
28

5
III
)

INSINVATIONVM DIVINAE PIETATIS

LIB. V.

Totius Chriſtianæ & ſpiritualis perfectionis ſummam complectentes, ab optimis quibuſque deſiderati iamdiu, & commendati,
atque

Tandem poſt annos propemodum trecentos (quibus penè latuerunt) diligenter recogniti, & denuò in lucem editi,
opera

D. Tilmanni Bredenbachij, S. Th. Doct. Eccl. D. Gereon. Colon. Canonici.

COLONIAE,
Apud Ludouicum Alectorium, & hæredes Iacobi Soteris.
Anno
M. D. LXXIX.

Bibliothecæ Domus Romanæ Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

NOBILI, CLARISSIMO, DOCTISSIMOQVE VIRO D. ERASMO

Vendio, Sereniſs. & Illuſtriſs. Bauariæ Ducis D. Alberti Conſiliario &c. Domino & amico ſuo colendiſs. Tilmannus *Bredenbachius.*

S. D.

FRequenter equidem non ſine ſumma animi mei voluptate mecum recolere, apud alios cõmemorare cõconſueui, clariſſime, doctiſſimeq; Vendi, virtutes illas, quas dũ Ingolſtadij ſtudijs Theologicis vacarem, in te, tuique ſimilibus, pietatis ac literarũ patronis, exactè conſpexi, diligenter obſeruaui, & religiosè ſemper veneratus ſum. Animaduerti enim ſereniſſimum Optimumq; Principem veſtrum, vti literarum & catholicæ religionis obſeruantiſſimum & amantiſſimum, ità viros ſibi ſimilimos, ad aulam & cõſilio ſuo accerſere, quibuſcum omnes ſuas confert rationes, qua potiſsimùm via, in ampliſsimis ſuis ditionibus, bonæ literæ

floreant, virtutes germinent, auita & Catholica religio, ſanctæ vitę, & Christianæ conuerſationis fructus vberrimos producat. Hunc in finem nullis parcit impēdijs, nullos refugit ſumptus in adſciſcendis & fouendis hominibus doctis, in alendis bonæ ſpei clientibus, in inſtaurandis pientiſſimorum doctiſsimorumque virorum Collegijs. Vnde etiam cōſequitur, vt iam nunc Illuſtriſsimus Princeps optimæ ſanctiſsimæque ſementis, vberrimam, lętiſsimamq; capiat meſſem, & velut in hortis Alcinoi μῆλα ἐπὶ μήλοις floreſcere conſpiciat: floꝛrentiſsimas & immarceſsibiles coronas adeptur⁹, vbi cōſummatò huius vitæ curriculo, aſſumptus fuerit, in ſempiternos illos cæleſtium delitiarum hortos, ab illo qui eſt flos campi & lilium conuallium, qui dixit ad Abrahamum: Ego merces tua magna nimis. Legimus dixiſſe Chryſoſtomum: Ego tametſi Romam aliūdè laudare queā, nempe à magnificētia & antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à potentatu, à diuitijs, & à rebus in bello fortiter geſtis, ſed relictis iſtis omnibus, ob id illam beatā prædico, quòd erga illos Paulus dum viueret, adeò fuit beneuolus, adeò illos amauit, coram diſſeruit, & poſtremò vitā apud ipſos finiuit. Vnde & ciuitas iſta hinc facta eſt in-

Serm. 32. in Epiſt. ad Roman.

inſignis, pluſquàm à reliquis omnibus. Pari modo etſi multis nominib9 ampliſsimas mereatur laudes Sereniſs. Princeps veſter, totaque Illuſtiſsima domus Bauarica, nulla tamē illuſtrior gloria, nulla ſolidior laus, quàm quòd peſſundatam penè & profligatam, ex tot olim florentiſſimis Principatibus & Regnis, religionem Catholicā conſtantiſſimè retineant, fortiſſimè tueantur, religioſiſſimè obſeruent, ſanctiſſimeq; reuerentur. Qualem roſam Chriſto mittet Roma, exclamat ibidem Chryſoſt. quibus coronis ornatur vrbs iſta? Propterea celebro hanc vrbem, non propter columnas, neque propter aliam phantaſiam, ſed propter columnas illas Eccleſiæ. In quas verò laudes, in quæ encomia, aurei iſtius oris tui flumen profunderes o ſacratiſſime Chryſoſtome, ſi auitam illam fidem, quam in Romanis vnà tecum tantoperè prædicauit, ille tibi tam familiaris Apoſtolus, ſi, inquam, hanc fidem, teterrimarum hæreſum caligine in finitimis locis penè abductam & ſquallētem, in hoc ampliſſimo Principatu felicem, florentem, fulgentemque conſpiceres? Et cùm proh dolor paſſim terra germinet ſpinas, & tribulos, errorum & hæreſum zizania, quot, quantas, & quales roſas Chriſto mittet feliciſſima hæc prouincia,
 quæ

quæ ſub optimis religioſiſſimisque Principibus tota optimis literis excolitur, ſolidis virtutibus floret, auita pietate viret, vera religione fructificat? Vbi non vna vel altera, ſed tot inſignes Catholicæ Eccleſiæ columnæ vulpium demolitionibus luxatam Dei domum fulcire conſpiciuntur? Permultum igitur religio Catholica debet Sereniſs. Principibus veſtris, quorum illuſtri ſtudio, & pluſquam heroica virtute, ac beneficentia, tanta patriæ noſtræ contingit felicitas. Multum viciſſim ijdem Principes debent Deo Opt. Max. qui tam generoſum illis indidit animum, vt quod de Onia laudatiſſimo Hieroſolymorum Pontifice legitur, quòd propter illius diſpoſitionem & pietatem, ſancta Ciuitas habitabatur in omni pace, leges quoque optimè cuſtodiebantur: idem de hiſce Opt. Principibus meritò per totum terrarum orbem, immortalibus doctorum hominum monumentis ſempiternis præmijs celebretur. Sed neque parùm debetur tibi doctiſſime ſpectatiſſimeque Vendi, tuique ſimilibus viris lectiſſimis, quibus & aula Bauarica, totaque Prouincia paſsìm velut latè coruſcantibus aſtris rutilat, quos dum iſtic agerem, vidi & expertus ſum ſacras literas

2.Mach.3.

ras

ras, earumque ſectatores omni gratia, fa-
uore & patrocinio fouere & prouehere.
Nam vt de cæteris eandem beneficenti-
am expertis ſileam, memini, quàm beni-
gno fauore parentis mei Matthiæ breden-
bachij piæ memor. ſtudia & lucubratio-
nes proſequutus ſis, quam honorificam
eius memoriam habueris, quęque & quan-
ta illi in Bauaria præſtita fuiſſent, ſi eò
commigrare ſuſtinuiſſet. Quod ſanè mihi
propter arctiſſimam cum illo coniunctio-
nem non potuit non ſummam adferre vo-
luptatem. Quoidcircò cùm & coram ſum-
mam mihi licet immerenti præſtiteris hu-
manitatem, & abſentem doctiſſimis literis
ſemper inuiſeris, totus in eam cogitatio-
nem incumbere cœpi, vt ſi non exc llen-
tem & eximium, aliquem tamen meæ er-
ga te obſeruantiæ & gratitudinis arrhabo-
nem haberes. Et optabam quidem eo la-
bore cumprimis tibi gratificari, quem li-
teris tuis aliquando à me efflagitaſti. Ve-
rùm quia tam confusè & variè de rebus
illis paſsim dictitabatur, vt & illi, qui e-
ditis libris hiſtoriam contexere cona-
ti ſunt, nihil abſolutum edere potue-
rint, idcircò ſuperſedendum exiſtimaui.
Nunc verò, cùm à translatione libro-
rum aliquandiù vacauerim, & noſter

antagoniſta Iac. Schmidlinus in ranam Seriphiam transformatus, ſilentio ſuo ferias nobis præbeat, ſi quid ab aſſiduo miniſterio Eccleſiaſtico ſupereſt temporis, libenter inſumo colligendis & legendis libris eiuſmodi, qui amoris noſtri affectum erga Deum quàm maximè inflammant. Scopus enim omnium ſtudiorum & laborum noſtrorum præcipuus eſſe debet, amor

In Manual. cap. 4. Dei. Perdit quod viuit, inquit D. Auguſtinus, qui Deum non diligit. Vnde idem

Epiſt. 52. ad Macedonium ſcribens, ait: In hac vita virtus non eſt, niſi diligere quod diligendum eſt. Id diligere prudentia eſt: nullis inde auerti moleſtijs, fortitudo eſt: nullis illecebris, temperantia eſt: nulla ſuperbia, iuſtitia eſt. Quid autem eligamus, quod præcipuè diligamus, niſi quo nihil melius inuenimus? Hoc Deus eſt, cui, ſi diligendo aliquid vel preponimus vel æquamus, nos ipſos diligere neſcimus. Tanto enim melius nobis eſt, quanto magis in illum imus, quo nihil eſt melius. Imus autem non ambulando, ſed amando. Quem tanto habebimus præſentiorem, quanto eundem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem. Ad eum ergo, qui vbique præſens eſt, & vbique totus, non pedibus ire licet, ſed moribus.

ribus. Mores autem noſtri non ex eo, quod quiſque nouit, ſed eo, quod quiſque diligit, dijudicari ſolent, nec faciunt bonos mores, niſi boni vel mali amores. Cui pulchrè conſonat illud D. Bernardi: O felix amor, ex quo oritur ſtrenuitas morum, puritas affectionum, ſublimitas intellectuum, deſideriorum ſanctitas, operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, præmiorum ſublimitas. *Bern. in lib. de dilig. Deū.*
Huius amoris ignem vt in terris accenderet, omnipotens ſermo Dei à regalibus ſedibus deſcendere dignatus eſt. Ex huius ignis fornace prodierunt illæ amoris ſcintillæ, quas paſsim operibus ſuis aſpergit flagrantiſſimus ille Dei amator D. Auguſtinus: Anima, inquit, quæ te, o Deus, non quærit nec diligit, mundum diligit, peccatis ſeruit, & vitijs ſubiecta eſt, nunquam quieta, nunquam ſecura. Famuletur tibi ſemper mens mea pijſſime, ſuſpiret tibi ſemper peregrinatio mea, ardeat in amore tui cor meum, requieſcat in te Deus meus anima mea, contempletur te in mentis exceſſu, cantet laudes tuas in iubilatione, & hæc ſit in hoc exilio conſolatio mei, & cæt. *In Manual. cap. 4.* Porrò quemadmodum iuxtà dictum Dionyſij Areopagitæ, inter diuina opera, ma-

ximè diuinum eſt, cooperari Deo in reducendis animabus: ità verò Dei amatori nihil æquè conuenit, quàm conari vt quàmplurimi, ad verum Dei amorem perducantur. Hoc enim eſt, quod ſuperiori loco adiungit Diuus Augu-
Epiſt.52.ad Macedon. ſtinus: Ad illum ergò (Dei amorem) quanta opera poſſumus, etiam illi vt perueniant agemus, quos tanquàm noſmetipſos diligimus, ſi noſmetipſos diligere illum diligendo nouimus. Quocircà cùm poſt frequentem inquiſitionem tandèm Antvuerpiæ adeptus eſſem exemplar, Inſinuationum diuinæ pietatis, & ex lectione deprænhenderem, opus ipſum titulo ſuo feliciſſimè reſpondere, ſimulque ex familiaribus doctorum, piorumque virorum colloquijs intelligerem, illud à multis vehementer commendari, ſummopereque deſiderari, exhibui Ludouico Alectorio Typographo, de pietate & religione Chriſtiana benè merito, meum exemplar, quod iam aliquoties perlegeram, marginalibuſque Scholijs, in meum duntaxat vſum, illuſtraueram. Qui, cùm paucis diebus in eo verſatus eſſet, vnicè petijt, vt totum opus ad incudem reuocarem, ſcholijſque illuſtrare pergerem, ſe propediem

pre-

prælo ſuo commiſſurum. Quod equidem eo feci propenſiùs, quòd non diffiderem huius operis lectione, quamplurimos ad amorem Dei inuitari & inflammari poſſe, ad quem, iuxtà Illud D. Auguſtini, quanta opera poſſumus, agemus, vt etiam illi perueniant, quos tanquàm noſmetipſos diligere iubemur. Quid alijs euenturum ſit, ignoro: illud autem ingenuè agnoſco, me poſt vtriuſque Teſtamenti volumina, raros inueniſſe libros, qui me tantoperè affecerint, tam ſuauiter refecerint, tam luculenter erudierint, tam ardenter erga Deum & proximum inflammarint. Vnde & factum, quòd doctiſſimus & pientiſſimus Abbas Ludouicus Bloſius, mihi olim familiariter notus, duodecies in anno libros hoſce æſtuantiſſimo affectu euoluerit, ſicut ex intimi cuiuſdam eius amici relatione cognoui, & ex lectione librorum illius euidentiſſimè patet, in quibus nulla ferè eſt pagina, in qua non aliquid verborum, ſententiarum, aut ſpiritus hauſiſſe videatur ex hiſce libris. Idem liquet in operibus Venerandi Patris D. Iohannis Lanſpergij, & in Libello, qui inſcribitur, Hortulus deuotionis, alijſque id genus diuinũ amorem ſpirantibus opuſculis. Epiſt. 52.

 Po-

Porrò quanto cum fructu pius lector in
His libris verſari queat, diligenter in ſequē-
ti prefatione explicuit idem. Ioannes Lanſ-
pergius. Mirabilem enim doctrinam mel-
lifluaſque & planè diuinas conſolationes
in omni aduerſitate quilibet candidus
Lector, cuiuſcunque etiam ſtatus & con-
ditionis fuerit, hinc haurire poterit, quod
ipſum etiam Christus Dominus huic di-
lectæ ſuæ ſponſæ amanter promiſit, & fide-
lib. 3 cap. 64. liter preſtitit. Quoniam, inquit, ponere te
diſpoſui in lucem gentium, id eſt, multorū
illuminationem, oportet vt in libro tuo di-
uerſi diuerſa ſibi competentia remedia in-
ueniant ad eruditionem & conſolationem
ſui. Latet ſanè in illis manna quoddam ab-
ſconditum ſummæ ſed ſecretiſsimę dulce-
dinis, quod guſtare & agnoſcere facilimum
fuerit illis, qui à terrenis affectibus aliquā-
tulum expeditiores, caſto animo in his li-
bris verſari voluerint. Hos enim vt veriſsi-
me ſcribit Lanſpergius admirabili quadam
metamorphoſi tranſmutat, afficit & rapit
in Deum. Nam in ſecundo potiſsimum &
quarto huius Operis libro, plæraque con-
tinentur que palato vanitatibus huius ſe-
culi non omnino infecto aut corupto gu-
ſtum quendam prebeant cæleſtium ineffa-
biliumque delitiarum & ſpecimem quod-
dam

dam veluti per tranſennam exhibeant fulgoris illius & gloriæ qua.fideliſsimus opulentiſsimusque piorum laborum agonothetes Deus, Sanctos ſuos remuneratur in cælis. Neque vero mirum cuique videbitur. Deum opt max.diuinæ mellifluæque ſuæ pietatis exuberantia, in hac mundi ſenecta, quorundam animis liberalius inſinuare, eamque pijs diuinarum rerum ſcrutatoribus luculentius oſtendere. Etſi enim nunquam non ſummè bonus ſit & beneficus, aliam tamen atque aliam doctrinæ lucem omnibus ſeculis patefacit, vt verè ſcribit Tertullianus, vt eadem fide manente, in cognitione veritatis, ſicut & in reliquis virtutibus paulatim proficiamus. Et D. Gregorius in Ezechielem ſcribens ait, quod Deus de die in diem maiore homines cognitione illuſtrare, ſecreta ſua illis amplius reuelare dignetur & per incremẽta temporum creuiſſe ſcientiam ſpiritualium Patrum, huc refert ſententiam Danielis de vltimo tempore vaticinantis. Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia. Ait præterea plus Moiſes quàm Abraham, plus Prophetæ quã Moiſes plus Apoſtoli quam Prophetę, in omnipotentis. Dei ſcientia eruditi ſunt. Sicut & Dauid de ſeipſo teſtatur. Super omnes docentes me &

In lib. de veland. virgin.

Lib. 2. in Eze hom. 16.

Den. 12.

Pſal. 118.

ſuper ſenes intellexi, & addit rationē, quia mandata tua quæſiui. Beati enim mundo corde, quoniā ipſi Deum videbunt. Nec vanū eſt, quod alicubi ſcribit pientiſſimus ille Thomas Kempenſis: Quanto quis in ſeipſo fuerit humilior & Deo ſubiectior, tanto in omnibus erit ſapientior & paratior. Hanc ſapientiam cùm & alia quædam ſanctiſſima virgo vberiùs à ſponſo ſuo Chriſto Domino hauſiſſet, mirabilique dignatione Chriſtus ſeſe eidem frequentiſſimè inſinuaret, vidit in ſpiritu D. Petrum Apoſtolum vehementer admirantem, quòd Dominus maieſtatis tanta dignatione ſe animæ inclinaret. Cui Dominus reſpondit: Quid miraris Petre? Neſcis quòd primi & vltimi filij chariſſimi ſunt? Vos diſcipuli primogeniti mei fuiſtis, quibus omnem beneuolentiam exhibui, & omne quod voluiſtis ſecundum deſideria veſtra in me habuiſtis. Sed neq; ſexus authoris pium lectorem quicquam remorabitur, cùm multa & magna beneficia benigniſſimus Deus per hunc ſexum præſtiterit humano generi. Et ſi iucundiſſimam glorioſiſsimamq; reſurrectionem ſuam per mulieres voluit annunciari diſcipulis ſuis & Petro, quid mirum, ſi & poſtremis hiſce temporibus dignetur per caſtiſſimam virginem pietatis ſuæ exuberan-

Lib. 1. cap. 4. de imitatione Chriſti.

Mechtil. lib. 2. ſpiritual. gratiæ, c. 21.

beran-

berantiam vberiùs inſinuare ſeculo? Accipe igitur doctiſsime clariſsimeque Vendi, hos Inſinuationum diuinæ pietatis libros, à ſancta virgine Gertrudæ ante annos penè trecentos partim cõſcriptos, partim à conſodali eius exceptos, & antè annos quadraginta per Iohannem Lanſpergium Carthuſianum, virum doctrina & pietate venerabilem quidem, ſed diſtractis iamdiù omnibus exemplaribus, noſtro qualicunq; ſtudio in piorũ gratiam denuò recognitum, aptiori forma, venuſtioribusque Typis euulgatum & illuſtratum. Quo in labore etiam adiutus ſum collatione exemplaris cuiuſdam Germanici manuſcripti, cuius copiam Illuſtris D. Abbatiſſa apud D. Ceciliam nobis præſtitit. Magnam autem in ſpem erigor, hos libros tibi & gratos fore, & lectu iucundos, vbi ineffabilem diuinæ pietatis dulcedinem in iiſdem cœperis deguſtare. Confirmat hanc meam fiduciam quòd non ignorem, quantoperè ſacrorum librorum lectione delecteris, quamque gratum tibi ſit ſtudium eximij viri D. Philippi Dobbereiner Collegij Monacenſis Decani, qui nuper magna piorum omnium congratulatione religioſiſsimi viri D. Ludouici Granatæ libros complures, mirificum

pietatem, ſpirantes Germanico idiomate feliciter donauit. Optarem quidem illuſtriori aliquo argumento, meam erga te gratitudinē declarare, cæterùm quia multorum doctiſſimorum virorum ſermone cognoui, & ipſe deprehendi incomparabilem ſanctiſſimæ ac prorſus melliſluæ doctrinę theſaurum in his libris eſſe reconditum, idcircò nihil ambigo eoſdem etiam tibi (qui cum regio pſalte dicere noſti, bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti) ſuper aurum & topazion fore gratiores. Precor Deum Opt. Max. vt T. D. vnà cum Sereniſs. & Illuſtriſs. Principibus veſtris, Eccleſiæ Catholicæ tuendæ & ornandæ, ſacrorumque ſtudiorum commodis in prouehendis quàm diutiſſimè felicem, florentem, & incolumem conſeruet. Dat. Coloniæ Agrippinæ 17. Decemb. Anno 1578.

Pſal. 118.

DE S.

DE S. GERTRVDE, EX D. LVDOVICO BLOSIO ABbate Lætienſi.

Lud. Bloſ. in monili ſpiritual.

V*Irgo Gertrudis ſiue Trutha, in ſuaui- uitate gratiæ* Dei *valdè amabilis, quinto ætatis ſuæ anno, in ſacræ religionis horto, velut candens liliū plantata, omnium virtutum ſplendore refulſit.* Hæc *in vno eodemq́; monaſterio, cum Mechtilde Deo ſeruiuit. Quæ quidem Gertrudis miro pollens ingenio, breui tempore multum pro*[illegible]*uit in cognitione linguæ* Latinæ *: ſed præcipuum ſtudium eius fuit, ſectari cordis humilitatem & munditiam,* Deoq́; *per ardentem charitatem coniungi* Ipſa *in lumine veritatis agnoſcebat ſe omnibus* Dei *donis indignam, ſe inquam reputabat tantummodo canalem quendam eſſe, per quem* Deus *dona ſua ad electos ſuos fluere vellet. Quoſcunque homines videbat, ſibi præponebat :* Et *eos quibus dona* Dei *communicabat, credebat ſola cogitatione & innocentia, ſeu conuerſatione inculpata plus mereri, quàm ipſa omnibus exercitijs & laboribus ſuis potuiſſet.* Aliquando *iter faciens, præ nimia ſui abiectione dixit ad* Dominum *:* Ah *Domine mi, inter præcipua miracula, quæ facis, iſtud valdè eximium eſſe arbitror, quòd permittis, vt*

me

me viliſsimam peccatricem terra ferat. Ad quæ verba Dominus benignè reſpondit: Meritò terra ſe tibi calcandam præbet, quandoquidem omnis cælorum dignitas ineffabili deſiderio illam iucundiſsimam horam expectat, qua te excipiat & portet. Quandò ei veſtes, vel aliqua alia offerebãtur, vt ea ligeret quod vellet, nolebat eligere: ſed clauſis oculis manũ extendẽs, quicquid apprahẽdebat (etiãſi viliſsimũ eſſet) ſumma ſuſcipiebat gratitudine, quaſi Dominus illud ſuis proprijs manibus ei tradidiſſet. Securam ſemper ad Deum habebat cõfidentiam, alacremq́; ac fortem animũ, ac paternæ eius prouidentiæ (quam in omnibus attendebat) firmiſsimè innitebatur. Dominus præclara quinq; vulnerũ ſuorum ſtigmata cordi eius ſenſibiliter impreſsit: & tam amœnam habitationem ſibi in ea præparauit, tamq́; ſuauiter cor ſuum erga eam appoſuit, vt niſi homines ſcirent potentiam & bonitatem eiuſdem Domini eſſe in terminam, vix credere poſſent illum, tantam amicitiæ familiaritatem præcellentiſsimæ matri ſuæ demonſtraſſe in terru, quantam iſti demõſtrauit. Hinc ipſe Dominus Ieſus de ea adhuc viuẽte loquẽs cuidã ſanctæ perſonæ dixit: Quũ nemo hodiè viuat, qui per purã intentionẽ bonamq́; voluntatem & verã fidelitatem mihi vicinior atq; cõiunctior ſit, quàm illa, ego quoq; ad nullam animã in carne degentẽ, maiori fauore inclinor, quàm ad animã illius. Vnde & nuſquã conueniẽtius inuenire me potes, quàm in ſacramento altaris, ac deinde in-

de in-

de in corde & anima huius ſponſæ meæ. Rurſum *alteri cuidã ait* Dominus: *Ego totus ſum illius, & eam per amorẽ inſeparabiliter mihi vniui, ſicut argentum & aurũ per ignem in vnum metallum conflantur.* Et *iterum: Ipſa, inquit, eſt cunctis cæli ciuibus dulciſona harmonia, quã efficiunt omnes illæ ab ipſa tã æquanimiter perlatæ aduerſitates.* Mechtildi *quoq; pro ea oranti,* Dominus *dixit: Quicunq; verba eius ſuſceperint, monitisq; eius humiliter obedierint, non deuiabunt à ſalutis itinere, ſed tandem ad vitam æternam peruenient.* Et *ipſi* Gertrudi *ait: Quoniam ego te miſericorditer elegi, vt in te iucundè habitem, quicunque ſe tuis orationibus (piam fiduciam habens) commendauerit, per gratiam meã ſaluus erit.* Et *rurſum: Nullus eorum, qui verba tua cum humilitate audiunt, & ſecundum illa vitam ſuam pia intentione inſtituunt, vnquam perire poterit, ſed via tuta abſque errore veniet ad me.* Acceperat *etiam in promiſſis, à diuina & nunquam fallente veritate quòd ſicut in morte Chriſti virtus amoris nobiliſſima ſeparauit animam ipſius* Domini Ieſu *à corpore, ità in morte iſtius virginis diuinus amor deberet omnes vires eius conſumere.* Certior *itidem per diuinum promiſſum facta fuerat, quòd quiſque ante vel poſt obitum ipſius, conſiderans aut intelligens, quàm benignè & familiariter* Deus *ſe illi acclinauerit, deuotè fidelitérque in charitate laudaret* Dominum, *vel ei gratias ageret pro beneficijs eidem*

Ger-

Gertrudi collatis, non migraret ab hoc ſeculo, niſi prius Deus *alicuius ſpecialis familiaritatis delectationem in anima eius haberet. Igitur qui vult, poteſt hoc vel ſimili modo orare:* Dulciſsime Domine *Ieſu Chriſte, laudo te, & gratias ago tibi qua poſſum deuotione, pro omnibus beneficijs, quæ dilectæ ſponſæ tuæ Gertrudi virgini contuliſti, & oro te per illum amorem, quo tu eam ab æterno ad ſpecialem gratiam elegiſti, temporeq́; placito ſuauiter attraxiſti, ac familiariter tibi vniuiſti, & iucundè in anima eius habitaſti, curſumq́; vitæ eius beato fine conſummaſti, oro & obſecro te, vt mei miſerearis, & me tibi placentem reddas, atq; ad vitam æternam perducas, Amen.*

IVDI-

IVDICIVM EIVSDEM R. D. LVDOVICI BLOSII Abbatis Lætienſis, de hiſce libris.

In Monil. ſpirit.

Reuelationes ſanctæ Gertrudis ante et poſt obitũ ipſius fuerunt à doctiſſimis, illuſtriſsimisq; viris ſumma cum diligentia examinatæ: quorum vnus poſt accuratam illorum lectionem, ſcripſit ſententiam ſuam hoc modo: Ego, inquit, in veritate diuini luminis ſentio neminem, qui Dei ſpiritu ſit illuſtratus, poſſe calumniari & impugnare ea quæ in hoc libro habentur: nam catholica ſunt & ſancta. Ex quibus omnibus liquet, quàm longè adhuc à ſpiritu Dei ſint, qui prædictas diuinas reuelationes, tanquam ſomnia muliercularum reijciunt & irrident. Deus illis ignoſcat, & meritis atque interceſsionibus chariſsimarum ſponſarum ſuarum, quas ſpiritu ſuo abundè perfudit, lumineq; veritatis excellenter illuſtrauit, nos omnes poſt miſeram hanc vitam æternæ beatitudini coniungere dignetur, Amen.

INVEN-

INVENTVS EST QVI-
dam vetuſtus Codex in quodã Monaſterio prope Stiriam ſito, in quo hæc Præfatiuncula præmittitur reuelationibus S.Mechtildis & S.Gertrudis.

Binæ hæ beatæ virgines Mechtildis (cuius Pater diues Baro fuit dominij de Hackuborn) & Gertrudis, de quibus hic liber loquitur, in ætate iuuenili Deo & beatæ Matri ſuæ Mariæ in hoſtiam & oblationem viuam oblatæ ſunt in Monaſterio Helpede, quod medio miliari ab oppido Eiſlebio Comitatus Manſſeldenſis, dioceſis Halberſtaten. ſitum, & per eoſdem Comites Manſſeldenſes fundatum eſt. In quo cum alijs Deo ſacratis virginibus tam ad mirabilem, ſanctam & contemplatiuam vitam duxerunt, vt de tam copioſa Dei gratia illis infuſa, tota patria miraretur. Vnde quisquis hunc librum legerit, modo

ipſe

ipſe voluerit, magnam vitæ ſuæ emendationem inde trahere poterit, Deoque ſuam animam placentem facere. Porro Monaſterium iſtud quod lingua Saxonica Helpede dicitur, in quo Deus per electas ſuas ſepius mira operari dignatus eſt, ſuccedente tempore anno domini 1342. *in bello quod Duces Bruſuuicenſes cum Comitib⁹ Manſſelden. geſſerunt, permittente Deo miſere ſubuerſum & incineratum eſt. Et quanquam, aliqui ſacratas virgines tunc in eo repertas, in honore & corpore ſuo violare tentauerint, adeo tamen mirabiliter a Deo protectæ ſunt, vt nemo hoſtium (ſicut ipſimet poſtea confeſſi ſunt) eas quiuerit attingere. Et hac de cauſa ipſum Monaſterium per memoratos Comites in ſuburbium oppidi Eiſlebien. tranſlatum eſt, in quo multæ religioſæ virgines Deo deuote ſeruiunt.*

IOHAN-

IOHANNES LANS-PERGIVS CARTHVSIAE COLON. ALVMNVS, PIO
Lectori gratiam & pacem in Chriſto Ieſu.

NEmo miretur, quòd hiſce tẽporibus nos, quando paſsim ab omnibus ſacra ſcriptura (licet haud pari animo) quęritur, in lucem producimus librum diuinarum reuelationum. Quod certè genus eruditionis non debueramus ignoraſſe haud admodum gratum, ijs præſertim, qui mundano humanove ſpiritu tument, quique litera magis docti ſunt quàm ſpiritu. Adeo enim illis quæuis eiuſmodi ſunt frigida, atq; inſana videntur, vt non ſolùm ad ea nauſea quadam moueantur, verùm etiam huiuſcemodi libris vbi poſſunt, detrahunt: & quæcunque non intelligunt, carpunt: parum intereà conſiderantes, quòd totum ferè vetus teſtamentum reuelationes eſſe fateri cogantur. Vnde meritò reuelationis nomen nõ adeò nobis inſuetum, nec adeò (ſi non

(ſi non prorſus deſiperemus) deberet eſſe nouum, niſi in eorum maluerimus numero haberi, quibus Chriſtus patri confitetur ſecreta ſua abſcondita, vtpote ſapientibus & prudentibus ſeculi: quam paruulorum albo aſſcribi, quibus idem ea reuelaue rit. Vereor ſane perpaucos hodie eſſe paruulos huiuſmodi: ijs tamen quotquot adhuc ſunt, ſeruire geſtimus: & candelã quæ ſub modio vt verbis alludam euangelicis) hactenus latuit, ſuper menſam, vt omnibus qui in domo ſunt luceat, conſtituere. Veruntamen quia omnibus debemus, & quãtum in nobis eſt, nõ ædificari ex nobis optamus neminem: dicendũ primo, nihil hic ꝓduci à ſcriptura diuerſum, ſed ſcripturæ adeo conſentannea omnia, vt doctiſsimo cuique vbicunque hic legerit quippiam, mox occurrat in ſcriptura locus, quo id quod dicitur, fundatum ſit. Deinde ſciat nos ſcripturam ſacram omnimodis venerari: idque adeo, vt nulli alteri quamlibet vel vtili vel nobili, parem tribuamus authoritatem: fateri tamen, nihilo ſecius miſericordiã charitatemq; diuinã erga homines tã eſſe benignã, tamq; ꝓfuſam vt nulli nõ cõdeſcendat ſexui, ætati, cõplexioni, ingeniove, quo vnumquenque iuxta quod capere aut trahi poteſt, pro illius ſenſu, proque animo

eius illuſtret,alliciat,inuitetque.Atq;ideo non ſolum varios ſcriptorores eccleſiaſticos, verum etiam multiformem docendi modum , alia item & alia eruditionis genera, phraſim quoque ac dictionem mulriplicem in eccleſia conſtituit: idq; in vtroq; ſexu,quo nemini deeſſet, vel (vt ita dicã)iuxta ſuũ geniũ,vnde erudiri , vnde illuminari,vnde trahi,vnde ædificari poſſet.Quid igitur iã mirũ,ſi hominibus molliores cordis, vt qui beneficijs.blanditijs, aut amore trahuntur,magis q̃ præceptorũ auſteritate,id ꝙ in ſexu fœmineo Deo deuoto præcipuũ eſt,deus loquatur per reuelationes:atque ad ſuæ bonitatis agnitionẽ amoréq; & eos quibus loquitur,& eos qui loquutũ fuiſſe legunt, quandoquidẽ pariter habent corda mollia faciliterque illectiua,alliciat & trahat idque quod dixi, exuberantia beneficiorum, atque cõmonſtratione ſuæ dulcedinis ac bonitatis? Verum obijcient fortaſſe hic alij, ꝙ mulier fuerit, cui hæ reuelationes factæ ſint: fœmineum ſexum prorſus omnem aut ſpernentes, aut generatim habentes ſuſpectum quaſi quicquid egerit dixeritve virgo aut fœmina,q̃libet ſancta,fœmineum(hoc eſt,futile,molle,inſtabile)nihilque habens virile)id eſt, pfectum)eſſe neceſſe ſit. Aut quaſi in ſan-
ctis

ctis fœminis non conſtantior ſæpenumero animus ad virtutem ad martyrij agonē, ad tuendam caſtitatem, ad compaſsionem, ad deprecandum Dei irā, quā in viris multis inuentus ſit: quæ certe nō futilia aut imꝑfecta, ſed præſtantiora nonnunq̄ quam viri nobis virtutū reliquere exēpla Quare potius earum contemplatione nos viri cōfutemur oportet, atque vniuerſum propterea ſexum earum nobis cenſebimus venerandū, certe non inficior eūdem ſexum, id eſt, pias aliquot virgines aut mulieres Deo deuotas vbi ſibijpſis relictæ fuerant, nec ſingulari ope diuinitus adiutæ; nequaquā ſuſpicione caruiſſe: ꝙ vel gloriæ amor, qui fœminis potiſsime inſidiatur, vel ſuijpſius complacentia vana illis impoſuerit, quo aut crederēt quod prorſus erat humanum ſibi cœlitus contingere: aut gloria plauſuque hominum oblectatæ, fingerent iactarentq; de ſe, q̄ in veritate res erat, præſtantiora. Veruntamē quæcunq; fuerūt ſuntq; huiuſmodi, facile dep̄henduntur. Neq;.n. diu latere poteſt fictio, præſertim fœminea Siquidē vbicunq; ꝓfundiſsimæ humilitatis non fuerit fundamentum, cito quicquid ſuper illo fuerit ædificatum, non abſque ignominia ruit. At vbi ſyncera enituerit humilitas, vt in his ſolet inueniri, *Humilibus non facile obrepit falſa reuelatio.*

maximeque in omnibus neceſſaria eſt eſſe quæ Deo ſoli, puro, nudo caſtiſsimoq; (vt ſic dicã affectu inhæaent, in quocunq; etiã ſexu inueniantur, neq; decipiũtur, neq; decipere volunt. Nam etſi inſolitũ quid ſentiunt, recipiuntve à Deo, perturbantur animo, vehementerque addubitãt, quomodo ex Deo hoc eſſe poſsit, quod ſibi hæc contingent, vtpote infirmis vilibus, & ijs qui nihil ſunt. quos etiam Deus huiuſmodi nouerit. Quare ſingulari dono ſe reliquis preferri, aut pręalijs ſibi adeo quicq̃ fieri omnino abſurdũ putãt. Hoc enim modo & bẽnedicta præ omnibus virgo Maria, ad ſalutationem angeli turbata eſt, ſtupẽs pro virginei cordis ſui humilitate tantam ſibi offerri ſalutationem angeli turbata eſt, ſtupẽs pro virginei cordis ſui humilitate tantam ſibi offerri ſalutationis præeminentiam, cuius ſibi neque conſcia, vtpote humilis, neque digna videbatur. Atque ideo huiuſmodi fœminæ ſanctæ, niſi per virum ſanctum aliquem eruditum & expertum, cuius ſeſe iudicio ſubmiſerint, fuerint compulſæ: nõ audebunt huiuſmodi, licẽt diuinis vel reuelationibus, vel conſolationibus, vel (vt ita dicã) ſentimẽtis acquieſcere. Tantũ abeſt, vt vel alijs manifeſtare, vel inde gloriari audeãt. Accedit ꝙ vita innocẽtiſsima, animi

S. Virgo Maria.

animi ſimplicitas, humilitasq; de qua dixi mus: licet ipſe neſciát, eiuſmodi cómendét vt omnibus videatur iuxta ſpiritũ ſapienti bus, nihil eſſe mirũ, ꝑ ſingularibꝰ donis ſu is illas dignetur Deus. Certe qui eiuſmodi ſunt, ab inimici laqueis tutiores ſunt, ſiue viri ſint, ſiue mulieres, ſiue Græci, ſiue bar- bari: quandoquidẽ nõ eſt ꝑſonarum accep tor Deus, nec ſexũ à ſexu (quẽ vtrũque fe- cit) diſcernit, niſi ꝙ infirmiori plerumque vbi humilitas & deuotio id meretur, potio ra dat dona, vt cõfundat fortia, ſapienteſq; in ſuo ſenſu cõfutet, quo dona ſua ſibi (hoc eſt Deo) aſſcribẽda cognoſcãtur ſoli: quan- doquidẽ illiterati & ſimplices minus habẽt q̃ vt ea quę ſcripturæ ſacræ ad vnguẽ ſint cõſentanea, licet difficilia plerũque ſcribãt & ardua, effingere poſsint. Per quoſcũque igitur vult, loquitur Deus. Nec beatam id- circo dicimus aſinã Balaã, ꝙ per illã loquẽ- tem manifeſtare ſuã voluit voluntetẽ deus Felicem tamẽ dicimns hãc virginẽ, quę tã- ta ſanctimonia, puritate ſynceritateq; Deũ ſolũ, eiuſq; gloriã & beneplacitũ in omni- bus quæſiuit, vnde iã foret digna ꝑ q̃ ſecre ta ſua nobis reuelaret Deus daretur hic o- biter, quomodo veræ à falſis reuelationibꝰ diſcerni poſsint, occaſio differẽdi: niſi à ſa- pientioribus iã dudũ ante nos hoc ipſum

Act. 10.

1. Cor. 1.

Num. 22.

 ſapi-

ſapienter docteque ſatis explanatum foret Abſtinendum etiam erat ab inutili labore, quandoquidem hic nequaquam reuelationes ꝓponuntur eiuſmodi, quæ futura præſagiunt, aut quibus periculi aliquid ſubeſſe poſſet, ſi incaute ijs crederetur. Nihil. n. eſt hic obſcurũ, nihil hic mirabile aut dubioſum, nihil de futuris ꝓphetatur: ſed hoc ſolũ reuelatur, ꝙ nemini non eſt deſiderabile ac optatiſsimũ quanta pietate, quanta benignitate, quanta clementia, quãta denique cõpaſsione infirmitatibus noſtris (vbi bonã inuenerit voluntatẽ) ſe nobis accommodet attemperetque deus: id ꝙ facile ex omni vbique ꝓbari poteſt ſcriptura, vt ſaluet quoſcunq; bonæ (vt dixi) volũtatis homines: quãta itẽ erga ſingulares ſuos amicos, qui ſua deſideria abnegantes, ipſius ſolius beneplacitum quærunt prouidentia benigniſsima agat: eoſque ad ſalutaria ſemperq; meliora, atque tãdem ad optima prouehat. Hæc aſpernari, propterea quod per mulierem deo reuelante inſinuentur: nonne tumidi cordis, inſolentiſsimæque foret ſupbiæ? præſertim cũ per ſeipſum in ſcripturis ſanctis eadem (ꝙ dixi) Deus quoq; ipſe nobis reuelauerit: licet ꝓ temporum hominũque conditione, hic aliquanto lucidius vberiuſque eorundum explanatio fiãt. Atqui

pro-

pro deuoto fœmineo ſexu ſi nobis contendendũ eſſet, num putas lector, deforet nobis, vnde vel ex ſcripturis probari poſsit, quandoque vni aut regendæ aut erudiendæ genti fœminam prælatam: Debora nonne populum Iſrael, iudicauit? Nonne in Abela mulier ſapiens, & propterea ſolita populo reſponſa dare inter hoſtes & ciues arbitram ſeſe cõſtituens, ab excidio ſua ſapientia ciuitatem liberauit? Quid quod Ioſias pijſsimus rex, ad Oldam prophetidem vxorem Sellum filij Thecuæ pro interroganda Dei volũtate nũcios miſit? An Moyſi ſoror non fuit prophetes? An Eliſabeth Zachariæ vxorem non ſcribit Lucas ſpiritu ſancto repletam & prophetaſſe? Quid quod Anna vidua ab eodem inducitur magna vitæ præminentia, Chriſto nato occurriſſe, & prophetaſſe? Prætereo nunc fœminam, non ſolum fœminarum, ſed mortalium etiam cũctorum digniſsimam, virginem Mariam: quandoquidem indignum videtur, eam quæ omnes vt ſol ſtellas exuperat, reliquis comparari. Demum ſi fœmineus eſt ſexus contemnendus, propterea ſolũ quod ſexus illaudabilis ſit: iam non ſexus, ſed creator qui hunc ſic condidit, accuſaretur. Et tamen etiam eum qui condidit, non inuenimus aſpernatum fuiſſe: ſed miſericordem

fœmineo ſexui familiaremque ſæpe numero ſeſe exhibuiſſe. Quid enim eſt, ꝙ mulieri
Ioan,4. ad puteum Smaritanæ loquitur, manifeſtatque ſecreta ſua Chriſtus, niſi quod eligens fragilia & contemptibilia, contemnebat fortia? Cui enim phariſæorum aut ſcribarum ante tam manifeſte dixerat ſe Meſsiam, quomodo huic dixit, mulieri, Meſsias venit & is qui loquitur tecum, ipſe eſt? Itaque ſi ſexus eſt contemnendus, cur præterea Ieſus pijſsimꝰ reliquis quibuſdam mulieribus, potiſsimum autem Mariæ Magdalenæ, adeo ſe familiarem exhibuit? Profecto propter ſexum neque magis neque minus ſe familiarem exhibuit. Nullius eſt enim ſexus apud eum diſcretio. Sed quia in hoc ſexu amantiora, fideliora, molliora, puriora, ſuauioraque corda viris fortaſſe etiam apoſtolicis aliquando ante ferenda inuenit: ideo benigniorem, quod reor, ſe illis interdum exhibuit. Porro ſi iam ſub nouo teſtamento ac tempore gratiæ, ſanctarum vellem recenſere geſta fortia mulierum, tempus me deficeret. Neque enim mihi eſt animus mulierum hic laudes ſcribere, nec recenſere illuſtriores, ſed calumniam duntaxat hanc ab eis depellere, qua à quibuſdam generatim ſexus inuritur, vt quicquid actum dictumve ſit, quamlibet

ſanctum, ſi mulier fuerit, licet cœlitus inſtructa hoc dixerit, iam contemnendũ exibilandumque putent. Quare ſanctarum virginum prætereo triumphos, martyrij conſtantiam, inter pœnarum denique agones animum non certe fœmineum: hoc eſt vt ipſi volunt mollem aut timidum, ſed inuictiſsimum atque viris interdum conſtantiorem. Taceo quoque quod ſexus fœmineus multo eſt viris (generatim loquendo) deuotior, amorique & contemplationi aptior. Vnde fit etiam, quod nolim tamen ad cuiuſcunque reprehenſionem à me dictum accipi, vt viris alioqui doctiſsimis, qui ambulant in mirabilibus ſupra ſe, occupantes magis animum ſuum curioſis quæſtionib⁹ (pene dixeram ſuperſtitioſis) quam neceſſarijs, aut ſecretis, quæ ſcire non oportet, inueſtigandis, aut mundanis literis ediſcendis, non tanta ſe familiaritatis gratia manifeſtet Deus, quanta ad eorundem potius confutationem fœminis, illiteratiſque viris deo deuotis illabitur, ijs videlicet, qui ipſum ſolum puro ac ſimplici corde occupationibus animi alijs omnibus excluſis feruenter quærunt, nimirum oſtendere volens, ſe non indigere humanæ ſapientiæ verbis, nec ingenij profunditate humani quin potius per eadem ſæpenumero impe-

etiam ad manifeſtanda ſuarum operatio-
num iudiciorũque ſecreta. Mentior, ſi non
hodie quoque plures fœminæ virgineſque
Deo deuotæ, quæ in Dei timore iuxta ac
amore inter varia tẽtationum bella, atque
è diuerſo quoque inter conſolationum di-
uinarum varia genera conſenuerunt, inue-
niantur-quæ in ſpirituali via Dei, in ſecre-
tis ſcrupis ac nodis conſcientiarum diſcu-
tiendis reſoluendiſque (quatenus res atti-
net ea, quæ verſantur circa ſentimenta &
euentus occurrentes animabus contempla
tiuis, quas De⁹ ad ſe trahit: & quæ ſola expe-
rientia, non litera, diſcũtur) peritiores ſint,
magiſque idonea adhibeant conſilia ijs,
qui eandem ambulare viam percupiunt,
vtpote ſpiritu ſancto illuminatæ, & expe-
rientia doctæ, quam literati præſtanteſque
doctores inueniantur multi: quamuis eæ-
dem huiuſmodi deuotæ (quod congruum
eſt) nihilominus interea pro humilitate
virorum doctorum directioni ſemetipſas
ſubijciant. Nemo enim, maxime in via dei,
præſertim nouus viator, ſuijpſius debet eſ-
ſe rector ductor aut conſul. Atque ideo tan
ta huiuſmodi ſibi deuotas animas gratia
dignatur ſpiritusſanctus, quod cum adeo
iam ſint ſpiritu perfectæ in aliorum iudi-
cio, vt iam in via Dei tanquam magiſtræ
con-

conſulantur, in ſuis tamen a deò nihil ſunt oculis, vt nec minimum quid auderent inſolitum, abſque conſilio ſui patris ſpiritualis, aut viri boni (quem conſulendum dixerint) timentis Deum. Ex quarum interrogationibus, ex quarum humilitate illuminata, non parum (ſcio) proficiunt ſæpenumerò patres aut confeſſores earum bonæ voluntatis, dum vel illarum puritatem perſpicacitatemq; lympidiſsimam conſcientiarum aduertũt, aut dum ad dubia earum (licet non plenè intelligãt quod quæritur) ſpiritu ſancto pro humilitate interrogantiũ adiuti, reſpondere coguntur, in hoc planè multa laude digniores (vtpote viri bonæ voluntatis) timidis quibuſdam ſciolis aut literatis, qui ſi interrogentur, preſumentes de ſe, aut laudanda damnant, aut commendant vituperanda. hoc ſolo clari, quod ſexum infirmiorem, hoc eſt, quòd ſexus infirmioris deuotionem rident, nihilipendunt, & quandoque earum ſpiritum impediunt. Inde eſt, quòd quia ſacerdotes ſunt ipſi, & viri vtcunque graues, & (quod multum ad hoc hortatur) in hominũ opinióne magni, non permittunt flagrantia deſideria fœminei ſexus, aliorumve quorumcunq; deuotiſſimorum, conſolari confortariq; pro eorundem deſiderio, & iuxta tractũ ſpiritus,

ſacroſancta euchariſtia:ex qua ſæpenumero maximam videmus gratiam etiam in nouiter conuerſis,auxiliumque diuinum ac fortitudinem,ad ſæculi contemptũ, ad expugnanda vitia,ad diuini quoq; amoris radicationẽ, ſcaturire:ſed ipſi eſurictibus ijs animabus,confortationeque egentibus,cibum ſalutiferum interdicunt, ſtatuentes, poſt quindenam duntaxat (vt vocant) deuotis quibuſlibet,non ſacerdotibus, hunc præbendum:in hoc ſpirituiſancto haud dubium ſanctiſque huiuſmodi animabus,quę ſingulari modo ab eodem trahuntur, & legem & vim inferentes. Verũ hæc dicta ſint in eos,qui deuotum fœmineum ſexũ non alia ratione quàm propter ſexum vilipendunt,vel quod illiteratæ ſint,& decipi poſſint,aliaque id genus futilia. Certe ſi literaturam quæris,inuenies hic eam, & certe q̈ iuſte mireris in virgine. Neque enim mediocriter literata fuit,quod ex libris eius facile aduertes. Veruntamem quod in ea plꝰ efferendũ eſt, fuit illuminata magis quam docta,vtpote à rebus mundanis, ab inutilibus verbis, ab occupatione infructuoſa prorſus libera atque abſtracta. Vnde rebus diuinis totam ſe applicauit, in lege domini meditans die ac nocte, dominoque cantans & pſallens ore & ſpiritu. Nam zelo magno

De virgne Gertrude.

magno ſemper mouebatur, pro honore beneplacitoque Dei ſeruando atque augendo, item pro ſanctimonia & obſeruantia religionis. Et licet crebris ipſa à domino viſitaretur infirmitatibus, triſtitia tamen mœroreque affectis, deſolatis, tentatisque omnibus haud aliter ac mater pijſſima in latitudine charitatis ſe totam officioſiſsimam conſolatricem ſemper exhibuit. Singulari autē ad hæc gratia à domino prædita fuit, adeò vt nemo ſe illi humiliaret, ab eadem eruditionem poſtulans, aut eius ſeſe orationi commendans, aut beneficij, obſequij amorisve illi aliquod officium exhibens, quem non benedictione aliqua propterea redonaret Deus. Porrò quantum ad vitæ ſanctitatem attinet, fuit hęc virgo innocentiſſimæ puriſsimæq; vitæ, vtpotè obſeruatrix, cuſtosq; vigilantiſſima ſuæ conſcientiæ. Adeò etiam cunctis præſtabat virtutibus, adeò ſingulæ in ea certatim virtutes, animiq; dotes prominebāt, vt quid in ea potiſsimùm commendari deberet, neſcires. Si enim eius humilitatem cerneres, nihil illi ſimile putares: ſi charitatem, hanc diceres in ea maximam. Porrò ſi manſuetudinem & mititatē eius obſeruares, has reliquis crederes anteferēdas. Adeò enim ſingulę erāt in ea perfectę virtutes, vt quęuis putaretur

maxima. Deuotionis tamen gratia erat in ea ſingularis, qua afficiebatur ad Chriſtū, quod libri eius affatim teſtantur. Manifeſtant prætereà itidem nobiliſsima affectuoſiſsimaque eiuſdem exercitia, quæ pro ſui dignitate hic ſocianda duximus. Ibi enim perſpicuè videtur, quàm amoroſum ſpiritum, quàm feruidū, quàm conſtantē, quàm fiducia deniq; plenum habuerit ad Deum. Porrò in hac gratia deuotionis non aliter atq; cera molliſsima cor eius liquefactum ſoluebatur, quo inſpirationibus conſolationibusq; mirum in modum idonea reddebatur diuinis. Vnde eius libris ſingulare quoq; hoc ineſſe videtur, vt non ſolùm teſtentur illam fuiſſe deuotam, ſed lectoris etiam animum (modo pius fuerit) tranſmutent, afficiant, atq; in Deum trahant. Latet enim reuerà in eis, licèt ſub verborū humilitate, theſaurus incomparabilis, qui diuinę pietatis exuberantia offertur cunctis bonę volūtatis hominibus, multo locupletior quàm in pleriſq; deuotorū libris, quos hactenus vidimus. Hic enim pauperibus ſpiritu vtiliſsimè eſt conſultum, dum manifeſtatur, via ex infinitis meritorum domini diuitijs ſuam inopiā ditandi, pro ſuis peccatis ſatisfaciendi, neglecta recuperandi, modico labore grandia ſibi bona comparandi.

Exercitia hæc in gratiā lectorus ſingulatim ſunt excuſa.

Quid conferat lectio horum librorū.

parandi noſtra vilia nobilitandi, Chriſti merita licenter nobis vſurpandi, & per humanitatis eius opera, quæ nobis humiliter egit, diuinas illius promiſſiones aſſequendi. Hoc autem tunc fiet maximè, ſi Chriſti charitati, ſi eius puriſſimæ intentioni & actioni, quæcũq; agimus patimurve, vnierimus cum plena noſtri reſignatione, tradẽtes nos illi in gloriam ac beneplacitum eius. Quod vbi fecerimus, dabit ſe proculdubiò & omnia quæ habet, nobis Deus. O ſaluberrimum commercium. Quis enim meritò nõ ſtultiſſimus diceretur mercatorum, qui dare nollet modicum cupri pro grandi maſſa auri, aut ſilicem pro margaritis? Hęc autem ſpiritualis negociatio in hoc verſatur, quòd omnia quæ agis, quæue pateris, tam ſpiritualia quàm externa opera corpori neceſſaria, vnias operibus & paſsionibus ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Deinde etiam quæ ore loqueris aut animo meditaris, renouata ſæpiùs intentione, eiuſdem verbis & cogitationibus vnias, ipſi eadẽ commendans & offerẽs ad laudem & gloriam ipſius & ad communem eccleſiæ ſalutem. Verbi gratia, ſic dicendo ante vel poſt aliquem actum: Domine Ieſu, in vnione amoris quo patrem pro nobis laudaſti vel oraſti, ſiue laborare dignatus es in terris; da mihi lau-

Quomodo fructum huius lectionis aſſequamur.

Quæcunque agimus & patimur, vnire debemus actionibus & paſsionibus Chriſti.

Cogitationes & locutiones quomodo formandæ.

laudes, orationes ſiue labores hos dignè perficere, & tibi offerre ad laudem tuam & eccleſiæ ſalutem. Aut hoc modo: Domine Ieſu Chriſte, in vnione amoris, quo pro nobis homo fieri & mori dignatus es, offero tibi iſtud ad laudem tuam & eccleſiæ ſalutem. Similiter quoties deliquiſſe te ſenſeris, mox verè pœnitens, offer patri in expiationem delicti tui, quod filius pro te fecit & ſuſtinuit, & te in gratiam redijſſe nō dubites. Itaque hoc modo cuncta bona opera noſtra valdè nobilia, valdeque efficerentur fructuoſa, vtpotè quæ ſic Chriſti meritis per intentionis oblationem vnita, eiuſdem efficiuntur opera ſeu merita. Et quamuis ad communionem eccleſiæ frugem, ſi qua ſunt noſtra bona hoc modo oblata, in Chriſti meritis abſorbeâtur, quomodo gutta aquæ dolio vini immiſſa ſolet abſorberi, non tamen pereunt nobis nec euaneſcunt, ſed opportuno tempore feliciter conſeruata, nobilitata, multiplicataq; nobis reddentur iuxta cuiuſuis intentionis puritatē. Securè igitur offeramus noſtra minima meritis Chriſti hoc modo vnita in ſinū matris eccleſiæ, vt in ſalutem cedant omnium electorum Chriſti membrorū. Inde enim non ſolùm nullum patiemur detrimentum, ſed ex diuitijs quoque Chriſti maximum obtinebi-

Quomodo omnia opera noſtra reddamus fructuoſa.

nebimus & lucrũ. Tunc enim teſte Greg. noſtra magis fiunt noſtra, cùm cœperint fratribus eſſe communia. Nam omne bonũ quanto communius, tanto perhibetur diuinius. Quicquid igitur agimus, in merita illud dominicæ paſsionis offeramus, vt inde efficaciam ac virtutem aſſequamur tempore neceſsitatis. Nam etſi vile ac modicũ ſit quod damus, bona tamen voluntas maiora offerendi ſi facultas adeſſet, commendabit opus, atque ad iuſtam perficiet menſuram. Quid enim ditius bona voluntate? Verùm de hoc iam ſatis. Nam in ſequentibus libris lympidius hæc referabuntur. Quos profectò quiſquis animo caſto pioq́, legerit, cupiens ſe diuinæ gratiæ fieri participem, manna ſentiet abſconditum, quod nemo niſi qui accipit, ſcire poteſt. Neminẽ hactenus audiui, qui huius libri potitus ſit lectione, ſi tamen in eo ante fuerit ſpiritus vitæ, qui noluerit pro re maxima & alioqui vehementer optata ſe legiſſe. Latet enim hic ſpiritus, qui te lector, ſi puro rectoque acceſſeris corde, hoc eſt, ſi nihil quæſieris curioſi, nihil faſtidieris ſancti, nõnihil tuo in corde, cuius te nõ pœniteat, operabitur.

Gregor.

Nihil ditius bona voluntate.

Manna abſconditum his libris.

Sententia piorum virorũ de his libris.

¶ Compertum habemus hanc virginem alumnam fuiſſe Monaſterij Helffede, ordinis S. Benedicti, quod in oppido Eislebiẽſi

Vbi vixerit hæc virgo.

Co-

Comitatus Mansfeldenſis ſitum eſt, eiusq; fuiſſe ſodalem tam profeſſione quam cohabitatione beatam virginem Mechtildem, *B. Mechtildis.* comitis filiam, reuelationibusq; quæ iam dudum Parrhiſijs, Venetijs & Lipſiæ typis e[x]cuſæ, innotue[r]unt mundo, æquè celebré. Poſtremò adijcienda hoc loco videntur teſtimonia doctorum, qui hunc librum ad amuſſim legendo perluſtrarúnt, ſumma diligentia inueſtigantes ſi quid poſſet in eo depræhendi, quod vel pias aures offendere, vel de eius veritate poſſet addubitari. Hæc quia aliter non potuimus habere niſi in lingua noſtra vernacula, in linguâ vertimus latinam, vt ſequitur. ¶ Dum annus à natiuitate Chriſti agebatur milleſimus, ducenteſimus, octogeſimus nonus, hic liber *Quando hic liber ſcriptus.* per ſanctimonialem quandam ſcribi cœperat. Quem poſtea abſolutum dum illius eruditio ſancta monaſterij prælato admodũ placeret, ne quis ſcrupus ineſſe libro formidaretur, nève cuiuſuis periculi metus à lectione quempiam deterreret, curauit monaſterij pater legendum, perſpiciẽdum, diſcutiendumq; eundem tradere & doctiſs. & pijſſimis quibuſq; viris. Nam quoſcunque habere potuit viros probatiſsimos in Theologia, vtriuſque familiæ, hoc eſt, & ſancti Franciſci & ſancti Dominici, jis legendum

iudi-

iudicioque eorum examinandum obtulit. Inter quos fuit frater Henricus de Mulhuſen, qui librum primus hunc legit & confirmauit, vir ſanè doctiſsimus & ſpiritu ſancto plenus. Poſt hunc viſitatus eſt à patre Henrico à Veriungerede, dum in monaſterio moraretur Hallenſi, non minùs docto quàm pio. Deindè à quodam patre, Lectore magnæ opinionis & literaturæ viro, quem à Burgo nominabant apud Minores in Halberſtat, circa annum domini milleſimum treceteſimum reuiſus, multaque laude commendatus eſt. Fuere autem hi ambo præfati nõ minùs ſpiritusſancti vnctione quàm ſcientia, licèt hęc incredibilis in eis præemineret, illuminati, Dei dona in virgine, & conſolátiones quas ex libro hauſerant ſpirituales, in ſeipſis admirantesi Poſt hos exactiſſima diligentia expenſus eſt atque luſtratus liberà viro doctiſſimo Nicolao Lectore in Hiſdeshem, qui anno milleſimo, trecenteſimo primo prioratus officio functus eſt in Halberſtat, Theologo præſtantiſſimo, atque ſummoperè laudatus. Et licet ij iam pio cuiuis in teſtimonium ſufficerent, præſertim aduertenti eorum quos nominauimus vitæ ſynceriſſimam grauitatem, eruditioni pariter & deuotioni coniunctã, non poſſum tamẽ alio-

Catalogus doctorum virorum, qui hũc librum commendauerũt.

F. Henricus Mulhuſen.

Henricus à Veriungerode.

Nicolaus Lector in Hildeshem.

aliorum quoque tacere teſtimonia, præſertim pij illius viri iuxta ac docti patris Theodorici de Apuldia, qui cum ſancta hac virgine, cui à Deo reuelationes factæ ſunt, qua etiam authore liber natus eſt, varia ſæpenumerò habebat colloquia, eiusque verba, ſpiritum & ſcripta magnoperè prædicabat. Verùm ne quis ſuſpectos habeat religioſos, metuens ne fortaſſe ex fauore laudauerint, quod reuerà de huiuſmodi viris impium foret ſentire, oblatus eſt liber hic etiam viris doctiſsimis in ſeculo, non tamē ſeculo viuentibus: quos diſcretionem conſtabat habere ſpirituum, qui pariter omnes laudarunt librum, nec ſine grandi fructu ſpiritus legendum aſtruebāt. Ex ijs fuit magiſter Godfridus vir mirum in modum eruditus, dictus Rex, qui non ſolùm librū, eiusq; eruditionem probauit, verùm etiam ex verbis virginis huius Gertrudis, cui olim locutus fuerat, adeò compunctus, adeò eſt Dei amore accenſus, imò ſpiritu etiā diuino tactus, vt reliquūm vitæ ſuæ totus ad Deum conuerſus, mira deuotione nec abſque opinione magnæ ſanctitatis tranſigeret. Fuere autem complures alij doctiſsimi viri, præcipuè ex ordine Prædicatorum, qui hanc, dum viueret, audierunt, atq; eius legerunt ſcripta, qui pariter omnes ſyncerita-

Theodoricus de Apuldia.

M. Godfridus Rex.

ritatis atque ſyncerę eruditionis eius ſunt teſtes. E quibus cuiuſdam vndecunq; doctiſſimi viri tacere non poſſum aſſertionē, qui hoc libro accuratè perlecto, teſtimonium reſcripſit huiuſmodi: Ego in vera diuini luminis veritate ſentio, neminem qui Dei illuſtratus ſit ſpiritu; ea quæ in hoc ſcripta ſunt libro, poſſe aut calumniari aut impugnare. Equidem confortatus ego ſpiritu veritatis, à quo ſapientia emanat vniuerſa: offero atque obligo me vſq; in mortem pro defenſione huius catholicę & ſanctæ eruditionis in hoc libro traditæ, ad occurrendum cuicunque. Hucuſque ex vulgari idiomate. ¶ Poſtremò adijciendum, non tum ſolùm viſitatum eſt hunc librum, cùm adhuc qui virginem nouerant, in vita ſupereſſent. ſed maxima diligentia, etiamnum à multis tam doctis quàm pijs eſſe reuiſum, atque non ſine fructu interioris hominis, quem ex lectione ſunt aſſecuti, maximoperè laudatum. Horum conſilio, ne dicam importunitate impulſi, communem omnibus duximus eius lectionem faciendam. ¶ Rogamus autem, ſi quid humana infirmitate (nam incuria nihil eſt prætermiſſum) fuerit neglectum, ignoſcas lector. Poſt ſtudioſiſsimam enim inquiſitionem vnicum duntaxat latinum obtine-

Iudicium viri cuiuſdam doctiſſ. de hoc libro.

re potuimus exemplar. Cuius dum primus liber, qui eius vitam continet, mutilus eſſet atque truncatus, coacti ſumus eundem ex Teutonico exẽplari fideliter correcto, in latinũ vertere in reliquis Latinũ exẽplar amplectẽtes. Vale itaq; lector, & boni optimique ſtudium hoc noſtrum conſule. vtinam Deus mei quoq; miſereatur per eiuſdem virginis & omnium piorum hæc legentium orationes.

INDEX

INDEX EORVM QVAE IN HISCE QVINQVE LIBRIS INSINVAtionum, ac exercitijs, præcipuè habentur.

ADuentui ſpiritus ſancti quomodo præparandus locus lib.4. cap.32
Aduentus domini in extremis quomodo impetrandus li.4.ca.29
aduerſa & proſpera Deo *ſunt offerenda* lib.4. cap.22
aduerſitas deſpondet nos Deo li.3.cap.2
affectus humanus impedit Dei *gratiam* lib.4. cap.35 & 42
affectiones ſeptem quomodo purgandæ lib 4. cap.25
affectiones animæ quomodo cuſtodiendæ lib.2. cap.13
afflictio quid homini conferat li.3.ca.16
agonizantium officia quomodo ipſi nobis ſoluamus li.5.cap34
alleluia quomodo cantandum li.4.cap.27
amor Dei *quid nobis conferat* li.3.cap.30
amor diuinus omnibus cauſa ſalutis li.3.cap.30
amor ſenſualis quantum vitandus li.1.cap.7
Amplexus Dei *& oſcula quid* li.2.cap.22

ama-

anathema iniuſtum non obeſt li.3 ca.16
anima amore diuino accenſa quantum valeat apud Deum li.3 ca.30. & li.4.cap.55. & lib. 3.cap.19.& 21.
animam amatricē quàm velociter exaudiat Deus li.1.cap.14
anima quomodo mundetur à negligentijs lib.3. cap.37
animæ defectus quàm piè toleret Deus lib.2. cap.12
animæ intractio & vnio intima cum Deo *quæ ſit* li.2.cap.8
anima ex purgatorio quomodo liberetur lib.4. cap.27. & lib 5 per totum
apoſtolum ſuum quomodo quiſque colat lib.4. cap.4
arbor amoris quos producat fructus li 3 ca.15
arca quomodo Deo *in corde noſtro fabricanda* li. 4.cap.14
attentio ſub diuinis quomodo fiat grata li.2.ca. 15.& lib.3.cap.85.& li,4.cap.2
attentionis ſub diuinis quanta vtilitas li.3 cap.24

B.

Benefaciens amicis Dei *quid mereatur* lib 3. cap.75.& 76
benefaciendum aduerſarijs li.4.cap.54
blanditur Deus *quomodo animæ* li.3.cap.30
blan

blandiri domino ſuper contumelijs quam meritorium ſit li.4.cap 22.
brachijs expanſis orare quam gratum ſit Deo *li.4.cap.16.*

C.

CAſtitas quomodo cuſtodienda li.1.cap.10.
caſtitatis præconium quod li.4 ca.4.
ceremoniæ piæ quam gratæ ſint Deo lib.4. cap.2.
charitas erga infirmos quid valeat li.3.cap.61
cogitationes, verba, & opera noſtra quam exacte ſint deſcripta coram Deo li.4.cap.28.& 50
cogitationes quæ nam orent animam li.3. cap.30.
colere Mariam quam gratum ſit Deo li.3. cap.20.& li.4 cap.49
committere ſe Deo quam vtile ſit li.3.cap.30
compaſsio viſceroſa erga omnes quæ ſit. li.1. cap.9
compatiens Chriſto quid mereatur. li.4.cap.25. & 26
communicare ſæpius quam gratum ſit Deo li.5. cap.78.& li.4.cap.13.& 37
communionem ex neglıgentia omittens quid perdat li.4.cap 13
communione ſacra quando liceat abſtinere li.3. cap.18.& li.4.cap 13
communionis ſacræ fructus qui li.3.cap.18.

& 54.35.36.& lib.4.cap.7
communionis ſacræ quanta vtilitas li.4.cap.45 & li.5.cap.30
communio ſpiritualis quomodo fiat li 3.ca.16.& 17.& 38
confeßio deuota beneficiorum Dei li.2.cap.23
confeßio oblitorum non neceſſaria eſt lib.4 cap 34
confeßionis neglectæ pœna quæ li.5.cap.5.& 12
confidentia bona quid valeat apud Deum li.1. cap.11. li 3.cap.7.& lib.4.cap.4
conſolatio humana quàm nociua li.3.cap.3
contemplationi qui ſtudere debeat li.3 cap 44
contemplandi quis modus li 3 cap.74.& lib.4. cap 4
conterit Deus animam vt medeatur li 3 cap 30
cordis pij copioſa remuneratio li.5.cap.8.& 14
cor Deo offerre quàm meritorium li.4.cap.60
cor quomodo Deo offerendum li 3.cap.30
cor Ieſu quomodo noſtros ſuppleat defectus li 3. cap.25,& 26.& 41
corpus Chriſti videre quàm meritorium ſit li.4. cap.25
correptio fraterna quomodo omnes obliget Lib.3. cap.30
credere faciliter Dei operibus Deo quàm ſit gratum li.5 cap.10
crux quomodo portanda poſt dominum Lib.3. cap.30

D.

Daemones qui homini inſidientur lib.3. cap.32
deitas quomodo imprimatur animæ li.2.cap.7
delectandum quomodo in Deo ſolo li.1.cap.12
delectationis diuinæ excellentia quæ li.3.ca.44
delectatio ſenſualis bona circa diuina lib.3. cap.54
delectatio terrena quomodo puniatur li.5.cap. 11.12
delectatio humana quàm vilis ſit & fœda li.3. cap.4
delectatio ſenſualis quantum obſit li.3.cap.30
defectus noſtri quomodo nobis vtiles fiant li.3.cap. 58.& 83.& lib.4.cap.2
deſideria bona quid efficiant li.3 cap.32
deſiderium moriendi quid mereatur li.3.ca.30
detractiones patienter ferre ornant animam lib. 4.cap.60
detractiones quomodo puniantur li.5.ca.24
Deus pro ſanctis quomodo laudandus lib.3. cap.10
Deus pater placatur pro nobis per filium lib.3. cap.31.& 40.& 82
Deus quomodo abſcondit & manifeſtat ſe in nobis li.2.cap.18
Deus quomodo delectetur in anima pura li.3. cap.50

diligere nos dominum quomodo probamus li.4.
cap.43

diſcretio aliorum ſenſui credentis laudatur. li.1.
cap.12.

dominus quam facile inclinetur animæ li.3.c.29

docere ignorantes quam ſit meritorium li.4.
cap.10.13.50.51.52

dona Dei fructum operationis exigunt li.4.c.56

dona Dei qua intentione ſint recipienda li.2.c.19

durities cordis quantum malum li.5.cap.25

E.

EMendatio deo accepta pro graui offenſa li.3.
cap.13

Excitari quomodo Deus vult ab anima li.3.
cap.21

Exercitia pia ad glorioſam virginem li.4.
cap.12.13

Exorandus quomodo deus ſit per ſanctos li.5.
cap.7

F.

FAcies dominica quomodo venerãda li.4.ca.7

fatigatio deo grata li.4.cap.23

filij Mariæ quomodo ſimus nos li.4.cap.3

flagella à deo ſuſcipienda ſunt. li.3.ca.30.& .50

fraudis commiſſæ pœna quæ li.5.cap.16.& .17

Genus

G.

GEnuflexiones deo quam gratæ li.4.ca.24
gloria dei in omnibus ſola quærenda li.1.c.5
gloria magna datur pro modico labore li.4.c.46
gratiæ dei quomodo collaborandum li.3.ca.15
gratiam ſuam cur deus aliquando ſubtrahat homini li.3.cap.9.& 18
gratia dei operatur in nobis tempore apto li.5. cap.7.
gratiarum actio in aduerſis deo quam ſit accepta li.1 cap.4
grauaminum vtilitas. li.4.cap.5.& 12.& 15
grauamina quæ domino placeant li.4.cap.47
grauamina quomodo deo offerenda li.3.cap.86
grauamina quare quibuſdã expediãt li.4.c.60

H.

HAbitaculum amantis animæ quomodo cor Ieſus ſit li.3.cap.28
habitaculũ dei quomodo anima iuſti li.1.cap.6
homo intereor quomodo illuminetur à deo li.2. cap.2
hora orationis nunquam prætermittenda li.1.c.12
hora mortis noſtræ quomodo cõmendanda ſit ſanctis li.4 cap.33.& li.5.ca.29
hoſpitium dei quomodo fiat cor noſtrum li.4.c.23
hoſtia miſſæ quid efficiat li.3.cap.14

hoſtia ſacra quomodo offertur pro peccatis li.4. cap.40. & 41
hoſtibus quomodo compatiendum & pro eis orandum li.3.cap.68
humilitas capax eſt omnium donorum Dei li.1. cap.12. & li.4.cap.26

I.

Ieiuniũ regulare quàm gratũ ſit Deo li.4.c.54
Ieſum puerulum quomodo recipere & fouere debemus li.2.ca.6.& 16.& li.4.ca.2.& 3
Ieſus rogatus ornat nos ſuis meritis li.4.cap.17
imaginem crucifixi deuotè inſpicere & honorare homini quid conferat li.3.ca.41 & 43 & 45
impedimenta cur magis accidant in feſtis li.3.c.39
indulgentia peccatorum obtinetur à domino li.3. cap 11
inebriari quomodo poſſit Deus à nobis li.4.ca.54
infirmis ſeruire quàm meritorium ſit li.4.ca.35 & li.5.cap.1
infirmitati noſtræ quomodo dominus cõdelectatur li.3.cap.22.& 59
infirmi quomodo ſe regant vt dominus in eis delectetur li.5.ca.1.& ſequent.
inobedientia quanam pœna plectatur li.5.ca.24
inuocare ſanctos quãtæ ſit virtutis li.4 c.33.& 59
Iohan. Euãgeliſtæ memoria quã ſit dulcis li.4.c.34
iuſtitia quàm conſtanter obſeruanda li.1.cap.7. & li.3.cap.30

lib.4.ca.

L.

Labores vitæ actiuæ quàm grati Deo ſint li.3. cap.69
languere amore quis dici poſſit li.3 ca.55
latro vnde meruit in cruce ſalutem li.4.ca.24
laudandus quomodo ſit Deus per angelos. li.4. cap.61
laudare Deum pro ſanctis ſuis quàm meritorium li.4.cap.56.57.58
laus Mariæ ex paßione filij li.3.cap.46
libertas ſpiritus quàm accepta ſit Deo li.1.cap.12
libri huius dignitas & commendatio in prolog.& li.5.cap 35
librũ hunc piè legentis vtilitas in prol.& li.5.c.36.
librum hunc peruertentis damnatio li.1.cap 16. & li.5.cap.36
liber hic à domino iuſſus eſt ſcribi li.1.ca.16.& li.2.ca.10.& li.3.ca.1.& li 5.ca.6
liber hic cur ſimilitudinibus & parabolis quandoque vtatur in prol.& li.4.ca.2.& 12.& 26.
lingua quomodo regenda in loquutionibus li.1. cap.17.& 18.
locus ſacratus quantum cõferat orationi li.4.c.61
loquutionum occupationumq́; inutilium abſtinentia quid conferat li.3.cap.30

M.

Maria præparat communicaturos li.4. cap.12.& 49.& 53

maria quam prompte iuuet ſe inuocantes li.3. cap.19.& li.4.cap.49
maria quam fideliter iuuet ſuos deuotos li.3.ca.5
mariæ virginis gloria quanta li.4 cap.49
matrimoniū ſpirituale quomodo renouetur li.4. cap.29
membra domini ſalutare quantæ ſit virtutis li.4. cap.22
membra Chriſti (in proximos) quomodo fouere debemus li.3 cap.75
memoria mortis quomodo ſeruanda li.5.c.29
memoria paſſionis chriſti quam fructuoſa ſit li.3. cap.39.& 41.& li.4.cap.25.& 26
merita ſanctorum & proximorum quomodo fiant noſtra li 4.cap.44.& 30.& 57
merita aliorum quomodo nobis obtineamus li.3. cap.63
merita ſua alijs dans quid lucretur li.5.cap.11. & 15.& 23
miniſteria angelorū circa homines li.4.c.55.& 61
miſſam audire quā fructuoſum ſit li.3.cap.18
miſſa quomodo ſpiritualiter audienda li.3,cap.8
miſſarum tempore dominus in cœlo offert ſe pro eccleſia li.4 in fine
miſſæ Gregorianæ pro defunctis li.3.cap.22
miſſa ſacra quibus proſit li 3.cap.6
modus offerendi deo opera noſtra li.2.c.24.& li.5.cap 37, [redacted]
modus orandi pro alijs quis li.4.cap.36.& 40

modus

modus præparãdi nos ad feſta ſolẽnia li.4.c.1.& 2

N.

NAturalia ad deum referenda li.3.cap.19
negligentiæ quã ſeuere puniantur li.5.c.8.

O.

OBlatio meritorum Chriſti pro eccleſia, & quam vtile ſit orare pro eccleſia li.4. cap.19.20.21.25.& 26
oblationis modus deo acceptus li.3.cap.30.& li.4.cap.3
oblationes quædam deo gratæ li.4.ca.6
obedientiæ meritum quod li.3.cap.30.& 5.c.24
obedientiæ opera conſolabuntur nos in morte li.3 cap.81.
officia defunctorum ſolantur animas li.5.ca.15
opera noſtra deo commendare quam vtile ſit li.4. cap.31
opera charitatis quid præſtent animæ li.2.ca.15
opera noſtra Chriſto vnita quantum nobilitentur li.4.cap 9.& 16
opera miſericordiæ quomodo ſpiritualiter fiant. li.4.cap.18.
operum bonorum glorioſa merces li.5.cap.3.
operum bonorum diſcretio li.4.ca,16
orare pro inimicis quam meritorium ſit li.4.c.24
orare pro defunctis quã gratũ deo li.5.c.21.& 24

orari petens proſe quid mereatur li.3.ca.73.& li.4.cap.1
oratio amoroſa Deum laudans li.3.cap.66
oratio aurea pro peccatis & neglig. li.2.cap.23
oratio breuis Deo grata li.3 cap.49
orationes electorum quandoque Deus vtiliter non exaudit li.1.cap.14
orationes & ſuffragia pro defunctis li.5.cap.3.4 5.7.& ſequent.
orationes noſtras quando exaudiat Deus li.3.c.33
oratio pro alijs fuſa quid valeat li.3.ca.9.& 17 72.73.80
oratio ſanctorum quomodo fiat pro nobis li.5.ca. 3.5.6.7.&c
oratiunculæ aliquot ignitæ li.5.cap.32
oratores ſuos quàm facilè Ieſus & mater eius exaudiant li.4.cap.9

P.

Participatio ſpiritualis quid cõferat li.3.c.76
paßio domini quomodo recolenda li.4.ca.22
paßio Chriſti quomodo imitanda li.3.ca,42c& li.4.cap.26
pati alienam malitiã quàm gratũ Deo li.3.ca 63
pati dolores quàm gratum ſit Deo li.3.cap.70
pati quid pro iuſtitia quàm meritoriũ ſit li.3.c.62
patientia aduerſitatis illuminat animã li.2.ca.14
patientia quomodo diſcenda li.3.ca.30
patientiæ meritũ grande li.5.c.3.4.5,6.& ſequẽ.

pec-

peccator quomodo vitam ſuam inſtituere debet li. 13.cap.74

pœniſẽtes quàm blandè ſuſcipiat Deus li.4.c.60

pœnitens verè quàm velociter mundetur li.3. cap 30 & 87

pietas Dei *erga animã humiliatã quæ* li 3.cap 5

pietas Dei *quanta nobis exhibetur in ſacramento altaris* li.3.ca.18.& li.4.ca.25

pietas Mariæ *virginis erga peccatores quanta* li.2. cap 16

poteſtas Mariæ *collata quanta* li.4.cap.53

pietatem Dei *quomodo flectere debemus* li.4.ca. 1.& 5

placandus quomodo ſit Deus *pro peccatoribus* li. 4.cap.15

placare dominum tempore malo quàm gratum illi ſit li.4.cap.16

prælati quomodo ſe habeant li.3.cap.73.& li. 5.cap.1

preparatio ad vnctionem extremam ſeruatur homini ad tempus opportunum li.3 ca.64

præparatio quædam ad ſuſceptionem ſpiritusſancti li.4.cap.38.& 32

præparationes aliquot ad ſacram communionem li.3.cap 18 & 34

præparationes quædam ad mortem li.5. in multis locis.

præſentia diuina quomodo penſanda inter corporalia exercitia li.3.cap.47

præ-

præſentiam diuinam quomodo ſentiat anima li. 2.cap.3
probatio ſenſus noſtri an ex Deo *ſit* li.4.cap.14
profeſsio quædam beneficiorum Dei li.3.cap.71
prouidentia Dei *in omnibus æquanimiter attendenda eſt* li.1.cap.18.& 19
pſalterij, quod magnum vocant, quanta virtus li.5.cap.21.& 22
pulſuum diuini cordis miri affectus li.3.cap.51 & li.4.cap.4:
purgatio peccatorum fit duobus modis li.3.ca.14

Q.

QVadrageſimalis pœnitentia Deo *gratiſsima* li.4.cap.16
quæritur Deus *quatuor modis* li.3.cap.12

R.

REfectio corporalis quomodo ſumenda ſit li. 4.cap.23
refectio corporis quomodo fiat meritoria lib.4. cap 13 & 37
refectio diſcreta & pura Deo *placens* li.3.ca.57
regularem vitam obſeruantiam beatitudo & negligentium damnatio li.4.cap.11
religioſi boni cum martyribus coronabuntur lib. 4.cap.57

reli-

reliquiæ precioſiſsimæ quæ ſint li.4.cap.54
religioſos diligere quàm gratum Deo li.5 cap.24
reſpectus domini quid operetur in anima lib. 3.cap.38
reſponſorij (Regnum mundi) *virtus quæ* li.4. cap.56

S.

SAcramenta ſeptem quomodo ſpiritualiter recipere poſsimus li.3.cap.60
ſacramenta effectum quæ verba impediant lib.3. cap.18
ſagitta amoris quid poſsit li.5.ca.27
ſalue regina canticum quàm gratum beatæ Mariæ li.4.cap 53
ſalutare dominum quantæ ſit virtutis li 4.cap 23
ſalutatio ac cultus quomodo Mariæ *virgini impendendum* li.3 cap.19 & li.4.cap.49.& 53
ſalutationis angelicæ quæ virtus li.4.cap 12
ſalutatio quædam vulnerum Chriſti li.4.cap.35
ſancti defuncti cultoribus ſuis quomodo ſuccurrunt li.5.cap.13
ſancti quomodo per ſacram communionem honorantur li.4.cap.48.& 55
ſanctorum cultores ſplendore diuino illuſtrantur li.4.cap.8.& 49.50
ſatisfactio conferens plenariam indulgentiam lib. 4.cap 7
ſcientiæ nimius amor impedit Dei *gratiã* li.1.c.2

ſenſus

ſenſus capitis proprij quid impediat li.3.cap.88
ſenſus capitis proprij pœna quanta li.5.cap.5
ſepulchrum Dei quomodo anima iuſta fiat li.3.cap.27
ſeruire Deo proprijs impenſis quid ſit li.3 cap.18
ſeruire Deo quomodo quiſque debeat in ſua vocatione li.3.cap 74
ſomni defectus quomodo Deo offerendus li.3.c.52
ſomniorum moleſtia an meritoria li 3 ca.32
ſpiritusſanctus quomodo humiles mundat & replet li.4.cap.39
ſtigmata domini quomodo cordi imprimantur li.2.cap.4
ſuffragijs eccleſiæ quæ animæ careant li.3.cap.19.& 22
ſupplementũ negligentiarũ in ſeruitio Mariæ quomodo fiat li.4.c.2.& 49.& 53.& li.5.c.33

T.

TE Deum laudamus canticum qua deuotione cantandum li 4.cap.40
temporalia non eſſe præferenda ſpiritualibus li.3 cap.90
tentationes quomodo vincere debemus li.2.cap.11.& lib.3.ca.84.& lib 4.cap 17.44.58
tentationum fructus qui li.3.cap.30.& 77
torporis, proprietatis, & rebellionis quæ punitio li.5.cap.18
tribulati quo medio liberari poſſimus li.3.ca.68

tribu-

tribulati quomodo diuinum auxilium imploremus lib.3.cap.48
trinitas glorioſa quomodo laudanda li.4.ca.42

V.

VAna gloria quomodo vincenda li.1.cap. 12. & lib.2.cap 11. & li.2.ca.18
venia peccatorum quomodo ſub Kyrie eleiſon petenda li 3.cap.23
veſtiendi quomodo à nobis ſint Ieſus & Maria li. 2.cap.17
vitia quomodo extirpanda li.4.cap.23
victoriæ Chriſti quomodo ornemus li.4.cap.17
virtutem benè agendi fore à ſolo Deo li.4.cap.30
virtutes quænã Deo maximè placeant li.1.cap.4
viſio Dei tranſformatiua quæ ſit li.2.cap.22. & lib.3.cap.12
vnctio Dei quàm potenter hominem mutet li.2. cap.1
vnctionis extremæ virtus quæ li5.ca.6 & 29
vnio inſeparabilis animæ cum Deo li.2.cap.9
voluntas bona in multis pro opere coronatur lib. 3.cap.64. & lib.4.cap.43. & 48. & lib.5. cap.31
voluntas bona quanti apud Deum ſit meriti lib. 4.cap.17. & 21. & 26. & lib.4.cap.47
voluntatis bonæ renouatio quàm fructuoſa lib. 4 cap.5. & 27
voluntas bona quantum valeat apud Deum li.3.

cap.11.&30.&89
voluntas noſtra quàm Deo perfectè reſignanda eſt lib.3 cap.53
voluntas propria qua pœna plectatur li.5.cap.9 & 15
voluntatis clauis quomodo Deo reſignanda li.4. cap.23.& 37
vulnus amoris quomodo à domino impetretur lib. 2.cap.5

Z.

ZElans pro iuſtitia quid mereatur lib.3. cap.30
Zelus erga proximum quomodo ſit exercendus lib. 1.cap.8.& li.3.cap.79.& li.4 cap.38.& 47.

FINIS.

INSI-

INSINVATIONVM DIVINAE PIETATIS LIBER PRIMVS, IN QVO

agitur de authoris ſanctimonia virtutumq; præeminentia quibus claruit.

PROLOGVS IN LIBROS ſequentes.

B*ONORVM diſtributor omniũ ſpiritus paracletus: qui vbi, quomodo, & quando vult, ſpirat: quemadmodum ſecretum ſibi eligit maxime idoneum vbi, quæcunq; vult operatur, aut reuelat: ita modum quoque ac tempus ſibi congruũ parat, quo in multorum ſalutem quæ ante in ſilentio eſt locutus, vult manifeſtari. Hoc autem maxime compertum habemus in famula eius Gertrude, quam licet multos per annos vberrima Dei benedictio eaq; continua viſitare* S. Gertrudis.

ſitare & creberrimis illuſtrationibus innouare non deſierit, haudquaquam tamen quæcunque in ea operata eſt, omnia ſimul voluit omnibus pateſieri. Vnde accidit, vt vno haud tempore liber hic ſcriptus ſit. Siquidem prima eiuſdem pars poſt octauum ſuſceptæ gratiæ annum ſcripta eſt. Altera vero anno viceſimo conſummata.

Quando hic liber ſcriptus

¶ Porro vtranque partem vtroque etiam tempore quam benigne ſuſciperet, dominus ſua erga ipſam dignatione manifeſtauit. Itaque prima dum iam ſcripta foret, ipſaq; hanc domino humilitate qua potuit maxima commendaſſet, audiuit dominum ſibi reſpondentem, Nemo a me ſeparare poteſt memoriale abundantiæ diuinæ ſuauitatis meæ. Adijciensq; dominus: Si quis, inquit, deuotus deſiderio ſpiritualis profectus in hoc legere voluerit libro, hunc adeo mihi attraham adeoq; me illi coniungam, vt non aliter quam inter manus meas hunc ſibi legere videatur. Addiditq;: Vbi duo in eadem ſimul pagina legerint libri, alter alterius flatum ſentiat neceſſe eſt.

Qui in hoc libro deuote legerit D. Deo attrahitur.

Hoc

Hoc modo & ego deuotionis ſtudio ex hoc libro legentis ſpiritum deſideriaq́; traham in me: quoſiat, vt pietatis meæ viſcera moueantur ſuper illum: atq; rurſus diuinitatis meæ tantum eidem inſpirabo afflatum, vt interior eius homo ſpiritu meo renouetur. Qui vero ex hoc libro pari ſtudio animoq́; quædam exſcripſerit, & quoties id fecerit, totidem illi immittam amoris ſagittas, quæ caſtiſsimas ſuauiſsimasq́; in anima eius diuinitatis meæ pariant delectationes.

Similitudo oſtendens vtilitatem huius lectionis.

Quàm vtile ſalubria dogmata ex hoc libro piè deſcribere.

¶ *Cæterum ſecunda huius libri pars dū ſcriberetur ipſaq́; ſuper hac domini voluntatem inquireret, vtpote quæ præ nimia humilitate ſuam adducens vilitatē erubeſceret, dominus perbenigna eſt eam conſolatione dignatus, inter alia hæc adijciēs: Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea ab extremis terræ. Quæ verba dum illa de hoc qui tunc vix cœptus fuerat, libro intelligeret, humiliter admirans, ſic inquit: Et quomodo o Deus cognitionis lucem quiſpiam ex hoc poterit ſumere libro, quem*

Humilitas S.Gertrudis.

nullo pacto conſummare ſtatui, præſertim cum voluntati ſit meæ adeo contrarium plura ſcribere, vt pauca hæc etiam quæ ſcripta ſunt, prorſus non euulgare decreuerim. Cui dominus reſpondit: Cum Hieremiā eligerem prophetā, licet ipſe ſibi quoq; neque ſermonis neque diſcretionis videbatur habere gratiam, dicens: Ah ah puer ego ſum, neſcio loqui. Ego tamen per eius eloquia correxi gentes & regna. Pari modo quemcunq; luce cognitionis meæ ipſaq; veritate per te illuſtrare decreuero, nō poteſt fieri vt hoc ille beneficio fruſtretur. Quippe cum prædeſtinationem meā impedire poßit nemo, ſed quos prædeſtinaui, hos & vocabo: & quos vocauero, eoſdem iuſtificabo, idq; quo mihi placuerit modo.

¶ *Alio item tempore dum orationibus a domino obtinere niteretur, quo illi annueret vt prohiberet huius libri conſcriptionem, maxime propterea quod iam non adeo vt paulo ante compelleretur ſuperiorum ſuorum obedientia ad ſcribendum: dominus eidem benigne reſpondit, dicens:*

An ignoras eum qui mea voluntate compellitur, ſupra omnem obedientiam compelli? Cum itaque voluntatem tu meam cui nemo reſiſtere poteſt, ſcias ſtatuiſſe vt liber hic ſcribatur, cur eam implere grauaris? quandoquidem ego ipſe ſcriptorem accendere fideliterq́ iuuare & quod meum eſt, illæſum ſeruare decreuerim? Hæc audiens virgo ſancta, voluntatemq́ ſuam diuino beneplacito perfecte conformans, dixit ad dominum: Quo ergo nomine dulciſsime Deus iubes hunc librum appellari? Dominus reſpondit: Liber iſte Legatus diuinæ pietatis nominabitur. Nec ab re quidem. Nam pietatis meæ exuberantia in illo vtcunque a deuotis prægustabitur. Ad quæ virgo deuota vehementer admirans: Cum, inquit, domine ij qui mittuntur legati, maiori ſoleant reliquis fungi authoritate, quid tu libello huic quem eiuſmodi dignaris vocabulo, conferes authoritatis? Reſpondit dominus: Diuinitatis meæ virtute hoc largior, vt quiſquis in hoc libro ad laudem meam recta intentio-

Legatus diuinæ pietatis.

Authoritas huius libri.

Fructus huius lectionis.

ne, deuotione humili, atque gratitudine pia, propterea quod cupiat ædificari, legerit, & venialium obtineat peccatorum remiſsionem & ſpiritualis conſolationis aſſequatur gratiam, & ad gratiam meã idoneus reddatur vberiorem. Verum cum inter orandum hæc virgo intelligeret domino placere, quod hi libri in vnum deberent coniungi & ſolicita, quonam modo id fieri poſſet, percontaretur, quandoquidem ſingulis ipſe titulos ſingulos ſuapte dignatione perſcripſiſſet. Reſpondit Dominus: Fit ſæpenumero, vt contemplatione prolis electæ vterque eius parens amicabilius aſpiciatur. Hoc ego quoque cur non facerem, cum ex vtroque vnum fieri librum iam ſtatuerim? Eam obrem ex vtroque etiam titulo vnum ſortiatur liber, neceſſe eſt, videlicet: Legatus memorialis abundantiæ diuinæ pietatis. Et hoc propterea, quod legatione fungetur ad electos meos, ſitq; diuinæ pietatis meæ illis futurus in monimentum.

Venialium peccatorũ remiſsio &c.

Scopus huius libri.

Præoccupatio.

¶ *Cæterum quia ex ſequentibus liquet,*

gra-

gratiam huic virgini diuinam, deiq́ præſentiam, ne ad momentum quidem temporis defuiſſe, non iniuria mirari quis poſſet, quomodo ſit intelligendum quod infra interdum dicitur: Apparuit illi Dominus, vel affuit illi Dominus, quaſi ante abſuiſſet. Reſpondendum, quamuis vere illi vel continue, vel frequẽter, idq́ ex beneuolentia ſingulari, Dominus affuerit: pro conditione tamen rei ac temporis, vt ſi quando ad proximorum foret inſtructionẽ aliquid deferendum, pro eorundem captu in forma aliqua tunc imaginaria illi dominum ſeſe exhibuiſſe. Quod tunc maxime ſignificatur, vbi hæc verba, affuiſſe, apparuiſſe ve leguntur. Obſeruandum præterea tametſi in hoc libro contraria fortaſſe interdum videantur doceri, nequaquam tamen eſſe contraria. Deus nanque qui vniuerſorum eſt amator omnium quærens ſalutem, non tantum vna ſed varijs vtitur & vijs & modis, quibus ad ſe reducere poſſit aberrantes. Atq́ ideo vni licet loquens, non tamen vnum ſed multos curat inſtruere, &

Dominus ſanctę huic virgini licet ſemper adfuerit, aliquãdo tamen peculiari modo ſe illi exhibuit.

Singularis apparitio vel pſẽtia.

Alia pręoccupatio.

in vnius viſitatione prodeſſe multũ. Quare etiam pro varijs hominum conditionibus varia dari conſilia non abſurdum, ſed maxime eſt neceſſarium. Poſtremo adijciendum quamuis hanc virginem diebus tum feriatis tum non feriatis ſua Deus viſitatione dignatus ſit, continue ſuam illi gratiam infundens, idq́ multifariam, ſiue per corporearum rerum imagines, ſiue per ſimilitudines, ſiue etiam per illuminationes puriores intellectus ac cognitionum infuſiones: hic tamẽ ſcribũtur ea iuxta intelligentium captum, quomodo intelligi ac magis ædificare poſſunt, ſalua in omnibus veritate.

Nota modos diuerſos viſitationis diuinæ.

¶ *Conſtat namque inuiſibilia ac ſpiritualia haud ſecus atque per corporalium rerum ſimilitudines, vt ab intellectu capiantur humano, exprimi poſſe: atque ideo humanis ea imaginationibus neceſſe eſt obumbrari. Cui rei adſtipulatur magiſter Hugo de S. Victore in quodam ſermone de interiori homine loquens: Diuinæ, inquit, ſcripturæ vt inferiorum ſpeculationi alludans*

Inuiſibilia per viſibilia exprimuntur.

Hugo Victorinus.

dant & humanæ fragilitati condeſcendant, res inuiſibiles per rerum viſibilium formas deſcribunt, & earum memoriam per quarundam ſpecierum concupiſcibilium pulchritudinem mentibus noſtis imprimunt. Hinc eſt, quod nunc terram lacte & melle manantem, nunc flores nunc odores nominent nunc per cantus hominum, nunc per concentus auium, cæleſtium gaudiorum harmoniam deſignãt. Legite Apocalypſim Iohannis, & inuenietis Ieruſalem ornatum per aurum & argentum, & margaritas, & alias quaſlibet gemmas multipliciter deſcriptam. Et ſcimus, quod horum quidem ibi nihil eſt, vbi tamen omnino nihil deeſſe poteſt. Talium quippe ibi nihil eſt per ſpeciem, vbi tamen totum eſt per ſimilitudinem.

Hæc ille.

DE VOCATIONE AVTHORIS HVIVS LIBRI AD *religionem, deq; eius excellenti ingenio, ſtudio facundia, & reliquis naturæ dotibus.*

CAPVT I.

Rom. II. O Altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incompræhenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius: idque præcipue circa electos ſuos, quos tam varijs tamque miris vocat modis, eos videlicet quos ante prædeſtinauit. Nam eoſdem & iuſtificat, licet
Rom. 8. gratis, ſibiq; acceptos facit. Operatur quoque in eis, quãuis non ſine eis, merita quæ illis donet, quo iuſtam habeat occaſionem eos coronandi, atque ſuæ beatitudinis, hoc eſt, omnium diuitiarum atq; delitiarũ gloriæ ſuæ participes & conſortes faciendi. Hoc perſpicuo manifeſtũ eſt in ſancta hac virgine, de qua loquemur, Gertrude: quã velut candens lilium in horto eccleſiæ inter areolas aromatũ, hoc eſt, inter congregationes iuſtorum, ſibi colligit, ipſamq; ſibi dum adhuc puella quintum ageret annum, à mundi turbinibus ſegregans quaſi in

Gertrudis anno quinto ætatis ad monaſterium venit.

in thalamo ſanctæ religionis monaſterio abſcondit. Nec tamen in innocentia ſola eius puellari ſatis delectatus, verum etiam eius auxit decorem pariter & odorem, adijciens illi copioſe omnigenum virtutum vernantium, tum ſplendorẽ, tum ſuauitatem, quibus omnium oculis foret accepta, in ſingulorum quoq; gratiam reciperetur.

¶ Erat enim licet annis & corpore iuuẽcula, moribus tamen grauis, atq; adeo prudẽs ingenio, vt tametſi pro manſuetudine, pro charitate, proque officioſa ac ſerena humilitate, amaretur ab omnibus: nihilominus tamen pro maturitate morum, pro gratiarum abundantia, & pro ſpiritu ſapientiæ in ea elucente, mirũ in modum à cunctis etiã honorabatur. Erat aũt docilis, atq; (quod dixi) miro pollens ingenio: adeo, vt cunctas quæ ſecum ſcholas viſitabãt, vel ſodales vel coætaneas, longo poſt ſe in omni ſcientia ac ſapientia relinqueret interuallo. Superabat ætatem incredibile eius diſcẽdi liberales artes deſiderium, cui ſimul nõ parum opitulabatur puritas, quam ſummoperè zelabatur, cordis. Parum tamen illi ſua cuſtodia profuiſſet, ni ſeruata fuiſſet etiam à patre miſericordiarum, ne vel huius ætatis ſiue leuitatibus ſiue defectibus (quibus cæteræ ſolẽt puellæ) inquinaretur. Illi

Maturitas morum.

Docilitas ei° & ingenium.

Deſiderium diſcendi.

Puritas cordis.

enim benigniſsimo eius amatori ſoli omnia quæ in eam contulit, beneficia accepta ſunt referenda. Cui nos quoque & gratias agimus pro ea, & benedicimus illum per ſæcula.

De gratia interna, qua ad Dei familiaritatem tracta eſt, atq; de exuberanti eius pro animabus curandis eruditione.

CAPVT II.

DEinde cùm placeret illi, qui eam ſibi ex vtero matris ſegregauerat, atque adhuc fermè lactentem in thalamum vitæ introduxerat monaſticæ, vocare eam ab externis ad interna, à corporalibus exercitijs ad ſpiritualia, non deſtitit donec ſuæ gratiæ tractu congruis etiam reuelationibus accedentibus id in ea impleret. Nam gratia ipſius diuina illuſtrante accidit, vt ipſa virgo dum inter humana literarum ſtudia continue verſaretur, agnoſceret ſe nimium adhuc in regione diſsimilitudinis diſtare à Deo. Quippe quæ immodicè literis inhæſerat humanis, quare ad hanc vſq; horam diuinis illuſtrationibus cordis ſui aciem haudquaquam coaptauerat. Intellexit præterea nec abſque gemitu cordis expendit, quot interim tum conſolationibus tum diuinæ ſapientiæ illuminationibus ſe-

Nimia ſcientia humana prabet obicẽ

ſe

ſe priuauerit, dum plus iuſto ſcientijs oblectata ſit humanis. Inde igitur viſibilia & externa ſibi vileſcebant omnia. Nec immerito quidem. Nam in locum gaudij & exultationis ad montem videlicet Sion, eam introduxerat dominus, vbi exuta veteri homine induta fuerat nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Atque ideo ſciens ſe monaſterio incluſam, vt non minus virtute creſceret ac ſapientia, quàm ætate, grammatica (cuius notitia ſatis fuerat iam locupletata) relicta, Theologiæ, hoc eſt ſtudio ſacræ ſcripturæ, ſeſe applicuit: nec deſtitit quoſcunque ſanctos habere potuit libros, operam nauare omnem, donec intelligeret. Inde acceſsit ei ſententiarũ, quas ex ſacra ſcriptura doctorumq; libris ſibi collegerat meliores, vbertas tanta ac promptitudo vt ſemper illi ad manum eſſet, ſi vel hortari, vel arguere, vel cõſolari quempiã voluiſſet, vtriuſq; teſtamenti locus, quẽ appoſite citaret cõfirmaretq; ea quæ erat dictura. Siue enim arguere ſiue ſuadere vellet cuipiam, teſtimonio ſacrę vtebatur ſcripturæ, cui nemo poſſet refragari. ¶ Non poterat autem tunc illis diebus ſatiari admirabili dulcedine aſsiduæ contemplationis inueſtigationeque abſconditi luminis, quod

diuinis illuminationibus, & conſolationibus.

Nota.

Ineffabilis dulcedo ſcrutationis diuinarum ſcripturarum.

quod in ſacra inueniebat ſcriptura, quæ iã fauo ei mellis dulcior organiſq; facta erat ſuauior. Inde iubilus penè cõtinuus in eius corde ſentiebatur. Quia verò charitas ad omnes ſe effundit, cupiẽs ſui gaudij neminem non participem fore: ideo quicquid reperiebat hęc virgo ſancta in ſacra ſcriptura, quod infirmis adhuc ingenijs intellectu ſentiebat difficile, diligenti ſtudio explanabat. Collegit præterea ex ſententijs doctorum velut columba grana varia ac potiora, quæ ad multorum ædificationẽ ſcribens complures perfecit libros. Orationes quoque multas mellis fauo dulciores, & nonnulla alia ſtilo certè non fœmineo, id eſt, contemptibili compoſuit, quæ à nullo adhuc virorum grauium viſa ſunt, non dico contemni, ſed non laudari. Erant enim nõ humano duntaxat ingenio ſcripta, ſed ſpiritus etiam ſancti vnctione ita condita, vt nemo ea vel præcipuorum theologorum potuiſſet aſpernari. Hæc autem quamuis ab imperitis ſoleant hominibus laudari, hominibuſq; qui ijs clarent tribui, in veritate tamẽ nulli ſunt tribuenda quàm omnium gratiarũ largitori, qui nobis dat non ſolum omnia, ſed etiam ſeipſum. Quibus autẽ id faciat aut facere debeat, haudquaquam noſtro eſt iudicio expendendũ:

Sententiæ Doctorum.

Orationes à D. Gertrude compoſitæ.

Gratiæ gratiarum largitori tribuendæ.

niſi

niſi quod ſcimus gratiam eius ad effundendum ſe continere haud poſſe, vbi locũ quo recipiatur dignum inuenerit. ¶ Quapropter cùm ſcriptura dicat: Vana eſt gratia, vana eſt pulchritudo. Mulier timens dominum, ipſa laudabitur: non tacendum eſt, quomodo diuinæ ſe gratiæ hæc virgo dignam exhibuerit. Ipſa nanque fortis validiſsimaque fuit columna religionis, ipſa conſtantiſsima iuſtitiæ ac ſanctitatis propugnatrix. Ipſa deniq; diuini honoris nunquam non vehementiſsimo æſtuauit zelo, vt eam ob rem haud incongrue eidem poterat attribui, quod in libro Eccleſiaſtico de Simone ſacerdote magno legimus: Quia in vita ſua ſuffulſit domũ, cœnobiticæ nimirùm religionis: & in diebus ſuis corroborauit templum, videlicet ſpiritualis deuotionis: quandoquidem eius tam eruditio quàm vita multos, aut ad correctiorem viuendi modum, aut ad deuotionem inuitabat maiorem. Quare de ea non abſurdè quoque dici poteſt, quòd in diebus eius emanauerint putei aquarum. Nam reuerâ quo tempore illa vixit, nemo eſt inuẽtus, à quo ſanctæ eruditionis flumina profuſius, fructuoſius & efficacius manarent, quàm ab illa. Receperat enim a domino linguam diſcretam, acceptam hominibus, omnique

Zelus diuini honoris.

Studium eius in aliis erudiendis.

conſolatione & virtutis efficacia plenam, quæ ad intima cordium vſque penetraret. Quod in ſeipſis experti multi ſępenumero teſtati ſunt, affirmantes ſanctū in ea & habitare & loqui ſpiritum, vnde & corda & voluntates audiētium ad meliora conuerterentur. Veruntamen in hoc eſt nihil mirandum. Verbum nanque viuum & efficax penetrabilius omni gladio ancipiti, quod pertingit vſque ad diuiſionē animæ & ſpiritus, quod in ea habitabat, hęc omnia operabatur alios quidem à vanis ad ſalutaria conuertens, alios verò tam ad ſui quàm ad Dei cognitionē illuminans: & nunc certè quoſdam miſericorditer cōſolans, quoſdā item diuino amore flagrantes, feruentius accendens. Vix nanque eidem quis poterat loqui, quamuis interius minus quàm par eſſet, alioqui ſe applicaſſet, quin fateri cogeretur magnam ſe ex ipſius ſermone recepiſſe conſolationem. Neque tamen putādā eſt, vel propter hoc vel propter ea quæ ſequuntur (licet ſingulari præemineret, vt dixi, virtute hominum animos ad meliora inducendi) ea quæ loqui vellet, humana calliditate pręcogitaſſe, aut arte ingeniove quomodo perſuadere hominibus poſſet, quæque ante, vt quidam ſolent, compoſuiſſe (quod ab ea multo maxime fuit alie-

Sermocinis conſolationis.

alienum) Sed hoc potius abſque dubio credendum eſt, videlicet quæcunquæ loquebatur, quæcunque agebat, ad hominũ vel ſalutem vel conſolationem ſpiritu ſancto eadem illi inſpirata, qui pro temporum conditione proque ædificatione animarum, quæ velut, & docet & operatur. *Spiritu ſancto inſpiratã locuta eſt.*

De teſtimonijs gratiarum illi collatarum, & de primo harum teſte, videlicet Deo.

Caput III.

DOmino Deo omnium bonorum gratiarumque largitori, quicquid aut cœli ambitus aut terrarum orbis aut certe maris abyſſus complectitur, gratias nunc agat, illique laudem tribuat immenſam, æternam & incommutabilem: eam videlicet quæ ab ipſo procedit, & in ipſum refluit, pro exuberanti illius pietate qua ad huius noſtræ miſeriæ vallem miſerationum ſuarum torrentem dirigens, hanc inuenit hânc reſpexit, hanc denique ſibi elegit: ad quam vt reſpiceret, quam amaret, bonitas ipſius ſola eum inuitauit. Quod autem elegerit ſibique dominus miſericordiarũ eã attraxerit, in qua haud ſecus atq; in organo inſtrumẽtove ſuo peculiari ſuæ

pietate

pietatis arcana manifeſtaret mundo, teſtes non deſunt, præcipue tres: quorum ore (vt refert ſcriptura) merito ſtat omne verbum. ¶ Primus teſtis præcipuuſque eſt ipſe deus. Hic enim dum multis largitur experiri huius virginis efficaciam virtutẽque orationum, dum eius contemplatione complurium exaudit orationes, dum denique à tentationibus per eius merita humiliter ſupplicantes liberat, quid aliud facit quã teſtimoniũ eidem perhibet quod illam ſibi vt prædictum eſt, attraxerit, illã ſuis gratijs ac donis impleuerit, ſuæque, hoc eſt electorum familiæ adnumerauerit? Poſſemus autem, licet pauca ſufficiant, plura referre, vnde perſpicuum fiat quanti fuerit meriti apud Deum. ¶ Tempore nãque quo Rudolphus Romanorum rex obiit erat, dum hæc pro boni ſucceſſoris electione cum cæteris oraret, eodem die eãdemque ferme (vt creditur) hora qua in alia licet regione electio ſeruabatur, ipſa hanc matri monaſterij factam reuelauit, adijciẽs (quod res ipſa poſtea probauit) electum quoque ſuo à ſucceſſore interimendum. ¶ Alio tempore dum monaſterio, cuius ipſa erat alumna, grandis mali immineret periculũ: quod propter minas cuiuſdam tyranni ineuitabile putabatur: acceſsit ipſa mona-

Primus teſtis charismatũ & ſanctimoniæ huius virginis ipſe Deus.

Rudolphus Romano: Rex.

Spiritus propheticus in D. Gertrude.

monaſterij matrem & formidinem huius mali prorſus aſſerit monaſterio, ablatam. Quid multa? Breui poſt tempore aduenit illius villæ procurator, vbi id mali futurũ metuebatur, eadem quæ virgo hæc clam matri prædixerat referens, per Iudices, videlicet omnia ſedata pacemque redditam. Pro quo beneficio Abbatiſſa cum reliquis gratias obtulit domino, quę quomodo huic potuiſſet malo obuiare, nõ ſatis ipſa prudentẽ ſe agnoſcebat. ¶ Quædã virgo diu- » tinis nimiũq; moleſtis dũ diuexaretur tẽta » tionibus, admonetur in ſomnis hanc virgi » nẽ accedere, eiuſque ſe orationibus cõmen » dare. Quod vbi fecit, ſe ab omni tẽtatione ilico gaudet liberatã. ¶ Non prætereundũ puto, quod cuidã accidit alteri, qui occaſione ante aliquot dies accepta, multis adeo grauabatur cogitationib9, vt iã ad delectationis ferme cõſenſum traheretur (erat autẽ iuxta ordinis morẽ ad miſſam cõmunicatura) Dum itaq; anxio premitur timore, quãdoquidẽ huiuſmodi cogitationib9 ad ſaluificũ hoc ſacramẽtũ neq; audebat accedere, neq; pro verecũdia ſe ſubtrahere, diuina tandẽ, vt creditur, inſpiratione eſt admonita, panniculũ quendã de inuolumẽto pedum huius electæ dei præciſum atq; abiectũ, clã leuare atq; ſuo pectori quãta poſſet

Attactus pãni liberat à tẽtationibus.

ſet confidentia applicare. Inſpirationi igitur huic continuo acquieſcens, panniculum leuauit & cordi ſuo cum fidutia ac reuerentia appreſsit dominum per illũ amorem orans quo cor electæ ſuæ ab omni affectione mundana purũ, ſibi vni ad inhabitãdũ atq; ſpiritualibus donis implẽdũ elegiſſet, per eiuſdẽ quoq; merita ab hac ſetẽtatione liberaret. Mira res & omni acceptione digna. Cõfeſtim vt panniculũ cordi ſuo ſuperpoſitũ tenẽs hæc orauit, omnis tẽtatio tã exterioris quã interioris hominis, ſimili poſt moleſtia nõ reditura, eã deſeruit. Cõprobatũ eſt certe veriſsimũ hic eſſe illud ſaluatoris, Qui credit in me, operaq; ego facio, & ipſe faciet, & maiora horũ faciet. Nã dominus idẽ qui olim ad fimbriæ veſtiũ ſuarũ tactũ mulierẽ curauit emorrhoiſſam, hic per electæ ſuæ merita in abiecti panni fideli attactu animã, pro qua mortu[9] fuerat, à tentationis periculo liberauit. Et hæc modo quamuis multo dici poſſent plura, pro aſſertione primi teſtis ſufficiant.

Probat verbo & exemplo Chriſti.

Sic Pauli ſudaria & ſemiſinctia curerunt infirmos.

De ſecundo teſte, qui eſt multorum hominum illuminatorum (qui in ſe ipſis huius experti ſunt dona) vniformis atteſtatio.

Cap. IIII.

SECVN-

SEcundus teſtis huius virginis aſtruens ſanctitatem, eſt vniformis atque communis omnium fama.que vno ſemper ore eius admirata eſt & predicauit ſanctitatem Siquidē quicunq; ſiue pro defectuū ſuorū correctione, ſiue pro ſpiritualis vitæ profectu, ꝑ eādē dominū cōſuluerūt, quomodo illa ex domini reuelatione tūc ipſis reſpōdebat: ita in veritate ſemꝑ inuenerūt. Quo ſane didicerūt, ſingulari illā pręminentia domino acceptā ꝙ ſic prę cæteris ſuo lumine illuſtraret. Sæpenumero etiā accidit, vt ipſa hæc virgo, vtpote in abyſſo humilitatis firmata, indignā ſe æſtimaret tātis gratiarū donis: quare aliarū, quas tāq̄ potiorib⁹ gratijs refertas ſibi preferebat, teſtimoniū atq; cōſiliū de ſe reqrebat. Que ei⁹ humilitati cōpatiētes, qa id à Deo impetrādū iudicabāt, quo eius timor poſſet cōſolari pro eadē re dominū orauerūt, & mox à domino certiores factæ ſunt ſanctā illā nō in ijs ſolis de quib⁹ interrogauerāt, verum in omnibus etam alijs illuſtratā à ſe dirigi & in animarū ſalutē confortari. Hoc verū eſſe oſtēdit id quod ſequitur geſtū. ¶ Accidit namq; quadā vice cuidam deuotæ atq; in reuelationū diuinarum gratia multum perfectæ, vt odore bonæ famæ tracta ex longinquo monaſterium hoc, vbi virgo

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA

hæc habitabat, accederet. Quia vero nullius ibi habebat cognitionem, rogauit dominum vt eiuſmodi ſibi virginē in colloquiū ſociaret, ex qua animæ ſuæ hauriret vtilitatem. Cui dominus cum reſponderet: Eā quæ tibi hoc in loco aſſederit prima, ſcito mihi præ omnibus fidelisſimā, & à me vere electam: accidit vt hæc prima omnium illi virgo ſancta aſsideret. Cum qua dum in colloquium veniſſet, inuenit eam dona Dei diſsimulantem, atque quaſi omnino eſſet à Dei donis aliena, ſe exhibentem. Illa ſe deceptam æſtimans, cū animi deiectione hæc domino inter orandum retulit. Qui ſuū teſtimonium confirmans omnino eā eſſe quā ante dixerat, aſſeruit. Contigit autem non multo poſt vt eadē perſona colloquio D. Mechtildis potiretur (erat.n. D. Mechtildis eiuſdē monaſterij profeſſa & cātrix virgo diuinarū gratiarū præminentia admodū excellēs, cuius reuera verba melle erant ſuauiora & ſpiritus igne feruentior) huius dum verba ſibi vehementer placerent requiſiuit à domino qui fieret vt virginem illam puta Gertrudem adeo cunctis præferret: hanc vero Mechtildem, quam ipſa non minorē æſtimabat, haud cōmendaſſet. Reſpōdit dominus: Magna ſunt quidē quæ in hac operor, ſed multo maiora quæ operor

Homines Sācti occultant ſua dona.

D. Mechtildis.

opera-

operaborque in illa Gertrude. Hoc teſtimoniũ vnum nũc ſufficeret, niſi alia nos præſtantiora ne prætereamus, detinerent.

¶ Alio nanque tempore quædam, vt ſic loquar, perſona erat, quæ pro hac virgine orans vehementem ſenſit diuinæ gratiæ affectum erga ipſam. Quare admiras: Quid, inquit, ò Deus amor in hac perpẽdis quod tanti facias illam in teipſo, erga quam etiã adeo ſuauiter appoſuiſti cor tuũ? Reſpondit dominus: Pietas mea gratuita ad hoc me cogit, quę in anima eius ſingulari dono continet perficitq́;, in quibus præcipuè delector, quinque virtutes. Habet enim in ſe puritatem ex continua gratiæ meæ influxione. Habet humilitatem ob multiplicem donorum meorum magnitudinem. Quanto enim ego in illa operor maiora, tanto ſe ad ima humilitatis per infirmitatis ſuæ cognitionem deprimit. Habet præterea verã benignitatem, qua omnium ſalutem, idq́; ad meam laudem, deſiderat. Habet deniq; veram fidelitatem, vtpote omnia ſua bona ad laudem meam integro corde in ſalutem viniuerſitatis hominũ generalęm communicans. Poſtremò veram poſsidet charitatem, quia toto me amat corde, tota anima, totisq; viribus, & proximum ſicut ſeipſam propter me. Poſt hæc verba ante cor ſuum

Quinq; virtutes Christo præcipuè gratæ.

1. Puritas.

2. Humilitas.

3. Vera benignitas.

4. Vera fidelitas.

5. Vera charitas.

oſtea-

oſtendit Deus monile præfulgidum mirabiliter ornatum (erat enim in modum trifolij triangulum) dicens: Hoc continue in ſponſæ meæ amorem monile circunferam. Quod quare triangulum ſit, vt inoteſcat vniuerſæ cœli curiæ, in primo folio refulgēte ſignificatur, eā mihi inter omnes proximā eſſe. Nemo enim hodie viuit hominū qui ſiue per intentionem puram, ſiue per bonam voluntatem, mihi quam illa ſit vicinior aut coniunctior. In ſecundo folio elucet, ad nullam aiam in carne viuentem adeo me eſſe gratia ac fauore inclinatum, atque ad illam. In tertio reſplendet, nullū eſſe mortalē hodie qui fidelius ſynceriuſq; omnia dona mea recepta referat in ſolam gloriam meā, quā ipſa, vtpote de his nihil penitus ſibi vendicans aut vſurpans. Adiecitquoq; hęc ad eandem ſibi deuotā domi nus loquens: Nuſquam optatiori congruentiori ve modo me inuenire potes, quam aut in ſacramento altaris, aut deinde in huiús meæ dilectæ corde ac anima. Ad hanc enim admirabili modo omnem cordis mei diuini delectationem conuerti. ¶ Non multum diſtat, quod alteri cuidam cuius hæc virgo ſe precibus commendauerat, oranti pro eadem dominus reſpondit: Ego totus ſum illius. Nempe cui me tota

affectio-

affectione inter eius amplexus tanquã captiuum tradidi. Amor enim diuinitatis adeò eam inſeparabiliter mihi vniuit, quomodo aurum & argentum per ignẽ ſimul in vnum conflantur metallum. Ad hæc admirans vltra interrogauit: Quid, inquiẽs, amantiſsime Deus cùm ea facis, quam tantundẽ amas? Ego, inquit dominus, omnes pulſus ac motus cordis eius excito moueoque ſpiritu meo amoroſo ac viuifico, in quo voluptatem habeo incomprehenſibilem. Hæc licet faciens non tamen ſatis feciſſe mihi videor, ſed virtutem & efficaciã huius actionis vſque ad diem mortis eius intra me ſeruo. Tunc enim tres operationes in ſe ſentiet admirabiles. Quarũ prima est, qua ſentiet tunc quãta eam gloria Deus
pater ad ſe vocabit. Deinde ſentiet, quo 2.
ego illam gaudio ſuſcipiã. Tertio, ſentiet, 3.
quàm igneo, quàm ſuaui, quamque nulli mortalium perceptibili amore ſpiritus ſanctus mihi ipſam vniat. ¶ Accidit ſimili modo, alio licet tempore, pro hac, vt ab alia quadam oraretur. Cui dominus: Hæc, inquit, pro qua tu oras, columba eſt mea abſque felle. Quippe quæ omnẽ delicti amaritudinẽ non aliter atque fellis à corde ſuo proijcit. Ipſa mihi lilium eſt electum, quod manibus meis portare affecto. Suprema

naeque eſt mihi voluptas delitioſaque in a-nima huiuſmodi caſta ac pura morari. Ipſa roſa denique eſt mea ſuauiter olens. Patientia nanq; & in cunctis aduerſis eius gratiarum actio ſuauiſsimum mihi inferunt odorem. Ipſa præterea mihi flos eſt vernàs ac ſemper virens, in quem reſpiciendo oculis meis perquam iucundã haurio amœnitatem. Retinet enim ac fouet iuge in ſe deſiderium & ſtudium, non ſolùm virtutum, ſed etiam vniuerſæ perfectionis. Poſtremo ipſa eſt cunctis cælitibus dulcis ſuauiſonaque harmonia, quam efficiũt omnes illæ quas adeo æquanimiter fert aduerſitates, veluti tintinnabula aurea in corona mea ſuſpenſa. Sed de hoc ſatis. ¶ Ad alia feſtinemus. Ante quadrageſimam accidit, vt illa more ordinis lectionem ſtatutam in conuentu legeret, in qua dum occurrerent hæc verba: Diliges dominum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute tua, eadem verba pro deuotione mox repetiuit. Affuit autem tunc alia quædam virgo deuota, quæ hæc audiens compuncta orauit ad dominũ, dicens: O domine quantũ tu amaris ab illa, quę tam feruẽti te corde docet amandum? Cui dominus: Ab infantia, inquit, eius hanc portaui, interque amplexus meos foui ipſam, ſeruans immaculatam

Anima caſta Dei dilitiæ.

Gratiarum actio in aduerſis, Deo gratiſſima.

Aduerſitatũ tolerantia.

culatam

culatam in illam vſque horam qua ſe perfecta plenaq; mihi voluntate couniuit. Tunc enim ediuerſo in illius amplexus cũ omni virtute diuinitatis meę illi meipſum totum reddidi. Vnde feruentiſsimus amor illius erga me tũc adeo eſt etiã liquefactus, adeoque è regione erga illam meus: quomodo vapor ignis pręcedens liqueſcit ad flammã mox ſequenté. Pari nanque modo dulcedo cordis mei diuini à feruore cordis illius liquefacta eſt & ſoluta, vt ſtillare non deſinat in animã eius amoris guttas mira ſuauitate ignitas. Addiditque: Tanta huius animæ delectatione afficior, vt ſępenumero dũ ab alijs hominibus offendor, meipſum in ea quieturus inſinuem, atque preſſurã cordis aliamve moleſtiã tunc corporis eidem deſtinem. Quam dum tãta (vt ſolet) gratiarũ actione ſuſcipit, tanta ſuffert humilitate ac patientia, tanta denique illam deuotione in vnione paſſionis meę mihi offert, omnino me reddit placatum, facitque vt innumeris ſæpè hominibus illius amore parcã.

Reſpectu vnius Sancti Deus multis parcit.

¶ Cũm deuotam quandã hęc humilis virgo aliquando vt pro ſe dominum rogaret; oraſſet, illaque hoc faceret, audiuit dominum ſibi dicentem: Electæ huius meæ qui videntur defectus, iuſto plus vocari poſſent animæ eius profectus. Nam gra-

Inanis gloria. *Propria fragilitatis cognitio diſpellit inanem gloriam.*

tiarum abundantiam, quam in ea continuè operor, vix humana poſſet fragilitas à vento inanis gloriæ tueri, niſi virtutes eius cognitioni ſub defectibus abſconderentur. Nam quomodo ager quanto fuerit fimo vberiori impinguatus, eo ditiorem quoq; neceſſe eſt reddat ſegetem: ita hęc quoque ex cognitione ſuæ infirmitatis, abundantiorem mihi referet fructum gratiarum actionis. Eam ob rem quoque pro ſingulis defectibus vnde ſe adeò humiliat, ſingula ei largitus ſum dona: huiuſcemodi videlicet, quibus in oculis meis omnē queat imperfectionem abolere. Nihilominus tempore opportuno, cùm omnes defectus eidē mutauero in virtutes, vt ſplendidum lumen anima eius fulgebit. Et hæc pro ſecundo teſte hoc loco ſufficiant, quibus in ſequentibus plura addentur.

Quod in omnibus ſolam Dei gloriam quærebat, ſeipſam penitus contemnens.

CAPVT V.

TErtius eſt teſtis ſatis euidens, ipſa nimirùm eiuſdem vita & conuerſatio, in qua nihil non ſanctum apparuit: vtpote quæ non ſolùm verbis, ſed re etiam ipſa teſtata eſt, non ſuam ſed Dei in omnibus ſe

quæ-

quærere gloriam & voluntatem. Adhibuit enim omnem ſolicitudinem, omni vtebatur induſtria, vt hanc Dei voluntatem ſagaciter inueſtigaret, pro cuius amore crebro ſui honorem, ſuum corpus ſeu vitam atque adeo animá ſuam, vt congruebat, viſa eſt contemnere. Huic autem teſtimonio fides eo propenſior meritò habetur, cùm Iohannes quoque dicat: Qui quærit gloriá eius qui miſit illum, ille verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt. O felicem animá, quæ ſolam Dei gloriam adeò feruenter quæſiuit, cuius vita quoque verè ſancta manifeſtatur, ſuffulta tanto interim teſtimonio Euangelicæ veritatis. Porro de conſtantia eius, quamque fortiter neminé reſpiciens, Dei honorem iuſtitiam veritatemque zelata propugnauerit (vnde loqui cœperam) hoc indubitata fide tenédum eſt, à nemine hanc ſatis explicari poſſe. Potuit enim illud Sapientiæ ei haud incongruè applicari: Iuſtus quaſi leo confidens, ad nullius pauebit occurſum. Ná quia ſolus Dei amor impellebat, ſolus gubernabat: idcirco ſemetipſam totam pro huiuſmodi, hoc eſt, vel pro Dei honore & laudibus, vel pro animarum ſalute, adeo vilipédit, adeo quibusq; difficultatibus expoſuit: vt nihili prorſus duceret, nihil formidaret, quicquid propter-

Inueſtigatio voluntatis Dei.

Conſtans Zelus diuini honoris.

ea ſibi poſſet euenire, modò domini ſui gloriam aut augeret aut propugnaret. ¶ Idcirco etiam quicquid ſacra potuit lectione haurire, quod in ſalutem proximorum aut Dei honorem aliquando effundi poſſet, ſolicita ſedulaque collegit: idipſum pro nulla niſi pro Dei ſolius gloria faciēs, nihil expectās propterea à quouis homine laudis, nihil opinionis, nihil gratiarū actionis: ſed hoc tantum curabat, vt vbi fructū ſperabat vberiorē, illuc quæ ante ex ſcripturis collegerat, largius profunderet. Nam ad loca vbi ſacræ ſcripturę ſciebat inopiam, quatenus potuit libros & ea quæ erāt ſaluti magis neceſſaria, quo omnes Chriſto lucrarentur, deſtinabat. Ob eandē denique cauſam ſæpiſsimè viſa eſt ſibi requiem ſomniumq; ſubtrahere, cibum differre, reliquaq; corporis cōmoda aut aſpernari, aut intermittere: quo animabus, imò quo Chriſto, animas eidem reducendo, ſeruiret. Faciebat autem omnia hęc cum alacritate tāta ſpiritus, ac ſi in ijs non laborē ſed delitias ſentiret. Nec tamen ijs contenta, quinetiā contemplationis ſibi dulcedinem ſepenumero (vbi id neceſſarium videbat) ſubtraxit, vel vt tētatis ſuccurreret, vel cōſolaretur deſolatos, vel (quod illi erat deſideratiſsimū) ad Dei amorem aliquem accenderet. Nam

quomodo ferrum in igne totum ignis effi- *Simile.*
citur: ſic illa diuino amore accenſa, nihil
præterquã amor videbatur, vtpote omniũ
procurans ſalutem. ¶ Fruebatur nihilo *Dei iuge col-*
minus tamen adeo multo adeoque conti- *loquium.*
nuo Dei colloquio, vt ſuo tempore in ho-
mine ſimile viſum non ſit: nec tamen vn-
quam propterea notata eſt ſuperbire: ſed ſi
quid in ſe defectum inueniſſet, hos intuens
ad ima ſemper magis ſeſe humiliauit. Inde
illi vſu venit ſemper confiteri dona, quę ex
abundãti Dei receperat miſericordia, fru-
ſtra ſe habere, & abſque fructu negligere.
Omnium nanque ſe indignißimã arbitra- *Humilitas.*
batur, præcipue autem tunc, ſi quando do- *Communica-*
na ſibi collata, alijs nõ feciſſet communia. *tio donorum.*
Tunc enim ſibi videbatur ea quę non pro-
pter ſuam tantum vtilitatem recepiſſet, ſua
tamen deſidia neglexiſſe, illaque fimo abſ-
condiſſe. At verò ſi quem horum feciſſet
participem, gemmas, hoc eſt dona Dei, ar-
bitrabatur ſe auro ornaſſe. ¶ Quoſcunq;
enim homines vidit, ſibi præferebat, eoſq;
meliores ſe iudicabat. Atq; ideo dum illis
Dei dona communicaret, putabat illos ſola
cogitatione, innocentia, conuerſationeq;
mũda pl⁹ mereri, Deoq; inde laudes accre-
ſcere maiores, q̃ ipſa omnibus exercitijs
ſuis cũctiſq; corporis virib⁹ potuiſſet. Idq;

fieri arbitrabatur per ſuam indignitatem, vilitatem, ac negligentiam. Ea res, hoc eſt, humilis ſui cognitio profuudiſsimaque humiliatio, ipſam ſola vrgebat quare Dei dona alijs manifeſtabat, videlicet quia in ſe (vt putabat) eſſent ocioſa, manifeſtata verò in alijs ſaltem fructum & Deo laudem operarentur: præſertim cùm, vt dixi, crederet propter ſe dũtaxat nihil, verùm propter aliorum ſalutem omnia ſe recepiſſe.

Quòd in ea velut in intellectuali cœlo dominus virtutum habitauerit.

CAPVT VI.

QVoniam ſuprà dictũ eſt, in ore duorum triumve ſtare omne verbum: multo magis aũt ſtabit, vbi tam multi tamque fide digni ſunt teſtes, adeo vt nephas etiã queat æſtimari vel tunc nõ credere veritati, aut certè eandẽ vel reprobare vel impugnare. Nam etſi incredulus quis hanc impugnare niteretur, præſumptiõis ac temeritatis magis debebit erubeſcere, ſi non in ſeipſo vel paria vel potiora recipere dona meruit. Ad hæc eſſet ignominia dignus, quandoquidẽ cùm potuiſſet alienis gratulando profectibus eadẽ bona etiam ſua feciſſe, id neglexit. Debent igitur omnes abſque

Alienis profectibus & virtutibus con-

que dubio credere, hanc virginē electiſsimorum Dei eſſe vnā, cuiuſmodi ſuper cantica deſcribit ſanctus Bernardus, ſic dicēs: Ego puto omnem animā talem, non modò cæleſtem propter originem, ſed & cælum ipſum poſſe nō immerito appellari, propter imitationē. Et tunc liquido oſtendit, quia verè origo ipſius de cælo eſt, cùm conuerſatio eius in cælis eſt. Hinc ait ſcriptura: Anima iuſti ſedes eſt ſapiētiæ. Et: Cœlum mihi ſedes eſt, dicit dominus. Qui autē ex doctrina ſapit ſaluatoris ſpiritū eſſe Deum, etiam ſedem ei non ambigit aſsignare ſpiritualem. Confirmat me in hoc ſenſu maxime illa fidelis promiſsio: Ego (ait filius) & pater ad eum (id eſt, ad ſanctum hominē) veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Prophetam quoque non de alio cælo dixiſſe arbitror: Tu autem in ſancto habitas, laus Iſrael. Manifeſtè aūt Apoſtolus dicit, habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. Ego autem à longe ſuſpicio illos certè beatos, de quibus dicitur: Et inhabitabo in eis, & deambulabo in illis. O quanta illi animæ latitudo, quanta & meritorum prærogatiua, quæ diuinā in ſe præſentiā & digna inuenitur ſuſcipere, & ſufficiens capere. Quid illa, cui & ſpacia ſuppetunt & deambulatoria, ad opus quidē ma-

gratulando eaſdē noſtras facimus.

D. Bernard. ſer. 27. ſuper Cant.

Anima fidelis, cælum.

Sap. 7.

Eſa. 66.

Ioan. 14.

Pſal. 21.

Epheſ. 3.

2. Cor. 6.

Latitudo anima fidelis dilectio. ieſtatis? Creſcit enim in templum ſanctum in domino, cuius latitudo dilectio eſt. Ergo quantitas cuiuſque animæ æſtimetur de mēſura charitatis quam habet. Eſt ergo cęlum ſancta aliqua anima, habens ſolem, id eſt, intellectũ, lunam fidem, aſtra virtutes. *Anima fidelis quale cælum.* Vel certè ſol iuſtitiæ zelus eſt, aut feruens charitas, & luna continentia. Nec mirũ ſi libenter inhabitat cælũ hoc dominus Ieſus quod vtique non quomodo cæteros, dixit tantũ vt fieret, ſed pugnauit vt acquireret, *Pſal. 131.* occubuit vt redimeret. Ideo & poſt laborē voto potitus ait: Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Verum hæc Bernardus. Quod prædixeram itaque nunc monſtrabo, hanc videlicet vnā eſſe ex beatis illis animabus, quā multo excellētius quàm templum materiale ad inhabitandum elegerit dominus. Ad cuius laudem (quia ſic neceſſe eſt) ea quæ multis annis ſecreta quadam familiaritate ab hac ſancta virgine percipere potui, reuelabo. Sanctus itaq; Bernardus intellectuali cœlo, hoc eſt animæ ſanctę, quam ſua inhabitatione dominus dignatur: eſſe neceſſarium aſſeuerat decorem virtutum ceu ſolis lunæ ſtellarumq; claritatē. Quod quomodo in hac ſancta cōſummatum fuerit, quomodove quaſi radijs quibuſdam virtutum

ipſa

ipſa fulſerit, paucis explicabo. Inde enim (quod ſpero, cunctis erit indubitatum) à domino virtutum ipſam inhabitatã, quam intus foriſque tam ſplendifero ornauerit lumine gratiarum.

De conſtanti eius iuſtitia.

CAPVT VII.

IVſtitia ſiue diuini amoris zelus, quem beatus Bernardus ſupra videtur cõmendare ſub nomine ſolis, adeo in hac ſancta excellenter effulſit: vt ſi eam decuiſſet apparuiſſetve congruum, in mille armatorũ acies mediã ſe pro iuſtitię defenſione obieciſſet. Tam charum habuit amicorum neminem· tametſi à capitali eam ille tentaret hoſte liberare: cui vel tunc vno verbo in iuſtitiæ præiudicium aſtitiſſet. Facilius nanque, quatenus phas erat, in damnum propriæ conſenſit matris, quàm vt contra inimicum ſuum, licet moleſtiſsimum, in animo ſuo iniuſtitiæ locum daret. Porro ſi quem data occaſione vrgeretur increpare, tunc ſuperabat naturalẽ (quæ cæteris virtutibus in ea clarior emicare ſolebat) verecundiam: poſtpoſitoq; timore quouis humano ac inordinato, huius vnius confidẽtia nitebatur, cuius fide erat armata, cuiuſque cultum vniuerſo cupiebat mundo

inuehere. Deinde tanto deſiderio pietatis & gratia ſapientiæ conueniebat illum qui erat arguendus, tantaque gratia ſapientiæ ac diſcretiõis formabat verba (vtpote quæ linguam ſuam ante in ſanguinẽ dilecti ſui, quàm in cor ſcriberet alienum, tinxerat) vt nemo tam duro eſſet corde cui vel vna gutta inerat pietatis, qui per eius verba nõ moueretur ad ſtatum correctiorem, aut ſaltem ad emendandi vel deſiderium vel voluntatem. Porrò vbi per admonitionem ſuam compunctum quempiam aduertiſſet pœnitere, ad hunc conuerſa tanto eſt deſiderio, tantaq; erga illum compaſsione mota, vt confeſtim illi ſinum beneuolẽtiæ exhiberet pietatis, totoque corde liquefacta ſeipſam illi in quamcunque poſſet, offerret conſolationem. Neque tamen id corã hominibus tam multo verborum oſtendebat apparatu, quàm magno quamque ſedulo orationum deſideriorumq; ſtudio id agebat ante Deum. Cauebat nanque maxime in verbis, ne cuiuſcunque hominis cor ſibi attraheret, neve in eius inſinuaret ſe amicitiam, vnde quauis poſt occaſione à Deo retraheretur. ¶ Omnem enim amicitiam humanam, cuius aduertere potuit cauſam fundamentumq; non eſſe Deum, vt virus letale horrebat. Vnde pro Dei adeo zelata

Vius modus formãda linguæ.

Amicitia humana quæ et quomodo cauenda.

eſt

eſt amore ſynceriſſima hæc eius electa, vt ne vnum verbũ tolerare æquanimiter potuiſſet, quod humanũ ſenſualẽ vt redoleret amorem. Nam licet maxime eguiſſet, obſequijs tamẽ ac beneficijs cuiuſcunq; maluit carere, quam admittere, vt humano ſecum fauore cor fuiſſet cuiuſpiam occupatum.

De Zelo, quem habuit pro ſalute animarum.

CAPVT VIII.

QVantum animarum zelus religioniſque ac pietatis ſtudium cor eius accenderãt, teſtari potuerunt & eius verba & opera. Siquidem in proximo vbicunque aduertiſſet defectum quem ipſa corrigi deſideraret, ſi deſiderio ſuo fruſtraretur: propterea fortaſſe, quod ille, aut non præualeret, aut quod diligentiam conatumque nõ admoueret tantum quo emendatio ſequeretur: hoc adeo hui9 cor grauabat, vt haudquaquam potuiſſet conſolari, niſi vel orationibus ad Deum pro huiuſmodi homine fuſis, vel ſuis alteriusve quem huic ſciret negocio fore idoneum, exhortationibus eo rem perduxiſſet, vt quantulacunque ſaltẽ vidiſſet illius defectus emendationem. Vbi ſi quando (vt hominum eſt conſuetudo) eam quis conſolari volens, diceret nõ cu-

rare

curare eam debere eum qui ſeipſum nollet corrigere: ipſa pro eo nihil detrimenti, ſed ſuam eſſet laturus ipſe damnationem: hæc verba tanto audiebat retractabatque dolore, vt non ſecus atque gladium ſe penetrãtem ſentire videretur. Aiebat enim ſe mortem ſuauius ferre, quam hoc modo ſuper cuiuſpiam conſolari infelicitate: quam ille tunc primum miſera experientia diſceret, quando poſt mortem irremediabiliter ſupplicium incidiſſet æternum. ¶ Ad hunc quoque vſum conuertit, vbi in ſacris libris ſalutaria cõpunctiuaq; repperit, intellectu tamen difficilia: quæ mutato mox ſtilo latino faciliori intelligendi modo ſcribẽs, minus peritis vtilia reddidit. His autẽ occupationib' ac ſtudijs diẽ fere totũ cõſumpſit, videlicet à mane vſque ad veſperũ, aut faſtidioſe prolixa abbreuiando, aut difficilia explanando, aut certe colligendo fructuoſa quibus proximorum (quod ſuper omnia deſiderabat) promoueret ſalutem. Quod quantæ ſit virtutis, Beda pulcherrime deſcribit dicẽs: Quæ gratia ſublimior & Deo glorioſior eſſe conuerſatio poteſt, quã qui quotidiano exercitio alios ad authoris ſui gratiam ſtudet cõuertere, & crebro animarũ fidelium acquiſitione gaudium patriæ cœleſtis ſemp augere? Cui aſtipulatur Bernardus

nihil ſublimius neque diui nius quã cooperari Deo in reducendis animabus.

nardus dicens:Hoc ſiquidem vera & caſta contemplatio habet,vt mentem quá diuino igne vehementer accenderit, tanto interdum repleat deſiderio acquirendi Deo qui eum ſimiliter.diligant,vt ocium contemplationis pro ſtudio prædicationis libẽtiſsime intermittat,& rurſum potita votis tanto ardentius redeat in idipſum, quanto fructuoſius ſe intermiſiſſe meminerit.Si enim teſte Grego ſuper Ezechielem,Nullũ Deo tam laudabile eſt ſacrificium ſicut zelus animarum:quid mirum,ſi tam libenter quã dignanter hoc altare viuũ domin⁹ Ieſus inhabitet,in quo non minus frequẽter quã ſuauiter gratiſsimi ſacrificij odor ſibi adoletur? ¶ Quodam tempore illi præ filiis hominũ forma ſpecioſus dominus Ieſus apparuit,qui regalibus ſuis humeris domũ amplam magnamq; ſibi innitentem videbatur ſuſtentare.Allocutuſq; hanc ſuam electã hoc modo:Vides ne inquit, quanto labore,quanta cura ac vigilantia dilectam mihi hanc domum,hoc eſt religionem ſuſtentẽ?Hæc namq; per vniuerſum pene mũdũ ad ruinã declinat,propterea quod tam pauci in mundo reperiuntur ,qui pro illa tuenda promouẽdave fideliter aut operari aut pati velint propterea tibi ò dilecta mea congruit defatigationi meæ cõpati.Adiecitque

Promouere religionem quàm Deo gratum.

citq́ue dominus: Quicunque aut verbo aut quouis opere promouere conantur religionem, eamq́ue curant ad meliora erigere, hi velut columnæ ſuffultæ domum hanc quantum poſſunt, mecum ſuſtentant, meq́; onere ac fatigatione leuant. His verbis in intimo cordis cõmota virgo præ compaſſione domini Dei ac ſponſi ſui incitabatur vehemẽtius adhuc ſolito ad religionis promotionem ſummoperè augendam, adeo vt aliquanto tempore ſupra vires etiã ordinis ſui obſeruãtijs atque rigore, quo alijs imitandi præberet exemplum, ſe fatigaret. ¶ Verùm cùm aliquandiu fideliter hæc continuaſſet, non paſſus eſt benigniſsimus dominus & amator eius ſic dilectam diutius grauari, ſed voluit eam ad quietem introducere ſuauioris contemplationis: cuius tamen inter exercitia hæc, licet grauia ac moleſta, interim expers nunquam fuerat. Itaque per quoſdam fideles atq; ſecretos ſibi amicos dominus eam admonuit, vt ab huiuſmodi labore temperaret, & ſibi amantiſſimo tota vacaret ad interiora deinceps conuerſa. Quod ſancta virgo nõ abſque magna gratiarum actione ſuſcipiens, omni qua potuit vigilantia, ad deſideratæ contemplationis ocium ſanctum ſe contulit: in quo omnium deſideriorum ſuo-

S. Gertrudis ab æterno labore ad vacandum Deo vocatur.

ſuorum vnico eique ſoli vacabat ſuauiter: quem torum quoque e regione ad ſe conuerſum ſentiebat cum infuſione perfectiſſima omnium gratiarum. Cæterum de huiuſmodi amicis Dei ſecretis quæ illam monuerant, vt intermiſsis corporalibus exercitijs contemplationis quieti vacaret, extat ad huc cuiuſdam deuotę epiſtola, quam hic iuuat inſerere: quoniam illam e diuina reuelatione acceperat, & huic noſtræ Gertrudi his verbis miſerat: O deuota ſponſa Chriſti intra in gaudium domini tui. Ad te enim ineffabili dulcedine diuinum cor eius præcipue eſt inclinatum propter fidelitatem, qua tantopere in eius honorem pro veritatis defenſione operam nauaſti. Proinde ſummum illius pariter ac tuum beneplacitum eſt, deinceps requieſcere te ſub vmbra trauquilliſsimæ conſolationis ſuæ. Quemadmodum enim arbor bona iuxta riuos aquarum plantata, vbi ſuas in latum profundúque miſerit radices, fructus producit exuberantiſsime: Ita tu quoque dilecto tuo ſuauiſsimos profers fructus ei ſingulis cogitationibus verbis atque operib⁹ tuis Dei in te operante gratia natos. Nunquam cuiuſuis perſecutionis æſtu areſcere potes, quippe quæ diuinæ gratiæ inundatione indeſinenter rigaris. Nam quia in operibus

Epiſtola ad Gertrudem miſſa.

Veritatis defenſio quã Deo grata.

operibus tuis cunctis Dei,& non tuum quæris honorem,ideo ſancto feruore centuplum è ſimplo tuo offers dilecto fructũ: & hoc non ſolum in operibus ſanctis quæ perficis,verum etiam in omnibus ijs bonis quæ libenter velles tu agere,aut apud alios promouere,tametſi non valeas.Nihilominus ſupplet etiam dominus ipſe Ieſus Deo patri ſuo omnem indigentiam omnemque defectũ,ſiue in te,ſiue in alijs,propter quæ tu turbaris.Nã pro quocumq; huiuſmodi ſancto conatu,ac ſi opere illũ impleſſes,parat⁹ tibi eſt reddere mercedẽ.Inde etiã cœleſtis curia exultat vniuerſa tibi gratulãs atque Deum pro te laudando gratias agens.

De materna compaſſione eius erga omnes.

Caput. IX.

PRæter zelum iuſtitiæ, de quo iam ſumus locuti,inerat ei virtus compaſsionis cunctis admiranda.Nam ſi quando aliquem rationabili audiſſet merore affectũ grauatumve,tametſi longo ille à ſe diſtaret interuallo,curabat tamen illum,aut verbo aut literis conſolari,nec tamdiu illius interim immemor eſſe potuerit donec audiſſet animæquiorem.Quo modo enim is qui febri aliove languore oppreſſus,de die in diẽ

ſperans valitudinem optat meliorem: ita hæc ab hora in horam eos deſiderabat à domino cōſolari, quos nouerat grauatos. Impartiebatur autē hūc cōpaſsionis affectum non ſolū hominibus, verū quibuſque etiā creaturis, vbicunque eas (ſiue volucres eſſent cœli, ſiue beſtiæ terræ) moleſtia aliqua, puta fame, frigoreve didiciſſet grauari. His enim vt opificio ſeu operibus manuū Dei cōdolens, intima deuotione earūdem incōmoda in perpetuā laudem Deo offerebat, in vnione videlicet illi° dignitatis, qua creatura quævis à Deo optimo perfecta ac iuxta ſuum genus ſupreme nobilitata eſt. Orabat autem eundem dominum, vt ſuæ miſereretur creaturæ afflictæ, dignareturq; eam hac moleſtia leuare. *Quomodo orandum pro afflictis.*

De admirabili eius puritate.

Caput X.

CAſtitatem Bernardus in loco ſupra citato comparat lunæ. Hæc caſtitas quam lucide in ea fulſerit, vel inde liquet quo tā ipſa quā omnes qui nouerunt illam conſtanter ſolebant fateri, nunquā ipſam viri cuiuſcunque contemplatam eſſe vultum tam diu, vt ſpeciem figuramve illius qua poſſet illum denuo agnoſcere, intra ſo- *Ser 27 ſuper Cant.*

reti-

retinuiſſet. Eapropter quantumlibet viro ſancto habuiſſet loqui, tametſi res ipſa quoque tractanda vehementer fuiſſet ſecreta, tamen ab illo adeo pura recedebat, vt ne ſemel quidem oculos in illum leuaret. Hanc autem caſtitatem non ſolum in oculorum ſed etiam in verborum ſenſumque omnium continentia obſeruauit. E quibus tam lucida in ea ſemper fulgebat puritas, vt virgines reliquæ eius ſecretiores ſodales inter ſe quandoque ſolatioſe colloquentes, dicerent haud iniuria eam inter ſanctorum reliquias altari imponendam. Hæc tamen eius caſtitas non adeo eſt miranda, ſi quis mecum expendat quomodo ipſa præ cunctis mortalib⁹ quos nouerim, in ſacra ſcriptura atque adeo in ipſo domino Deo fuerit delectata. Quod ſane ſupremum eſſe remedium cuſtodiamque pro caſtitate quis neſciat? Teſtatur enim hoc ipſum & magnus Grego. Guſtato, inquiens, ſpiritu deſipit omnis caro. Hieronymus quoque: Ama inquit, ſcripturam: & carnis vicia nō amabis. Itaque teſtimonium vel hoc ſolum puta quod ſemper in mente ſacram reuoluerit ſcripturam, pro eius caſtitate, tametſi alia deeſſent, ei ſufficeret. ¶ Sed quia lectionis hic mentionem fecimus, non prætereundum eſt, quod inter legendum ſi quan-

Supremam cuſtodiam caſtitatis eſſe delectari in Deo & ſcripturis diuinis.

quando, vt fieri aſſolet, in ſacra ſcriptura illi occurreret quidquam minus pudicum aut vnde poſtea obſceni alicui⁹ imago memoria ve illi potuiſſet occurrere, ſi ſola erat aut vbicunque etiam poterat alibi clam illud non lectum pro virginea verecundia tranſiliebat Si vero haud poterat non lectum præterire, celerrime illud legebat, ac perinde ac ſi non intelligeret ſimulabat: niſi quod ruborem virgineum pudiciſsimæ ſuæ verecundiæ, qui tunc eius perfundebat genas, celare nequibat. Si præterea (vt interdum contigit) ab aliquibus minus intelligentibus de rebus huiuſmodi quæ etiam innocenter in carne fiunt, conſulta interrogata ve fuiſſet, quam potuit maxima tunc verecundia quidquid non pudice ſatis poſſet audiri, ſub velamine abſcondens reſpondit, animumque interea ab his ſuum adeo auertit, vt videretur tolerabilius, ſibi acuto interim ferro vulnerari, quã huiuſmodi audire ſermones ceterũ vbi ꝓpter animarũ ſalutẽ de huiuſmodi neceſſario erat loquẽdũ, ac ſi omnino inde nõ torqueretur eius verecũdia (modo operęprecíũ videretur illud ſic explicare) liberi⁹ eloquebatur. ¶ Cum ſemel ſeni cuidã probatiſsimæ vitæ de ſuis loqueretur ſecretis, tantam hic in ea aduertit puritatem

vt poſtea ſe nulli teſtaretur vnquam fuiſſe hominum locutum, à quo vt ab hac virgine omnem carnalem motum affectumque adeo inueniſſet alienum. Prætereo plura alia, quæ eius admodum teſtan.ur haud mediocrem caſtitatis exellentiam, quãdoquidem hoc vnũ Dei donum, videlicet puritatem cordis, ſi quis recte perpẽderit, nequaquam admirabitur cur ſua illi Deus ſecreta reuelauerit, quando ipſemet quoque in euangelio affirmat beatos mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt. Quod exponens inquit Auguſtinus: Non corporis ſed cordis oculis videtur Deus. Et quomodo lux mũdi iucũde videri non poteſt, niſi oculis mũdis: ita nec Deus videri poteſt, niſi puritate cordis quod conſcientia peccatorũ non reprehendit, ſed templũ Dei ſanctũ exiſtit. ¶ Non poſſum hic non referre pro puritatis eiuſdem teſtimonio, quod à quadam Deo déuota ac fide dignà audiui. Hæc dũ rogaret dominũ vt dignaretur nõnihil nũciare huic electæ ſuæ, idq; per ſe, hoc eſt per eam quæ orabat, faceret, fortaſſe loquendi cũ ea querẽs occaſionẽ, dominus reſpõdit. Hoc illi ex me nũciabis: Pulchra & amœna. Quæ verba dum ipſa nõ intelligeret, fudit orationẽ eãdem, eadem & quæ petierat ante repetens, ſed aliud à domino neque

A ſolis mentibus puris Deus videtur.

neque tunc neq; tertio quidem, quã primo reſpõſum obtinuit. Quãobrem admirãs vehementer dicebat: Dilectiſsime domine mi quid per hæc intelligere debeã verba, doce me. Cui domin⁹: Dic, inquit, ei quia ex pulchritudine interni decoris ipſa mihi placet ideo tã grãdis quoq; animã eius illuminat ſplẽdor puritatis, cum incõprehenſibili decore incõmutabilis diuinitatis meæ. Quod vero mihi ex ſingulari placet virtutũ amœnitate ideo eſt, quia vernãtiſsima iucũditas humanitatis meę deificatę in cũctis eius operib⁹ cũ imperturbabili viuacitate floret. *Puritas cordis illuminatio mentis.*

De confidentiæ dono, quo tam inter læta quam triſtia Deo fixe innitebatur.

Caput XI.

QVia, vt reor, iam ſatis de zelo iuſtitiæ compaſsionis caſtitatiſque huius virginis prædicando diximus: non eſt iam tacendum, quanta in ea viguerit confidentia ad Deum. Hoc namque cõfidentiæ donum (ſic enim videtur nominandũ potius quam virtus) quã in ea excellens fuerit, multis poteſt teſtimonijs ꝓbari. Omni namq; tempore adeo ſecura gaudebat confidentia, vt neque tribulationes, neq; dãna neque

Digitized by Google

neque etiam impedimenta quæcunque, imo ne delicta quidem ſi quæ fuere, aut eius defectus, obumbrare illam potuerint: quin conſtantem ſecuramque confidentiam ſemper ad benigniſsimam Dei miſericordiã retineret. Neque enim grauate ferebat, ſi ſenſibilem ei dominus aliquando gratiam ſubtraxiſſet: ſed perinde illi erat hanc habere aut non habere: niſi quod in aduerſis ſpes quandoque ipſam roborabat maior, qua certiſsime compertum habuit, tam aduerſa quam proſpera, nec minus interiora quam exteriora, omnia ſibi in bonum diuina id agente prouidẽtia, conuerti. Quomodo enim nũtius qui diu deſiderata habet apportare ſpe interim expectatur ac deſiderio: ita in aduerſitate vberius affuturam ſibi conſolationem expectabat diuinam, ad quam per inſtantem tribulationem non hæſitabat ſe præparari. Nunquam præterea adeo depreſſa, nunquam adeo propter ſuos defectus videbatur deiecta, quin diuinæ gratiæ præſentia releuata mox promptiſsima ad quæuis dona Dei redderetur. Quia & cum ſibi tenebroſa velut carbo extinctus videretur, ſubito tamẽ Dei cooperãte gratia reſpirãs, vbi per intẽtionem ad Deum ſe erigere nititur, mox quaſi in ipſo ingreſſu adhuc cõſtituta, Dei ſuſci-

Subtractio ſenſibilis gratiæ ſpem adauxit.

Subtracta gratia hominis animus & intellectus obtenebreſcunt.

ſuſcipiebat in ſe ſimilitudinem:atq; veluti homo de tenebris intrans lucem ſolis : ita diuina præſentia eiuſque gratiæ ſplendore hæc illuminabatur. Senſitq; decorem & ornatum omnem:quo decet reginam in veſtitu deaurato circumamictam varietate, immortali aſtare regi ſeculorum:ſibi reſtitutum, dignam quoque hinc diuina coniunctione ac familiaritate ſe factam. ¶ Familiare tamen illi ex proprio erat iuſtituto, dum maculis peccatorum quibus vita hæc præſens nunquam caret, ſe reſperſam ſentiret, ad pedes domini IESV confugere, vbi in eiuſdem ſanguine ab omni macula ablueretur. Veruntamen quando diuinæ gratiæ influxum ſentiebat ſibi occurrere vberiorem:tunc non ad pœnitentiæ exercitia ſe dabat, ſed diuino beneplacito eiuſque tractui ſe præuenienti libere conſentiens, in omnibus reddebat ſe velut inſtrumentum idoneum ad omne opus amoris in ſeipſa & ſecum ipſa exercendum, adeo, vt tunc non cunctaretur (quod in humanis rebus ſolet dici) cum domino Deo vniuerſorum ludere de pari. ¶ Ex hac confidentia vſu venit illi tanta gratia communicandi. Nunquam enim vel ſcriptura vel hominum relatione audire potuit, quam magna eſſent pericula, ad Euchariſtiã

Qui deliquis ad pedes Ieſu confugiet.

Confidentia communicandi vſum & gratiam ſuppeditat.

indigne accedentium, vt territa ijs propterea aliquando abſtineret, quin magis pietati diuinæ innitēs semꝑ firma ſpe libenter acceſsit. Animabat autem ipſam hæc ſua humilitas accedere, qua opera ſua bona atque ea quibus homines ſe præparare ſolēt exercitia, adeo arbitrabatur exigua ac fere nulla, vt ꝓpter eorundem negligentiā) vt fit apud alios) nunquam intermiſerit cōmunionem æſtimās omnem conatū hominis deuoti erga excellentiam gratuiti huius doni, hoc eſt euchariſtiæ, vix guttam dici poſſe comparatam pelago vniuerſi maris. Atque ideo quāmuis modum nullum præparationis diſcreuiſſet elegiſſetve præ cæteris ſingularem, freta tamen nihilominus abundantia incommutabilis diuinæ bonitatis, mundo ſtudebat corde feruentique amoris deuotione ſuſcipere ſacramentū.

Humilitas auxit confidentiam.

¶ Quecunq; à Deo receperat bona ſoli cōfidētię tribuit, æſtimās illa eo magis gratuita, quanto vere gratis atq; citra vllū meritū hoc nobile cōfidētiæ donū à Deo gratiarū omniū largitore recepiſſet. Hac cōfidētia adeo confortabatur, vt mori ſæpenumero deſideraret, diuinæ tamē ſemper vnita voluntati, cui ſe adeo conformabat, vt tā viuere quā mori perinde illi eſſet. Per mortem nanq; ſperabat æternā obtinere beatitudinem,

Conformare ſe diuinæ voluntati vel ad viuendum vel ad moriendum.

nem, viuendo vero diuinæ laudis incremē tū. Contigit aliquādo per viā ambulāti vt, in aſcenſu colliū ad decliuiora iterū cade ret: propter quod multo hilarior facta in ſpiritu domino loquebatur: Amabiliſsime Ieſu, quā bene mihi contigiſſet, ſi caſus ille mihi ad te celerius perueniendi dediſſet oc caſionem? Hæc verba dū inter nos admiraremur, percontantes, formidaret ne ſacramentis non munita mori? Reſpondit: Toto corde ſacramentis ſalutiferis opto ante muniri, quàm moriar ijs tamen cōfidenter præfero prouidentiā ac domini Dei mei volūtatem. Hāc.n. ſaluberrimā nō ambigo eſſe ad mortem præparationem, ꝑpterea morte aut ſubita aut diutina, vtrū illi placuerit ad eū optati⁹ eſt mihi venire. Spero.n. quarecūq; morte hac luce defuncta fuero, Dei miſericordiam nunquam mihi defuturam ſine qua æque mihi certa incubat damnatio tam in ea morte quæ improuiſa irruit, quā in illa quæ longe ante præuiſa eſt. Hoc modo in omnibus quæ ſibi euenerunt exultabat, quia ſecuram ſemper ad Deum habuit confidentiam alacremque ac fortem animum, qui nunquam deficiens perpetuo florebat. ¶ Huius confidentiæ teſtem hic cogor nunq̄ fallentem adducere Deū. Qui cuidam alteri ſibi deuotæ à ſe aliquid per

Saluberrima preparatio ad mortem.

taxat ſe eſſe, per quam gratiæ deique dona ad electos eiuſdem fluerent. Et hoc præcipuè propterea, quod cum omnium foret (vt credebat) ingratiſsima indigniſsimaque, Dei dona tam magna quam parua ocioſe & abſque fructu reciperet: hoc ſolo excepto, quod eadem Dei munera partim ſcripto partim verbo, cònaretur diſtribuere in ꝓximorũ ſalutẽ. Faciebat autẽ hoc tāta erga Deũ fidelitate, hoc eſt tāto zelo diuini honoris tantaq; humilitate reſpiciens ſeipſam, vt interdum de ſe quoque vel cogitare vel loqui ſoleret: Quãquã poſt mortem in inferno propter mea eſſem demerita crucianda, adhuc gaudebo dominum Deum ex alijs hominib⁹ per labores meos aut vndecunque recipere honorẽ. ¶ Neminem adeo agnouit vilem, in quem Dei gratiam non fructuoſius locatam, atque in ſe putaret. Propterea tamẽ nunquā Dei opera ſubterfugit, ſed vltro ſe donis ei⁹ quibuſq; paratā obtulit, quæ poſtea in proximorũ vſus expẽderet: quib⁹ ea multo plus q̃ ſibi arbitrabatur collata, quandoquidem ſua dũtaxat inſinuatione illi hæc ipſa dona recepiſſent. Neque. n. aliquid in huiuſmodi ſuũ præter ſolā inſinuationem agnouit. Tantum aberat, vt ſibi de beneficijs doniſque Dei vel modicum aſcriberet aut, vendica-

dicaret. ¶ Vnde ſemel accidit, vt in itinere conſtituta præ nimia ſui abiectione domino loquens diceret: Ah domine mi, inter præcipua quæ operaris miracula, hoc vnum ſingulare arbitror, quod me indigniſsimam terra fert peccatricem. Ad quæ verba dominus, qui humiliantes ſe exaltat, dignanter ac benigne reſpondens Libenter inquit, ac merito tibi calcandam ſe terra offert, quãdo vniuerſa quoque cœlorum dignitas ineffabili deſiderio expectat hanc horam iucundiſsimam, qua te dignanter portet. O admirabilem diuinæ bonitatis dulcedinem quæ tanto animam maiori erigit honore, quanto per ſui cognitionem illa ad ima ſeſe depreſſerit. ¶ Vanam gloriam licet præcipue haberet exoſam, hoc tamen modo potius vilipendit, quam impugnauit: verbi gratia, ſi quando cogitatio inanis gloriæ dum in oratione opereve aliquo erat bono, incidiſſet, non repugnauit, rem quaſi vilem atque indignam cum qua contenderet, huiuſmodi appetitum iudicans. Spreta igitur incidentia (quaſi libere conſentiret) in materiam potius eam vertit ſuæ humiliationis, hoc modo ſeipſam conſolans, & apud ſemetipſam cogitans: Si inquit, bonum hoc quiſpiam videns trahatur ad imitandum, tunc dominus

Vanam gloriam quomodo vicerit.

minus

minus Deus ſaltem hunc ex te fructum habet laudis alienæ, quandoquidem ex te nullum tu illi fructum adfers. Arbitrabatur propterea in huiuſmodi operibus ſe eſſe in eccleſia Dei tanquam laruam in domo patriſfamilias: quæ ad nihilum eſt vtilis, niſi vt fructuum tempore palo alligetur, aut in arborem ponatur, quo fugatis auibus ſeruentur fructus. Hoc modo cum alioqui eſſet inutilis (quod putabat) in aliorum ſaltem vtilitatem ſe conſtitutam conſolabatur. Vehementer enim zelabatur humilitatem. Proinde licet feruor miræ deuotionis atque diuinæ conſolationis ſuauitas adeo in ea eniterent, vt abſcondi non poſſent inter multa tamen quæ ad aliorum ſalutem ſcripſit, cõgruentiſſima ſanctitatis teſtimonia de ſe per humilitatem intermiſit. Veruntamen qui ſcrutatur renes & corda Deus, per ſeipſum de illa teſtatus eſt. Cuidam namque deuoto dum in ſupremo deuotionis feruore oraret, reſponſum eſt à domino: Scito electam meam quam familiariter mihi vt in ea habitem, adaptaui, tanta deuotionis dulcedine quantam tu modo ſentis, continue viſitari. ¶ Porro quod mirum in modũ hæc Dei dilecta in domino eoque ſolo ſen-

ſenſerit conſolationes,vel inde liquet, q͛ tranſitoria & caduca quæuis oblectamenta faſtidium illi incredibile generabant.Neque.n.ibi inuenit vnde cõſolaretur.Quod vere a[illegible]mantibus Deum quia conueniat, aſtipulatur Bernardus idem Dei amator mellifluus,dicẽs:Amanti Deũ omnia faſtidio ſunt, quamdiu fruſtratur eo quem ſolum deſiderat.Hæc ille. ❡ Accidit aliquãdo huic Dei electæ, vt ex conſideratione vilitatis, quam humanæ cuiuis ineſſe delectationi didicit, laſſata diceret domino: Ego vllam in terris nequ[illegible]rem inuenire, quæ me delectet præter te ſolũ dominũ meum dilectiſsimũ. Cui dominus quaſi vicẽ rependens: Et ego,inquit,neq; in cœlis neque in terris quid repio,in quo ſine te oblecter.Omnem namq; oblectationem quã in te habeo,per amorem in te cõſtituo.Et hoc modo ſemp in te delector cũ omnibus in quibus delector.Quò autẽ mihi hæc delectatio ſuauior eo tibi eſt fructuoſior.De hoc quoq; Bernardus teſtatur:Eſto, inquiens,quod honor regis iudiciũ diligat:ſed ſponſi amor ſolum requirit amoris vicem & fidem. ❡ Cæterum in orationibus vigi-

Orationis aſſiduitas.

lijſq; quam fuerit ſedula & frequens, ſatis reor inde elucet,quod orationis horam aſſuetam nullam vnq̃ neglexerit, niſi aut

ægri-

ægritudinis lecto incumbens, aut in proximorum ſalute ad Dei laudem occupata laboras. Quapropter dominus aſsidua præſentiæ ſuæ conſolatione in orationibus eã internæ exultationis oleo perungens, ad ſpiritualia exercitia multo reddidit fortiorem validioremque, quam corporalia potuiſſent efficere. Cum tanta enim delectatione mentis, ordinis obſeruabat ſtatuta: vt ſunt frequentatio chori, ieiunia, opera communia, & huiuſmodi: vt ea nunquam niſi vehementer admodum grauata omitteret. Cauſam huius Bernardus ſcribit dicens: O ſi quis ſemel guſtu charitatis inebriatus fuerit, ad omnem mox laborem & dolorem hilareſcit. ¶ Tranquillitatem amabat conſciẽtię & libertate ſpiritus gaudebat, adeo, vt nihil quod has perturbaret æquanimiter poſſet ferre. Inde eſt, quod homini cuidem deuoto à Deo commendata eſt non mediocriter. Siquidem dũ inter orandum à domino requireret, quid in hac ſibi dilecta potiſsimum placeret, reſpondit dominus: Libertas cordis. Verba admirans ille, quaſi minoris quam debuit æſtimans hoc donum, iterum domino dixit: Et ego domine hoc tibi præ alijs arbitrabar placere quod per gratiam tuam ad maiorem iam illa puenit & ſui agnitionem & tu feruentiorem

Ex oratione fortitudo & alacritas.

Amor Dei omnia condulcat.

Libertas cordis.

opinaris, ita eſt. Veruntamen gratia hęc libertatis media eſt, quæ adeo precioſum, adeo magnum eſt bonum, vt per eam haud dubie ſumma perfectio obtineatur. Per hanc electa hæc mea omni hora ad recipienda nobiliora bona inuenitur idonea. Nunquam enim admittit, vt cuicunque rei cor ſuum inhæreat quam auerſor, aut
Superflua remouenda. vnde queam ego impediri. ¶ Ex hac quoque libertate prodijt, vt vllam rem retinere, qua non indigebat, nunquam conſentiret: quin obtenta mox venia alijs daret, ea tamen diſcretione vt magis egenos indiguosque præferret, & amiciſsimos ab inimiciſsimis in hoc non ſecerneret. ¶ Si quid illi in mentem veniebat dicendum agendumve, hoc mox exequebatur, ne in ſeruitio Dei aut cõtemplationis ſtudio poſtea impediretur. Quod domino quoque quantum placeret, hac reuelatione innotuit. Cùm D. Mechtildis cãtrix dominum in alto ſolio videret ſedentem, & hanc Dei electam iuxta illum obambulantẽ, quę vultum domini quocũq; ibat ſemper reſpiciebat, licet interim nihilominus ea quæ foris ſunt, hoc eſt, actiuę vitæ exercitia, quę agere habebat, vigilantiſsimè curaret. Hæc, inquam, cùm D. Mechtildis videret, nec parum inde admiraretur, audiuit à domino:
Huius

Huius electæ meæ eſt conuerſatio coram me, quomodo tu vides. Omni nanq; tempore coram me ambulat, nunquam nõ deſiderans, indeſinenter quærens agnoſcere ſupremum cordis mei beneplacitũ. Quod quamprimum didicerit, feſtinat illud diligentia ſumma perficere: nec ibi tunc quieſcit, ſed ad aliud mox cognoſcendum perficiendumque iterato ſe feruore conuertit. Hoc modo tota eius vita laus mihi & honor. Ad hoc illa, inquit: Domine mi, ſi huiuſmodi eius eſt cõuerſatio, quomodo tũc euenire poteſt, quòd interdum alienos defectus tranſgreſsionesq; tam graues iudicat? Dominus perbenignè reſpõdit, dicẽs: Inde profectò, quòd quomodo ipſa ſuo nõ ſinit adhærere cordi vllã maculam: ita etiã æquanimiter ferre proximorũ non poteſt defectus. ¶ In veſtibus autẽ quibuſcunq; vtenſilibus nullo modo (vt plerique non abſq; periculo ſolẽt) curioſitatem aut conſolationẽ, ſed neceſsitatẽ atq; vtilitatem ſolam quærebat. Vnam quamq; verò rem eo arctius in Deo amabat, quo ex illa ad Dei honorẽ magis promouebatur. Proinde tabulam in quam ſępiùs ſcribebat, & librum quem legendo magis frequẽtabat, aut certè libros quibus aliæ crebriores inſiſtebãt, aut vnde ſe magis teſtabantur ædifica-

Veſtes quales eſſe debeant.

Creatura cur & quomodo amanda.

ri, magis amabat: propterea quòd Chriſto obſequium res huiuſmodi agere atque in eius honorem verti præ alijs videbantur. Nihil enim amabat niſi propter Deum, quamobrem quæ ad Chriſti amorem aut laudem magis ſeruiebant, magis ipſa quoque amabat. Adeo nanq; in Dei honorem & laudē cuncta referre aſſueuerat, vt à Deo etiam ſibi collatis bonis non ſibi, ſed ad Dei laudem vteretur. Quapropter quando etiam ob indigentiam ſuam aliquid expendit, gaudebat mirum in modum, perinde ac ſi in Dei honorem illud ſuper altare obtuliſſet aut erogaſſet in pauperes. Dominum enim in ſeipſa contemplabatur, cui ſe prouidiſſe gaudebat. Ideo ſiue dormiret ſiue manducaret ſiue aliud quid commodi aut requiei ſuo impenderet corpori, non aliter quàm ſi domino id feciſſet, exultabat. Nam (quomodo dixi) dominum in ſe & rurſus ſe in illo intuebatur. Ideo in ſe quoque illi & ſibi propter illum ſeruire ac benefacere geſtiebat, quo impleret dominicũ illud: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Se etenim exiſtimabat & minimam & viliſsimam omnium creaturarum. Ideo quidquid ſibi impendit, minimo qui ad Deum pertineret, arbitrabatur ſe impendiſſe. Porroquàm accepta

cepta Deo hæc fuerit deuotio, hoc modo illi monſtratū eſt. Cùm ſemel labore quodam grauatum caput cuperet refocillare, & propterea ſpecies quas aromaticas vocant, ad Dei laudem in ore teneret: tunc dominus ſua benignitate ſe ad illam inclinauit, quaſi hauſturus ex ea odoris fragrantiam, ſimulans odore hoc ſpecierum ſe egere & confortari. Nam paulo poſt idē ſe denuo erigens, ſuauiſsimum emittebat anhelitu ſuo odorem. Deinde lætabundo vultu quaſi gloriaretur de hoc, ad omnes ſanctos loquebatur: Ecce nunc quid noui à ſponſa mea receperim. Veruntamen licet (vt dixi) erga ſe hoc exercitio vteretur, incomparabiliter tamen maiori reficiebatur hæc ſancta gaudio, ſi quando beneficij quid eiuſmodi in proximum locaſſet: quàm gaudere ſolet auarus, ſi pro vno denario centū recipiat marcas. ¶ Omnia etiam ſua adeo habuit communia cum Deo, vt nihil niſi quod ipſe daret, habere vellet. Vnde quandocunque ſibi aliqua offerebantur e quibus erat acceptura, ſiue veſtes ſiue alia quæcunque eſſent, licet optionem haberet quæ vellet eligendi, nequaquam tamen elegit, ſed clauſis oculis extendit ad accipiendum: ea videlicet intentione, vt quicquid illi prærdi-

Beneficentia in proximū.

naſſet Deus habendum, eius diſpenſatione ac prouidentia hoc modo ſuſciperet. Itaq; quidquid tunc fortè appræhēdit, hoc ſumma acceptabat gratitudine, velut à domino Deo ſibi datum. Et ſiue optimum ſiue viliſsimum illud fuiſſet, non aliter amabat atque diuinis illud manibus ſibi eſſet datum. Hoc modo ſuam in alijs quibuſcunque intentionem ad Deum dirigens agebat, quæcunque erant agenda. Conſolabatur enim vehementer omnia referendo ad diuinam prouidentiam, omnia ex eiuſdem diſpenſatione beneuolentiſsima acceptando, quā in omnibus vbiq; intuens cōtemplabatur.

Omnia de manu diuinæ prouidentiæ accipienda.

¶ Iudæorum etiam & paganorū infelicitati ſæpenumerò cōpatiens, dolebat eos gratiarum atq; donorum ſuorum à Deo receptorum non fore participes. ¶ Emicabat præterea haud mediocriter virtus in ea diſcretionis, quòd hinc ſæpenumerò manifeſtatum eſt. Quanquā enim & ſapiētia vigeret & ſcripturarū ſententijs præ alijs maxime eſſet referta, adeo vt vna ſæpè hora multis conſiliū ab ea quærētibus & multifarijs in cauſis reſponderet tam prudenter, vt nō parum audientes demirarentur, ipſa tamē ea quæ ad ſe pertinebant aut intermittēda aut faciēda, humilitate maxima præcipuaque diſcretione ab alijs ante diſcutiēda iudican-

Aliorum conſilia diſcretè & humiliter requirenda.

dicandaque offerebat: quos dum conſuluiſſet, tam manſuetè humiliterq; illis acquieuit, vt raro aliquid quod ipſa conceperat, adeo illi placeret, quin multo libentius ſequeretur iudicium aliorum. ¶ Iam ſi de ſingulis alijs eius loqui vellem, virtutibus easq; prædicare ſingillatim, immenſum naſceretur volumē. Hoc tantum ſufficiat dixiſſe: omnes in ea virtutes ſingulari quodā enituiſſe candore, puta obedientiam, temperantiam, paupertatem ſpiritus, ſapientiam, fortitudinem, conſtantiam, gratitudinem, gaudium de ſui deſpectione ſeculique contemptu, reliquas quoque id genus alias. Nam de quibus ſupradiximus, adeo in ea luxere virtutes, vt eæ ſatis ſi etiam reliquas præterierimus, teſtari poſsint eius ſanctitatem. Virtus nanque diſcretionis, de qua pauloante dixi: quam matrē eſſe conſtat virtutum: mentem eius penitus obſederat. Confidentia quoque in Deum, quæ fundamentum eſt reliquarum virtutum, & cui nihil optandum à Deo negatur, nulla vnquam difficultate in ea deſijt. Humilitas deniq; virtutum cuſtos in cor eius adeo profunde miſerat radicem, vt nullo tentationum turbine poſſet euelli. Ad extremum regina virtutum charitas ipſa ad Deum & proximum, quomodo ſupradictum

Diſcretio mater virtutum.

Confidentia in Deum.

Humilitas.

Charitas.

dictum eſt, totam ipſam foris & intus poſſedit. Reliquas igitur virtutes breuitatis cauſa præterire cogor. Quamuis de ijs ſi loqui inciperem, multo (quod reor) plura occurrerent, quæ lectori maiorem fortaſſe ædificationem quàm faſtiditatem generarent: imo quæ non minus certè prædicanda admirandaque forent, atque ea quę iam dicta ſunt. Verùm (quomodo dixi) hæc ad conuincendum ſufficiant, hanc virginem Dei electam vnum reuera fuiſſe de cælis illis (vt ſuprà Bernardus ſcribit) in quo tanquam ſtellato ſolio dominus reſideret.

De mira verborum & orationum eius efficacia.

CAPVT XIII.

QVoniam de intellectualibus cælis, puta Apoſtolis, Eccleſia cantat: Hi ſunt cæli, in quibus Chriſte habitas, in quorum verbis tonas, fulguras ſignis, roras gratiam: conabor vtcunque poſſum oſtendere, quomodo hæc tria quoque huic Dei electæ conueniant. Initio nanq; vt de verborum virtute dicã, compertiſsimum ſemper habuimus, verba eius abſq; fructu inaniter vel ad ſe redire aut vix aut nunquã potuiſſe. Inerat enim illis virtus tam effi-

cax,

cax, vt rarus quis inueniretur, quem non penetrarent, ſed quodcunque & vbicunq; ſe niti vellet verbis perſuadebat. Vnde haud incõgrue ei illud Eccleſiaſtes potuit tribui: Verba ſapientis ſicut ſtimuli, & ſicut claui in altum defixi. Veruntamen quia infirma mens refugit quandoq; audire veritatem ſpiritu feruoris prolatam, contigit quandã ex familiaribus ſuis (quam hæc noſtra virgo durioribus verbis monuerat) eſſe turbatam. Quæ cùm precibus niteretur à domino obtinere (ducta nimirùm pietatis affectu) vt feruorem zeli in Gertrude hac tẽperaret, hoc modo docetur à domino: Ego cùm in terris ambularem, feruentiſsimas habui virtutum affectiones, vnde quæuis iniuſtitia mihi præcipuè erat contraria. In hoc itaque eſt mihi hæc quaſi ſimilis. Tunc illa: Domine, inquit, quod in terris verba tua reprobis quibuſdam videbantur dura, id alia cõtigit ratione. Hæc enim eos verborum aſperitate turbare vitur, qui homines perhibentur eſſe boni. Ad quod dominus ait: Et Iudæi in illis diebus ſanctiſsimi iudicabãtur, qui præcipuè tamen in me ſcandalizabantur ¶ Irrorauit præterea multis electorum per eius verba gratiam ſuam Deus. Qui ad vnum eius verbum dum loquentem audiſſent, ſæpè plus.

Feruentiſsimæ virtutum affectiones fuerunt in Chriſto.

plus teſtabantur ſe compunctos, quam ex prolixo ſermone etiam probatiſsimorum concionatorum. Quod verum eſſe probant abundantes, quas tunc fundebant lachrymæ, dum illa loqueretur. Sæpius nanq; vidimus rebelles durosq; ad illam accedere, qui ante à nemine poterant humiliari: verùm cùm pauxillum temporis eius audiſſent verba, mutari adeo, vt continuo promitterent in omnibus quæ deberent, ſe credituros ac obtemperaturos. Hanc autem gratiam non ſolùm verbis, verum etiã idq; multo maxime, eius orationibus didicimus collatam. ¶ Permulti nanq; grauibus tentationibus aut alijs moleſtijs quotidie grauati, vbi orationibus ſe illius commendauerunt, tam perfectè liberati ſunt, vt per amicos ſecretos ſæpenumerò rogarent Deo primum, deinde huic eius electæ, gratias pro ſua agi liberatione. Ex ijs quidã (quod tacendum non eſt) in ſomnis quoque ſunt admoniti grauamina huic ſua manifeſtare. Quod poſtquam fecerunt, plenam ſunt liberationem aſſecuti. Quid alij hic ſentiãt, prętereo. Equidem ego haud inferiora hęc eſſe arbitror miráculorum aut ſignorũ dono. Neque enim minus beneficium putandum eſt, quo animæ quam quo corpora ſanantur. Cæterum quo lucidius oſtendam,

Orationis virtus.

Vtile ſanctorum hominũ precibus ſe commendare.

ne illam quidem, puta miraculorum gratiam ei defuiſſe, ſed ſignis quoque quibuſdam infallibili teſtimonio à domino virtutum (qui eam incolebat) factam illuſtriorem: addam hic quædam ad eiuſdem virginis decorem, & ad illius qui eam huiuſmodi donauit mirabilibus, laudem & gloriam.

De quibuſdam illius miraculis

CAPVT XIIII.

QVodam anno accidit cælum tam diutinum tamque aſperum in Martio, vt homines pariter ac iumenta in periculum venirent mortis. Communis autem omnium erat quærimonia, quòd illo anno nulli creſcerent fructus, nullæ fruges, præſertim quæ in meſſem propter frigora eſſent venturæ: quandoquidem iuxta menſis, hoc eſt, lunæ aſtrorumque conditiones prædicabatur multo adhuc tempore gelu hoc duraturum. Quid faceret hæc Deo dilecta, communem omnibus audiens calamitatem? Profectò quomodo aſſueta fuerat cuncta huiuſmodi ad dominum referre, dum eſſet in Miſſa venerabile ſacramentum Euchariſtiæ ſumptura, pro hac re alijsque multis dominum rogabat.

Ac-

pluuia, vt formidarent omnes triticum reliquaſque ſegetes introduci ex agris non poſſe, aſsiduisq; propterea orationibus ad dominum clamabant. Inter quos dum ſemel hæc ſimul oraret, adeo vehemens importunaque domino inſiſtebat, vt ab oratione nollet ceſſare niſi & placatum ſentiret dominum, & promiſſionem reſtituendæ ſerenitatis acciperet. Quod vbi dominus illi promiſiſſet, nimia eſt etiam mox ſerenitas ſecuta, tametſi denſiſsimæ tunc nubes omnem repleſſent cælum. ¶ Veſpere quodam poſt cœnam, dum conuentus propter explenda opera curiam intraſſet, ſoleq; adhuc fulgente nubes in aere eſſent quæ pluuiam minarētur, gemebat illa ex imo cordis, & me audiente ſic dominum affabatur: O domine Deus vniuerſorum creator, nō opto vt indigniſſimæ meę volūtati tu quaſi compulſus obedias. Sed ſi liberaliſsima tua bonitas cōtra iuſtitię tuæ decorem dignantur propter me tantum hanc pluuiam continere, opto potius vt beneplacens voluntas tua perficiatur & reſoluatur. Hæc dixit ſuam reſignans voluntatem Deo, nihil tunc præter diuinam eius prouidentiā cogitans, cuius optabat perfici voluntatē. Mira res. Necdum verba finierat, fulmina, tonitrua, pluuiarumq; guttæ, cum impetu

pro-

proruperunt. Exterrita illa pro compaſſione ſororum, iterum dixit ad dominum: Bonitas tua ſe cõtineat clemẽtiſsime Deus (ſi tibi placuerit) tantiſper ſaltem, quoad laborem nobis perfecerimus iniunctum. Ad has preces benigniſsimus dominus, quo oſtẽderet ſe in omnibus illam audire, pluuiam donec labor eſſet conſummatus, ſuſpendit. Quo facto, & conuentu redeunte, licet in foribus adhuc cõſtituto, tam vehemens ingruit tempeſtas imbrium fulminumq; cum tonitru, vt quæ foris adhuc in curia manſerant, prorſus humidę redirẽt. Sic ſic dominus electorum ſuorũ, qui ſua illius amore omnia deſideria abnegarunt,

4. precibus obedit. ¶ Diximus quid circa proximos diuina benignitas per eam operata ſit. Iam ne quis putet ipſam pro alienis tantum hanc gratiam continuiſſe, referendum eſt igitur, quomodo etiam ſibi ipſi miraculoſe nõnulla, licet propemodum abſq; oratione, domino quaſi adiocando obtinuerit. Dum ſederet ſuper copioſo ſtramine, ſi quandoq; è manibus laberetur ei ſtilus, aut acus, per exiguumve huiuſmodi aliquid, quod vbi tanta eſſe ſtraminis congeries, nemo dignabatur quærere, propterea quòd reperiri deſperaretur: cunctis ipſa audientibus domino dicebat: O domine,

quan-

quamtumlibet quæram, abſq; fructu operam perdam, niſi tu reſtitueris. Da igitur vt inueniam. Hæc dicens, auerſis oculis, miſit manum domino eam regente, & mox ita extraxit quod quærebat, ac ſi in terra illud videns leuaſſet. In huiuſmodi autem omnibus quæ illi accidere conſueuerant, tam pro ſe quàm pro alijs quidquid agendum foret, ſiue magnum id foret, ſiue paruum, ſemper ad cōſiliarium fideliſsimumque adiutorē animæ ſuæ recurrebat. Hunc enim ſolum ſibi amatorem inuenit perpetuo conſtantem. ¶ Accidit poſtea alia ven- 5
torum auræq; tempeſtas nimiaq; ſiccitas, quā (vt fit) agris homines cauſarentur nimis pernicioſam. Dumq; ipſa pro hoc malo amouendo dominum exoraret, reſpōdit illi dominus: Cauſa quare electorum meorum preces interdum exaudio, inter me & te nō habet locum. Quoniam per gratiam meam tua voluntas adeo meæ vnita eſt, vt aliud atque ego neuqeas velle. Quia verò per hanc tempeſtatem quorundam corda mihi repugnantia corrigere ſtatui, quo ſaltem per orationem me quærant. (Nam alio quouis præſidio deſtituti ad me confugiunt) neceſſe eſt idcirco impræſentiarum hanc precem tuam non exaudiri. Veruntamen ne putes te gratis aut inani-

Digitized by Google

ter oraſſe, alio propterea te donabo munere ſpirituali. Hæc illa audiens, æquanimiter accepit, gaudẽs deinde cùm in eiuſmodi alijs ſi iuxta Dei beneplacitum non exdiretur. Verùm cùm ſanctus dicat Gregorius, probationem ſanctitatis non in faciendis miraculis ſitam eſſe: ſed in dilectione proximi, quem diligere debet vnuſquiſque ſicut ſeipſum) quod quomodo ab hac electa Dei impletum fuerit, ſuprà ſatis dictum eſt) reor propterea hic ſufficere quæ dicta ſunt de ſplendore miraculorum, quibus dominus eam, vt quam inhabitaret digniſsimam teſtaretur, glorificauit. Siquidem ad ea quæ prædiximus, idcirco præcipuè tracti ſumus, ne taceremus ea quibus obſtruerentur quorundam ora, clementiſsimæ miſerationi ac benignitati diuinæ obſtrepentium, commendareturque humilium confidentiæ, qui cuncta vel ſibi in profectum prçcipuè tunc, quando de ijs quoque bonis quæ proximis ineſſe credũt, æque ac de ſuis gaudent.

Probatio ſanctitatis non in miraculis faciendis, ſed in dilectione proximi ſita eſt.

De *ſingularibus excellentijs gratiarum huic virgini à Deo ad ſalutem proximorum ſalutem.*

CA-

CAPVT XV.

SEquuntur iam quæ tacenda non videbantur, licet non minori potuerim difficultate ea quàm ſi ſub lapide fuiſſent magno abſcondita, percipere. Nonnulla quoque ab alijs pijs hominibus omni fide dignis accepi teſtimonia de hac virgine, quæ huc duxi adijcienda. Permulti enim ad hanc perinde ac ad diuinum oraculum, dum in ambiguis fluctuarent, accepturi conſilium, ſolebant confugere: potiſsimè autem ij, qui ſcrupulis angebantur hæſitantes, deberent ne propter vnum aliudve quo mouebantur, à ſacræ Euchariſtiæ perceptione abſtinere. Quorum ſingulis quomodo expediebat ſuadens, inducebat eos, nonnullos item cogebat ſuper miſericordia Dei confidere, atque ad hoc ſacramentum pie fideliterque accedere. ¶ Accidit, vt dum ſemel metueret (quod puris mentibus fieri aſſolet) ne præſumptionis temeritatisve à Deo argueretur, quod ad huiuſmodi iuſto promptior reſponderet, aut certè nimium quàm par erat, ſibi authoritatis vendicaret. Eamobrem ad dominũ quomodo ſolebat, fide plena confugit, illi expandens ſcrupulum quo tenebatur. Quam dominus his verbis conſolatus eſt: Noli poſthac timere Conſolare, confor-

hilominus tamen iuxta promiſsionem in illius anima ego profectum operabor. ❡ Elapſis poſt hæc nonnullis diebus, cùm diuinam hanc promiſsionem admirabunda recoleret, nec immemor ſuæ eſſet vilitatis, à domino ſciſcitatur, quinam fieri poſſet, vt ſe viliſsimam hac gratia dignaretur, vt tam admiranda in ſe operaretur. Cui dominus: Nonne vniuerſalis eccleſia cōfitetur me ſoli Petro olim dixiſſe: Quidquid ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cęlis, & cętera: cum tamen ſimul credat hodie quoque hoc ipſum fieri per miniſtros eccleſiæ? Quare ergo & tu non credis me eadem & poſſe & velle implere, quæcunque amore diuino inſtigante, ore etiam meo tibi promitto? Deinde eius tangens linguam dicebat: Ecce dedi verba mea in ore tuo: & quæcunque ex inſtinctu meo alijs & nomine meo dixeris, ego in veritate confirmo. Cuicunque præterea de bonitate mea aliquid promiſeris in terra, ego illud firmum ac ratum habebo in cælis. Ad hæc illa domino reſpondit: Domine ego dolerem, ſi quis inde damnationem incurreret, ſpiritu me ad loquendum impellente & dicente nullū eſſe delictū, quod impunitum maneat, aut aliud huiuſmodi. Cui dominus reſpondit: Quando iuſtitiæ

Digitized by Google

uilegio te præfero, vt quicunq; de negocio etiam quocunq; humiliter ac fideliter requiſierit te, tu in luce veritatis meæ huius negocij intima perſpicies diſcernesque, quomodo ego illud diſcerno & iudico iuxta rei & hominis conditionem: & cuius ego cauſam iudicauero grauiorem, huic tu meo nomine durius reſpondebis: & e diuerſo pro leuioribus cauſis blandius reſponſum dabis. Hæc illa audiens ſuamque indignitatem agnoſcens, dixit ad dominũ: O dominator cœli & terræ, continue iam, quæſo, miſerationis tuæ exuberantiã, quia tanto dono, vtpote cinis & puluis, prorſus indigna ſum. Cui dominus ſuauiter blandiens dixit: Et quid magni æſtimandũ eſt, quod inimicitiarum mearum cauſas tibi do diſcernendas, cui ſæpiùs amicitiæ meæ ſecreta communicaui? Adiecitque etiam hæc: Quicunq; triſtitia preſſurave aliqua affectus, humiliter ſimpliciq́ue veritate in verbis tuis conſiliũ, aut conſolationẽ quęſierit, deſiderio ſuo nunquam fraudabitur. Ego enim Deus habitãs in te, impellẽte exuberãtiſſima amoris mei pietate, cupio per te benefacere multis. Porro gaudiũ quod inde cor tuum ſentit, ex abundantia diuini cordis mei abſque dubio haurit. ¶ Alio tempore pro commendatis ſibi dum ora-

ret, hoc à domino accipere meruit reſponſum: Quomodo olim ſub lege quicunque cornu altaris apprehendebat, pacem & immunitatem ſe gaudebat inueniſſe: ſic modò quoniam te ad inhabitandum miſericorditer elegi, quicunq; ſe tuis orationibus fiduciam habens commendauerit, per gratiā meam ſaluus erit. Confirmabatur autem huius diuinę promiſsionis veritas etiam aliundè, puta ex teſtimonio dulcis memorię dominæ Mechtildis cantricis: cui pro hac Gertrude oranti monſtratum eſt cor eiuſdem in ſimilitudine firmiſsimi pontis, qui pro vna parte Chriſti humanitate, pro altera verò eius diuinitate, ceu duobus muris videbatur munitus, intellexitq; dominum ſibi dicentem: Quicunque ad me per hunc pontem conantur venire, nunquam cadere poſſunt aut hallucinari, hoc eſt: Quicunq; verba huius ſuſceperint monitisque eiuſdem humiliter obedierint, à recto itinere quod ad æternam ducit vitam, imperpetuum non deuiabunt.

Quamobrem iuſſerit dominus hunc librum edi.

CAPVT XVI.

CVm hæc ſancta virgo Dei eſſe voluntatem, vt ſcripta hęc ad hominum venirent

nirent notitiam, intellexiſſet: admirans ſecum mente reuoluit quænam huius poſsit fore vtilitas, quando iam animo firmato decreuerat in vita ſua nulli hæc manifeſtare. Poſt mortem vero ſuam nil aliud ſupereſſe, quàm vt legentes multi turbarentur, propterea quod inde nihil poſſent ædificationis haurire. Hæc dum ita meditaretur, dominus eius cogitationibus reſpondit, dicens: Et quid tibi vtilitatis videtur inde prouenire, quòd ſcriptum legitur beatam Catharinam, dum eſſet in carcere, à me viſitatam, illique à me dictum: Conſtans eſto filia, quia tecum ego ſum? Aut quid inde quòd legor Ioannem ſingularem mihi dilectum viſitaſſe, dicens: Veni dilecte mi, &c. Nam & alia multaque ijs plura tam de his quàm de alijs ſanctis meis, cur leguntur, niſi vt legentium audientiumque augeatur deuotio, & erga humanum genus pietas mea reueletur? Subiungensque: Pari, inquit, modo aliquorum poteſt accendi deuotio ad eorundem deſiderium, quæ te legunt accepiſſe ex me, conſiderantiũ gratiam & liberalitatem bonitatis meæ, qui ſubinde ſtudebunt ſuam mutare vitam ad meliora. ¶ Alia vice denuo admiranti cur tantoperè à domino in ſpiritu ſentiret ſe ad manifeſtanda hæc ſcripta im-

Digitized by Google

impelli, cùm non ignoraret ipſe pleroſque futuros animo puſillos, qui non ſolùm nihil inde ſumerēt ædificationis, ſed vilipenderent etiam & calumniarentur, dominus reſpondit: Ego gratiam meam tali modo in te poſui, vt magnum inde fructum exigam. Quare vellem eos, qui ſimilia dona habentes, per negligentiam paruipendūt, cùm de te hæc audierint, admonitos fore, quo etiam ipſi collata ſibi dona agnoſcant, atque in gratitudine (vnde mea in illis gratia augeatur) creſcant. ¶ Porro ſi qui maligno corde maluerint ea calumniari, peccatum illorum ſit ſuper eos te immuni perſeuerante. Propheta nanque ex me dicit: Ponam eis offendiculum, ac ſi diceret: Multa diſpono, permitto, aut iubeo in ſalutem electorum, licet inde reprobi ſcandalizentur. Hoc ſenſu etiam virgo illa verba accepit, intelligens dominum ſæpenumerò inſtigare electos ſuos, vt aliqua faciant vnde alij ſcandalizentur, licet non propterea id fiat, vt ſcandalizentur proximi. Atq; ideo electi non debent ea opera bona omittere, vt pacem ab ijs qui omnia interturbant ac peruertunt, habeāt. Optima enim pax eſt bonis mala vincere, hoc eſt, non omittere ea quæ Deo quis ſcit eſſe beneplacita: licet imperfecti & mali ea peruer-

Optima pax.

uertant, aut propterea murmurent. Nam eiuſmodi homines non omittendo Deo voluntatem, ſed obſequijs ac beneuolentijs alijs placandi atque vincendi ſunt. Hic enim ſanctior eſt modus lucrandi proximũ. In quo ſi quis nihil etiam profecerit, propter eorum obſtinatam duritiam qui volũt melioribus aduerſari: mercedem tamẽ humiliationis ſuæ nihilominùs magnam obtinebit. De ijs verò qui diuinis operibus credere nolunt, dicit Hugo: Quia fideles ſemper aliquid habent vnde dubitare poſſent, & infideles vnde credere valeãt: iuſtè & fidelibus pro fide datur præmium, & infidelibus pro infidelitate ſupplicium.

Modus lucrandi proximum.

Cur fideles præmium & infideles ſupplicium ſortiantur.

De teſtimonijs euidentioribus, quod dominus per iſtam omnia beneplacita ſua operabatur, abſque vllo impedimento.

CAPVT XVII.

CReſcente in hac Dei electa cum cæteris virtutibus humilitate, creſcebat & caſtus Dei timor atque ſui cognitio profundior: qua ſuam vilitatẽ indignitatemque indies perpendens, tot tantiſque Dei donis ingratam ſe iudicabat. Quapropter felicis memoriæ D. Mechtildem in gratia reuelationum nunc opinatiſsimã, accedẽs

Digitized by Google

eius reuerentiæ humiliter ſupplicat, vt ſuper ijs donis iam ſupradictis dominũ conſuleret. Cupiebat autem non quaſi dubia ſuper acceptis donis fieri certior, ſed ad gratitudinem maiorem prouocari, atque cõtra puſillanimitatem roborari futuram, ſi quando poſthac indignitatis ſuæ nimietas conſiderata eam ad vacillandum pertentaret. Itaque cùm D. Mechtildis iuxta quod rogata fuerat, ſe ad conſulẽdum pro ea dominum in orationem dediſſet, vidit dominum Ieſum ſponſum floridum & delicatum atque præ angelorum milibus forma ſpecioſum veſtibus viridibus, quę intus aurei videbantur coloris, indutum, & hanc pro qua orabat, dextera ſua delitioſa blandè amplectentem: ita vt latus virginis ſiniſtrum vbi cor iacet, quaſi affixum hæreret aperturę amatorij vulneris Ieſu. Vidit quoque illam Gertrudem è diuerſo ſiniſtra ſua dominum Ieſum quaſi dorſotenus circumplectentem. Admirans igitur quid hæc indicare vellet viſio, ſcire cupiebat. Cui dominus ait: Per virorem veſtiũ mearum quę intus aureo ſubornãtur colore, ſcias ſignificari diuinitatis meę operationẽ totam ex amore florere & virere. Et hæc replicans: Tota, inquit, floret & viret operatio mea in anima iſta. In hoc verò quia cernis cor eius

Viſio D. Mechtildis.

lateri

lateri meo applicatum, intellige quod eam adeo mihi appoſite applicuerim, vt omni hora ſuſcipere diuinitatis meæ influxum queat. Tunc ſic illa longius percunctatur: Dediſti ne domine mi, huic electæ tuæ dona huiuſmodi, quibus tuto poſsit pro negotijs dubijsve elucidandis venientibus quibuſcunque ad ſe reſpondere & ex ambiguitatibus eos extricare certioreſque ac tutos in veritate cognitionis tuæ facere: Eſt ne apud te & hoc firmum, vt omnes per eam te quærentes ſalutis æternæ ſine ſubſidium inuenturi? Hæc enim ipſe es ei pollicitus, his & his verbis, quæ pro ſui inſtructione & humilitatis cauſa ipſa mihi reuelauit. Ad quod perbenigne dominus reſpondens, dixit: Ego certe ſingularibus ipſam præeminentijs ijs donaui. Quidquid ſperare poteſt quiſpiam ſe per eandem accepturum, abſque dubio obtinebit. Deinde quemcunque ipſa altaris communione iudicauerit dignum, hunc miſericordia mea nunquam habebit indignum. Tertio ſi quem ipſa ad communionẽ hortata fuerit, hic affectuoſius à me reſpicietur. Quarto denique, ſingulorũ defectus ad ſe venientiũ iuxta diſcretionẽ meã diuinã iudicabit ipſa, vel leuiores vel grauiores, quomodo ego eos iudico

Prærogatiuæ S. Gertrudis. 1 2 3 4

¶ Verum-

¶ Veruntamen quoniam tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cælo, ſcilicet pater, verbum, & ſpiritus ſanctus: ſic ipſa ad ea quę loqui vult, trium horũ quę ſequuntur, teſtimoniũ debet reſpicere. Primò obſeruet cùm loquitur alicui, ſentiat ne ſpiritum ſe intus impellentem ad loquendum.
2. Secundò aduertat, an ille cui loquitur doleat, aut ſaltẽ dolere velit pro ſuo defectu.
3. Tertiò obſeruet, bonam ne habeat ille cui loquitur voluntatem. Hæc tria vbicunque inuenerit, ſecurè & abſq; vllo dubio ſcrupulove, quidquid dignum iudicauerit, reſpondeat: quia ego certè omnia rata habebo, quæcunq; illa de mea pietate huiuſmodi hominibus ſpopõderit. Adiecitq;: Quotieſcunque voluerit illa cuipiam loqui, ante quaſi ad me aſpirando ingemiſcat, quo in ſe attrahat cordis mei diuinam aſſpirationem. Exinde quidquid locuta fuerit, tanquam ex me dictum indubitatũ ac certum habeatur. Neque enim ipſa neque audientes fallentur, quin cordis mei ſecretũ per illius verba innoteſcat. Deinde addidit hæc quoque dominus: Verborum tuorum ipſa (quia te miſit ad me) fidele teſtimonium ſeruet: vt ſi poſt aliquod tempus diutinum ſenſerit in ſe acceptam gratiam aliquantulum tepeſcere (vt fit nonnunquam) propter

Ante locutionem quid faciendum.

propter occupationes, & varias, & multiiuges: nequaquam tamen mihi diffidat, neque de gratia mea addubitet: quia prædictorum priuilegiorum dona certiſsima firma nunquãque peritura illi cunctis diebus vitæ eius ſeruabo. ¶ Iterum interrogauit D. Mechtildis: An Dei hæc electa Gertrudis culpam contraheret etiam, aut vnde id fieret quod omni hora illa feſtineret perficere quidquid tunc forte eius menti faciendum incidiſſet. Nam æquè ſemper eius erat parata conſcientia, ſiue oraret, ſiue ſcriberet, legeret, aut proximos inſtrueret, corriperet aliquos, aut conſolaretur. Dominus reſpondit: Ego cor meum tam miſericorditer quàm inſeparabiliter eius animæ coniunxi, vt mecum effecta ſit vnus ſpiritus. Hinc vſu venit illi in omnibus & ad omnia voluntati meæ tam concorditer conſentire, vt maior concordia non ſit membrorum corporis ad ſuum cor, quàm animæ eius ad me. Quomodo enim homo dum cogitat in corde ſuo: fac hoc, confeſtim manus quia conſentiunt & obtemperant cordi, mouẽt ſe ad faciendũ. Quando item cogitat: Vide illud, oculi conſentientes abſque mora aperiuntur: Sic iſta quoq; mihi indeſinenter adeſt, & ſingulis horis quod ego intendo, illa perficit. Ego enim illam.

illam ſingulari modo præ alijs inhabitandam mihi elegi, quamobrẽ voluntatis eius & inde etiã opus bonæ voluntatis ei⁹ cordi meo inhęret, quaſi dextera mea qua operor quæcunque volo. Intelligentia ipſius eſt mihi oculorum loco, dum intelligit ea quibus ego oblector. Et impetus ſpiritus eius eſt mihi ad modum linguæ, Nam hoc ſpiritu impellente loquitur quæ ego volo. Diſcretione ipſius vtor, vt auribus: quandoquidem aures miſericordiæ meæ ad ea ſe inclinant ad quæ ipſa pietate compaſsionis flectitur. Eius intentionẽ habeo pro pedibus dum ipſa hoc intendit quod ſe qui me decet. Inde fit, vt ſecundum impetum ſpiritus mei ſemper cogatur feſtinare vt vna re abſoluta ad aliam iuxta meum inſtinctum accincta parataque inueniatur. Optime autem pacata eſt eius conſcientia nec ſcrupulo angitur, ſi de conſuetis exer, citijs propterea quidquam neglexerit: quia ad obediendum voluntati meæ id licet intermiſſum videatur, aliunde tamen vbi mea eſt per ipſam voluntas impleta, idipſum duplicato fructu compenſatur. ¶ Alia quædam Deo deuota quæ in ſpirituali cognitione ſatis illuminata & probata erat Deo gratias agebat pro donis huic virgini noſtræ collatis: cui viſio iuxta ac reuela-
tio

tio de huius electæ priuilegijs deque eius animæ vnione cum Deo reuelationi D. Mechtildis, quæ iam dicta eſt, conformis atque prorſus ſimilis illata eſt: vnde facile conſtat ſupradicta hæc vera & firma infallibiliter prodire ex Deo, cuius teſtimonia credibilia facta ſunt nimis: quandoquidem vtriuſque, hoc eſt D. Mechtildis & huius deuotæ aures, id eſt, intelligentiam dominus æque reuelauit, vt eiuſdem ſuſurrij ſui venas quaſi ſibilium auræ tenuis, pari modo de huius virginis ſtatu ſuſciperent: licet vtrobique non plus de alterius reuelatione conſtaret alteri, quàm Romanis hoc momento ſcire datum eſt quid interim agant Hieroſolymitani. Veruntamen hæc deuotam ſua reuelatione hoc quoque addidit ſibi manifeſtatum, videlicet omnia, quæ beata Hæc Gertrudis tunc recepiſſet gratiarum Dei dona, multo ijs eſſe minora quæ adhuc domino infundente receptura erat. Addensque: Ad tantam, inquit, cum Deo vnionem perveniet, vt oculi eius non videant niſi quod per eos Deus vult videre: nec os eius loquetur aliud prę terquam quod per illud dominus voluerit loqui: & ita de reliquis. Porro hoc donum quando a domino receperit aut quomodo impletum ſit, largitori omnium munerum

rum ſoli,& illi cui feliciter hoc datum eſt experiri,notum arbitramur; quamuis etiā eos non omnino latuerit,qui ſagacius veſtigando dona in ea ſancta potuerunt intelligere.

Quomodo manſuetudinem,patientiam, animique tranquillitatem ſeruauerit,omniaque Dei opera ab eiuſdem manu læta acceperit.

CAPVT XVIII.

DVm quadā vice D.Mechtildem hæc Dei electa rogaſſet,vt pro ſe orando virtutem manſuetudinis ac patientiæ ſibi à domino impetraret (his enim præcipue ſibi videbatur indigere) ac D. Mechtildis, vt rogata fuerat,vbi pro hac gratia illi obtinenda dominum orabat, hoc ab eodem accepit reſponſum: Manſuetudo quæ mihi in ea placet, nomen accepit à manendo. Quia vero iugiter ego in ea habito, decet vt ipſa maneat quoque mecum. Aut ſi neceſſe habet exire, faciat quomodo ſponſa agit delicata, quæ ſponſum habet præſentem. Hæc enim dum opus habet vt egrediatur, tenet ſponſi manum educens illum ſecum. Hoc modo ipſa quoque cum neceſſarium opportunū've illi videbitur, à dulci quiete

quiete contemplationis internæ ad agendam proximorum ſalutem exire, imprimat cordi ſuo ſalutiferum ſignum crucis: & antequam loquatur, vel vno verbo nomen meum exprimat. Deinde quidquid ex gratia illi mea inciderit, proferat. Simili quoque modo quæ mihi in ea placere debet pacientia, nomen accepit à pace & ſcientia. Tale namque ſtudium debet ei ineſſe cum pacis tum patientiæ, vt in aduerſitate quacunque nullam harum amittat. Semper etiam in mente habeat ſciatque quare patiatur, hoc eſt nō aliud in ſe inueniat quare patitur aut quare ad patiendū ſe offerat, quā ex amore quo veræ fidelitatis mihi ſignum exhibeat. ¶ Alius quidam cui hæc virgo prorſus erat ignota, niſi quod illius orationibus ipſa ſe iamdudum commendauerat, dum pro ea oraret, à Deo reſponſum eſt illi Ego vt delecter in ipſa elegi eam mihi inhabitandam. Quidquid igitur in ea diligitur opus eſt meum, & opus meum in ea diligit quiſquis eam diligit. Quapropter qui in ea dona interiora ſeu ſpiritualia non capit, ſaltem diligat exteriora dona mea in ea, puta habilitatem, facundiam, & ſimilia. Equidem propterea feci eam ob omnibus parētibus & amicis exulem, vt propter conſanguinitatem nemo eam amaret, ſed ab omnibus

Non ante locutionē quid faciendum.

Elegans deſcriptio veræ patientiæ.

nibus cur amaretur, ſolus ego cauſa eſſem. ¶ Alius ſimili modo dum rogatus pro hac uirgine oraret, ſimul à domino ſciſcitabatur vnde accideret, vt hæc virgo quæ tot annis diuinæ præſentiæ familiaritatem foret experta, in ſe videretur ſibijpſi tā negligenter viuere: quamuis tā graui culpę nūquā ſe agnoſceret obnoxiā, vnde ſentiret ſibi dominum iratum. Cui dominus reſpōdit: Quod nunquam me illi iratū exhibeo, hinc eſt, quia opera mea cuncta vere iudicat iuſta & optima, nec propterea conſentit perturbari. Et licet illi quandoque quæ eueniunt ſint moleſta moleſtiam tamē animi omnem in hoc aut temperat aut depellit, dum ex mea prouidentia ſic ordinante accidiſſe hæc cogitat. Atque ideo ſemꝑ me illi placatum exhibeo. Hóc poſtquā virgini ſanctæ innotuit, dominum videlicet ſuapte bonitate ſic reſpondiſſe, deuotiſsimas vt decebat eidem pro huiuſmodi dignatione ſua paterna gratias agebat inter cætera ſic dicens: Dulciſsime amator, quomodo hoc fieri poteſt, vt, tua clementia iniquitatem meam tantam tamque multiplicem tam longanimiter ferat, idque propterea ꝙ prouidētia, ordinatio, atque cuncta opera tua perfectiſsima atq; laudabiliſsima mihi diſplicere nequeūt: cū tamē hoc, videlicet quod

Quomodo vitari queat mentis perturbatio & moleſtia.

quod placent, non meæ ſit virtutis, ſed perfectionis & felicitatis tuæ ſuperbenedictæ: qui nihil iniquum, nihil non optimum, nihil non laudabiliſsimum, potes operari? Tunc dominus ſimilitudine hac vtens ei reſpondit: Quando lector ſcripturam videt exiguam quam lecturum ſe diffidit, ſpeculum ſumit, ad cuius vſum litera appareat grandior: hoc tamen non ex mutatione ſcripturæ, ſed ex vſu contingit ſpeciali: Sic in te, o filia, tam imperfectiones quã defectus ſi quos inuenio, ex abundantia liberaliſsimæ benignitatis meæ ſuppleo atque reſtauro.

Non elegantem ſimilitudinem.

De clariori illuſtratione, familiarioriqne coniunctione animæ eius ad Deum.

CAPVT XIX.

CVm aliquamdiu à domino non eſſet viſitata, nec tamen grauate id ferret: accidit ſemel, vt opportuna occaſione data, vnde hoc eſſet dominum interrogaret. Cui dominus reſpondit: Vicinitas nimia amicos quandoque ne ſe mutuo queant perfecte contueri, præpedire ſolet. Verbi gratia: Si quis amicum aduenientem amplexatur, fit interea ob nimiam cõiunctionem, vt delectatio viſus impediatur.

Subtractio gratiæ quando meritum augeat.

tur.Hoc illa audiens, mox intellexit ſubtractione gratiæ meritum hominis quandoque multiphariam augeri:ſi tamen ſubtracta gratia illa homo bene agendo ac ſe mortificando non inuenitur ſegnior, licet cum labore tunc operetur grauamenque maius ſentiat. ¶ Deinde cum ſemel mente reuoluerit,quomodo accideret, à domino ſe aliter nunc quam in ſuperioribus annis viſitari,dominus illi dixit:In primis annis ſæpius te varias reſponſiones dando erudiui,quo poſsis alijs quoque hominibus meum beneplacitum inſinuare.Modo vero in tuo duntaxat ſpiritu, quem illuſtro, facio te ſentire intelligereque inſpirationē meam:quam verbis explicare,res valde eſſet dificilis. Ad hoc namque te elegi, ad hoc vtor te vt ſis tanquam triclinium theſaurorum meorum, in quod gratiarum mearum diuitias colligam: prouidēs,vt vnuſquiſque quæ quæſierit in te inueniat, tanquam in ſponſa quæ omnium ſecretorum ſponſi ſui conſcia eſt,& propter diutinam cohabitationem cum ſponſo eiuſdem in omnibus voluntatem & beneplacitum agnoſcit Hanc.n.ſponſi voluntatem, quam pro ſingulari familiaritatis gratia à ſponſo didicit,alijs debet reuelare. ¶ Cæterum quod ſingulari modo, vt ſupradi-

ctum

ctum eſt, deinde illuſtrata ſit: hoc in ſe quomodo experta ſit, alijs quoque confeſſa eſt. Nam dum pro re aliqua licet feruentiſsime oraret, nullomodo potuit quomodo ſolebat, reſponſionem à domino obtinere: ſed in hoc tantum præcipue conſolabatur, quando gratiam ſentiebat pro aliquo orādi, quia tunc experientia ſimul ac diuina inſpiratione docta, certiſsimum illud ſciebat pro quo orauerat, futurum nihilo ſecius atque eo tempore, quo dominus reſpondēdo illi eam aſſecurabat. ¶ Si præterea conſilium conſolationemve ab ea quiſpiam quærebat, mox adhuc dum præſens aderat, ſentiebat ſibi reſolutionem conſiliumve quod illi reſponderet, infundi cum tanta fide, ſecuritate & certitudine, vt pro huiuſmodi ſic infuſæ veritatis aſſertione mortē auſa fuiſſet ſubire: quamuis ante de huiuſmodi re & quomodo reſpondendum foret, neq; ab homine, neq; ex lectione didiciſſet, imo ne minimū quid etiam fuiſſet præmeditata. Si quando pro re aliqua oraret, in qua nihil certi ei dominus reuelaret, cōſolabatur gaudebatq; maxime, ꝓpterea quod ſentiebat Dei ſapientiā inſcrutabilē inueſtigabilemque etiā ſibi abſcondi: licet eam non ignoraret omnibus abſque perſonarum acceptione adminiſtrari, vtpote chari-

Signum diuinæ preſentiæ & inſpirationis.

Committere nos & noſtra debemus diuinæ prouidentiæ.

charitati Dei perfectiſsimè coniunctam. Quare vt rem tutiſsimam & credebat & ſuadebat, omnia eius prouidentiæ committere. Et hoc ipſa quoque hilarius atque libentius faciebat, quàm ſi omnium ſecretorum Dei abſcondita perueſtigaſſet.

LIBRI PRIMI FINIS.

INSINVATIONVM DIVINAE PIETATIS LIBER SECVDVS, CONTInens diuinę bonitatis laudes, beneficiorumque Dei ac propriæ ingratitudinis, confeſſiones.

ARGVMENTVM IN LIbrum ſecundum.

Librum hunc in ordine ſecundum virgo ſancta ipſa conſcripſit, impulſa nimirùm ad hoc ab eo, qui ſpiritum eius habebat in manu ſua. Eſt autem liber admodum pius & vtilis omnibus. Tradit enim cuilibet animæ Deo deuotæ in hac ipſa Gertrude eruditionem ſimul ac exemplar quoddam viuum, iuxta ſpiritũ

viuendi

viuendi in interiori homine: quomodo, videlicet, vnuſquiſque ſuos defectus, ſuamq; imperfectionem debeat agnoſcere, & coram Deo plangere. quomodo ſeipſum propterea contemnere: & poſtremò, quomodo in dies ad correctiorem ſe debeat vitam instituere. Docet præterea è diuerſo Deum ac eiuſdē beneficia prædicare, pro eiſdem gratias agere, & omnia bona in ſuam vnde emanarunt, originem referre. Diſcitur deinde hic quid anima à Deo tracta ſentiat, quid Deo, quid vel ſibi, debeat aſcribere, qua denique inter diuinum & ſuum ſpiritum ſit diſcretione vtendum, vt ad amoroſam Dei vnionem pertingat. Porro hæc traduntur verbis quidem ſimplicibus, minuſq; ad rei dignitatem accedentibus. Verùm non iuxta ſtilum æſtimanda eſt res nobiliſſima, quæ hic animabus deuotis gratis comparanda exponitur. Conſtat nanque multa quæ hic leguntur, poſſe quidem ſentiri (idq; ab eo ſolo qui accipit ea) verùm pro ſua maieſtate haudquaquā verbis dignè exprimi. Scripſit autem hunc librum (quod dixi) ipſa virgo Gertrudis ſua manu, diuinitus ad hoc coacta. Siquidem anno poſt acceptam ſingularem diuinæ familiaritatis gratiam nono, dum dominicæ cœnæ dies eſſet, ipſaq; in conuentu cum cæteris ſtaret, expectās donec dominicum corpus infirmæ eſſet cuidam ſorori apportatum: tunc vehementiſſimo ſpiritus ſancti tractu impellente apprahendit tabulam in latere ſuo pendentem, & quæ ſentiebat in corde cum dilecto in abſcondito ſilentio,

Vtilitas huius libri.

Dignitas & magnitudo materiæ huius libri.

D. Gertrudis ipſa hūc librū ſcripſit.

Tempus.

Occaſio ſcribendi.

lentio,hæc manu ſcribebat in fortitudine gratitudinis ad Dei laudem,vt ſequitur his verbis: Incipit memoriale abundantiæ diuinæ pietatis, ſic denominatum à domino maieſtatis.

GRATIARVM ACTIO VISCEROSA PRO PRIMA *gratia,qua dominus animam ad ſe traxit.*

CAPVT I.

ABYſſus increatæ ſapientiæ inuocet abyſſum admirabilis omnipotentiæ:ad laudem & extollentiam tam ſtupendæ beneuolentiæ , quæ per ſupereffluentiam infinitæ miſericordiæ tuæ, ò dulciſsime Deus vitæ meæ,vnice dilecte animæ meæ,per deſerta & inuia & inaquoſa(hoc eſt,per multiplicia, quæ poſui gratiæ tuæ obſtacula)defluxit ad vallem miſeriæ meæ:dum anno ætatis meæ viceſimoſexto in illa mihi ſaluberrima ſecunda feria ante feſtum Purificationis caſtiſsimæ matris tuæ (quæ fuit ſexto Kalendas Februarij)hora ſatis optabili,poſt completorium in initio crepuſculi, tu veritas Deus

omni luce ſerenior, ſed omni ſecreto inti-
mior (qui denſitatem tenebrarum mearum
fugare decreueras) conuerſionem meam
blandè leniterque exorſus es, cum ſedatio-
ne turbationis cuiuſdam, quam ante men-
ſem in corde meo excitaueras: qua quidem
turbatione (vt credo) deſtruere nitebaris
turrim vanitatis & curioſitatis meæ (quam
ſuperbia mea erexerat in meipſa, licet ina-
niter nomẽ & veſtem religionis geſtarem)
vt vel ſic inuenires iter quo oſtenderes mi-
hi ſalutare tuum. Igitur dum hora, qua di-
xi, ſtarem in medio dormitorij noſtri, & iu-
xta ordinis reuerentiam obuianti mihi ſe-
niori caput inclinatum erigerem, ecce vi- *Viſio.*
deo te dulciſsimum amatorẽ & redempto-
rem meum præ filijs hominum forma ſpe-
cioſum, in ſpecie quidem honeſti & amabi-
lis iuuenis quaſi ſedecim annorum, qualis
vel exterioribus oculis meis ſaltem potuiſ-
ſet placuiſſe. (Ita enim dignabaris immen-
ſam gloriæ tuæ claritatem imbecillitati ca-
pacitatis meæ attemperare) mihi aſtantem,
blandis lenibusque verbis dicentem: Cito
veniet ſalus tua. Quare mœrore conſume-
ris? Nunquid conſiliarius nõ eſt tibi, quia
innouauit te dolor? Hoc cùm dixiſſes,
quamuis corporaliter me ſcirem in loco
quem prædixi, ſtare: videbar tamen mihi
 eſſe

eſſe in choro noſtro, in angulo vbi tepidam orationem meam facere cõſueui, ibiq; audiui ſequentia verba, videlicet: Saluabo te & liberabo te, noli timere. Quę cum audiſſem, vidi te tua prænobili & delicata dextera tenere dexteram meam, quaſi hæc verba ſtipulando firmares. Et adiecisti, dicens: Cum inimicis meis terram lambiſti & mel inter ſpinas linxiſti, tandem reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te, ac torrente diuinæ voluptatis meæ inebriabo te. Quæ cùm dixiſſes, liquefacta eſt in me anima mea, & cùm tibi propinquare vellem, reſpiciẽs vidi inter te & me, videlicet ad dexteram tuam & ſiniſtram meam, ſepem tantæ longitudinis, vt nec ante nec poſt me finis illius appareret vllus: quæ in ſui ſummitate tanta ſpinarum denſitate videbatur operta, vt prorſus nuſquam mihi pateret tranſitus ad te vnicum animæ meæ ſolatium reuertendi. Hinc dum pro defectibus & peccatis meis (quæ per ſepem inter te & me diuidentem haud dubium ſignabantur) ſtarem gemens, & præ deſiderio tui æſtuans, & quaſi deficiens: tu pater pauperum (cuius miſerationes ſunt ſuper omnia opera tua) appræhenſa manu mea mox abſq; vlla difficultate ſtatuiſti me iuxta te. Verùm cùm precioſam manum tuam, ex qua ſtipula-

Nota viſionẽ.

tio-

tionem prædictam recepi, aſpicerem, recognoui in te dulcis Ieſu vulnerum illorum præclara monilia, quibus omnium hoſtium irritantur chiropgrapha. His igitur & alijs dignätiſsimę vocationis tuę primitijs vanã mentem meã illuminans & molliẽs, ab amore inordinato literarum & omnium vanitatum mearum, tua interna vnctione potenter abſtraxiſti: ita vt externa cuncta, quæ paulo ante male placebant, & omnia quæ tu ipſe non es, o Deus cordis mei, mihi protinus vileſcerent, & tu ſolus infecto palato animæ meæ ſapere inciperes. Pro quibus laudo, benedico, adoro te, & gratias ago, quales poſſum, non quales debeo, ex intimis medullis mentis meæ ſapienti miſericordiæ & miſericordi ſapientiæ tuæ: quod tu creator & redemptor meus tam amicabili modo durã ceruicem meam ſuaui iugo tuo ſubdere conabaris, cõficiens temperatiſsimã potionẽ aduerſæ valitudini meæ optimè congruentem, qua ſpiritũ meum nouę lucis infuſione adeo ſerenaſti, vt extunc in odorem ſuauiter redolentium vnguentorum tuorum currere inciperem, & iugum tuum putarem ſuaue & onus leue: quod paulo ante videbatur mihi durum & quaſi importabile.

Amor literarum inordinatus.

De illuminatione interioris hominis per gratiam Dei.

CAPVT II.

AVe ſalus & illuminatio animæ meæ. Gratias tibi referat, quidquid cæli ambitus, terrarumque circuitus & abyſsi complectitur profundum, pro inuſitata illa gratia qua introduxiſti animam meam ad cognoſcenda & conſideranda interiora cordis mei: de quibus antea tam parua mihi cura erat, quanta de interioribus (ſi dici poſsit) manuum mearum vel pedum. Verùm poſt tuæ dulciſsimæ lucis infuſioné, plura videre cœpi in corde meo, quæ tuam puriſsimam mundiciem oſtenderent: imò omnia interiora mea vidi adeo inordinata & incompoſita, vt nullam omnino tibi inhabitare volenti præberēt manſionem. Sed tamen non iſta ſicut nec omnis vilitas mea repulit te, Ieſu mi amantiſsime, quin frequenter illis diebus quibus ad viuifica alimenta corporis & ſanguinis tui accederé, viſibili præſentia tua me dignareris: licet te clarius non viderē, quàm ea quæ videntur diluculo. Qua quidem perbenigna dignatione animam meam ſatagebas allicere, vt tibi familiarius vniretur, te perſpicacius intueretur, & liberius frueretur. Et cùm diſpo-

diſponerem laborare ad hoc obtinendum, in feſto Dominicæ Annunciationis ſanctæ Mariæ, quando humanam naturam in vtero virginali tibi deſponſaueras, tu (qui antequam inuoceris, dicis: Ecce aſſum) anticipaſti diem illum, præueniendo me indignißimam in benedictionibus dulcedinis tuæ in vigilia prædicti feſti, dum propter diem Dominicum capitulũ fieret poſt matutinas. ¶ Quali autem modo me tunc viſitaſti, o oriens ex alto, per viſcera pietatis & dulcedinis tuæ, cùm nullis literis valeã commẽdare, da dator munerum mihi proinde immolare hoſtiam iubilationis in ara cordis mei, vt obtineã ex voto me & omnes electos tuos frequenter experiri dulcem vnionem & vnientem dulcedinem tuam, quæ mihi ante illam horam ſatis incognita fuit. Recognoſcens nanque qualitatem vitæ meæ, tam præcedẽtis quàm ſubſequentis, in veritate profiteor meram eſſe gratiã, quæ tam gratis mihi adeo immeritæ donata eſt. Donabas enim me extunc clariore luce cognitionis tuæ. In qua ſemper magis alliciebat me ſuauis amor tuæ amicabilitatis, quàm vnquam me corrigere potuiſſet pœna mihi debita tuæ ſeueritatis. Sed tamen non recordor me fruitionem talẽ habuiſſe alijs diebus extra dies prædictos, in

quibus me ad delitias regalis menſæ tuæ vocaueras. Et vtrum hoc tua ſapiens prouidentia ordinauerit, ſeu mea ſtudioſa negligentia effecerit, mihi non liquido conſtat.

De amœna inhabitatione Dei in anima.

CAPVT III.

DVm ſic gratioſe mecum ageres, & animam meam à cunctis vanis introrſum ad te trahere non ceſſares, accidit die quadam inter reſurrectionem & aſcenſionem domini, cùm ante primam, curiam intraſſem, & prope piſcinam ſedens attenderem amœnitatem loci iſtius, qui mihi placebat ex aquæ præterfluentis lympiditate, circunaſtantium arborum viriditate, circumuolantiũ auium & ſpecialiter columbarum libertate, & præcipuè ex abſconſæ ſeſsionis ſecreta quiete: animo reuoluere cœpi, quid in his adoptare vellem quo ſeſſionis illius delectatio mihi videretur eſſe proficua. Cogitantique mihi ſi adeſſet familiaris habilis & ſotialis conſodalis, qui ſolitudinem meam ſolaretur, ſeu alijs redderet fructuoſam, tu inæſtimabilium torrens voluptatum domine Deus meus (qui, vt ſpero, initium preueniendo aſpiraueras, etiam

etiam finem meditationis huius tibi attra- xiſti) inſpirabas, quòd ſi influentiā gratiarum tuarum iugi & debita gratitudine in te, ſuam ſcilicet originem, refunderem in modū aquę, & in ſtudio virtutū creſcens in modum arborum, bonorum operum viriditate florerem, inſuper terrena deſpiciendo cæleſtia libero volatu in modum columbæ appeterem, & per hæc ſenſibus corporalibus à tumultu exteriorum alienata tota tibi mente vacarem, omni amœnitate præiucundam tibi cor meum præberet inhabitationem. ¶ Cumque his rebus die illo memoriam haberem occupatam, ad veſperam dum dormitura flexis genibus me orationi inclinaſſem, ſubito venit in memoriam locus ille euangelicus: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Inter quæ verba luteum cor meum ſenſit te prædulciſsimum Deum meum vnicum cordis mei delectum præſentialiter aduenifſe. O vtinam & millies, vtinam totum mare verſum in ſanguinem ducere poſſem per caput meum: vt vel ſic mundaretur ſentina extremę vilitatis meę, quam tu finis inexcogitabilis dignitatis inhabitare elegiſti. Vel etiam ad horam

Nota quomodo creaturæ nos ad amorem Dei & ſtudium pietatis accendere debeant.

cor meum extractū à corpore daretur mihi candentibus carbonibus fruſtratim adeo examinandum, vt decocta ad purum ſcoria eius ſaltem & ſi non digná, non tamen tam nimis indignam tibi præberet manſionem. Quia tu Deus meus ab illa hora exhibuiſti te mihi quandoque ſereniorem, quandoque ſeueriorem pro congruentia emendatioris ſeu negligentioris vitæ meæ. Licet vt verum fatear, diligentiſsima emēdatio, ad quam vel ad momentum perueni, ſi duraſſet per omne tempus vitæ meæ, nequaquam condignè obtinuiſſet mihi vnicam vel ſeueriſsimam gratiæ tuæ exhibitionem, quam vnquam poſt multiplicia crimina, & heu grauia peccata, recepi. Quia nimia ſuauitas tua frequenter prætendit te meis commiſsis magis turbatum quàm iratum: commendans, vt mihi videtur, maiorem virtutem patientiæ tuæ in eo, quòd tot defectus meos tam æquanimiter ſupportare potuiſti, quàm cum tempore mortalitatis tuæ Iudam traditorem tuum benignè tolerares. ¶ Ego enim licet quantumcunque mente vagarer per tranſitorias res diſtracta & delectata, tamen poſt horas & heu poſt dies, & vt proh dolor timeo, poſt hebdomadas, rediens ad cor meum, ſemper idipſum te inueni: vt nunquam

quam cauſari poſſem vel ad ictum oculi te mihi ſubtractum à prædicta hora vſque in præſens tempus, quo ab accepta gratia iam reuoluitur nonus annus. Exceptis ſemel vndecim diebus ante feſtum Iohannis Baptiſtæ, quibus te mihi ſubtractum ſenſi: & hoc accidit ex ſermocinatione quadam mundiali, vt mihi videbatur, feria quinta: & durauit vſque in ſecundam feriam, quæ tunc erat vigilia Iohannis Baptiſtæ ſub miſſa: Ne timeas Zacharia, &c. Tunc enim tua dulcis humilitas & ſtupenda tuæ miræ charitatis bonitas videns me tam deperditæ dementiæ, quod non attenderem me talem perdidiſſe theſaurum (non enim recordor me pro ea doluiſſe, vel aliquo ſaltem paruo deſiderio illum reoptaſſe: vnde nunc valdè miror quæ veſania mentem meam detinuerit. Niſi fortè vt dares mihi in memetipſa experiri hoc quod dicit Bernardus: Fugientes nos inſequeris: dorſum vertimus, & in faciẽ recurris: ſupplicas, & deſpiceris: ſed nulla te prorſus cõfuſio, nulla auertere te poteſt deſpectio, quin indefeſſè ſemper agas vt ad illud nos attrahas, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcẽdit.) Et ſicut in initio mihi immeritę (quia recidere deterius eſt quàm incidere) ita tũc etiã

Nota quantã munditiem in nobis requirat Deus.

 pluſ-

pluſquã demeritæ reddere dignatus es lætitiam ſalutaris tuæ præſentiæ perſeuerantem vſque in hanc horam. Pro quo ſit laus & gratiarũ actio illa, quæ ab amore increato ſuauiter procedens omni creaturæ incompræhenſibilis refluit in teipſum.

Votum piæ mentis.

¶ Et vt hoc præſtans donum ſalutaris præſentię tuæ in me cuſtodire digneris, offero tibi excellentem illam orationem tuam, quam

Efficax oblatio.

præ mortis anguſtia ſanguinei ſudoris teſtimonium reddidit attentam, & innocentia puræ ſimplicitatis tuæ deuotam, & ardens amor diuinitatis tuæ efficacem: obſecrans vt per virtutem eiuſdem perfectiſsimæ orationis me totaliter in tui vnione perficias, & in intimis ad te trahas: vt quoties contigerit me exterioribus negocijs ad ſalutem proximi ſeruire, indiuiſa & immutata ab illis permaneam: & poſtquam perfectiſsimo modo ad tui laudem illa impleuero, mox ad te in interiora mea integraliter reuertar: inſtar aquæ vento tempeſtatis commotæ, & ea ceſſante ad ſuam mox tranquillitatem redeuntis: quatenus me ſemper inuenias ita tibi deuotam, quemadmodum tu mihi te exhibes, præſentem, & per hoc ad tantam me perducas perfectionem, ad quantam iuſtitia tua vnquam permittere potuit miſericordiæ tuæ animã

Quomodo exterioribus negocijs ſeruiendum & ab illis reuertendum.

mole carnis grauatam & tibi prorſus reſiſtentem perducere. Et vt extremã mei expirationem ſtrictis amplexibus & efficaciſſimo oſculo tu ita excipias, quòd ſine dilatione ſe anima mea ibi inueniat, vbi tu illocalis & indiuiſus in florida æternitate cum patre & ſpirituſancto viuis & regnas Deus per immortalia ſecula ſeculorum, Amen.

De ſtigmatibus cordi eius inſcriptis, & exercitio ad quinque vulnera.

CAPVT IIII.

IN horum principio, anno videlicet primo aut ſecundo, vt credo, tempore hyemali, inueni in quodam libro oratiunculã in hæc verba: Domine Ieſu Chriſte fili Dei viui, da mihi toto corde, pleno deſiderio, ſitiẽti anima, ad te aſpirare, & in dulciſſimo ac ſuauiſsimo reſpirare, ac totum ſpiritum meum & omnia interiora mea ad te qui es vera beatitudo, anhelare. Scribe miſericordiſsime domine, vulnera tua in corde meo precioſo ſanguine tuo, vt in eis legam tuũ dolorem pariter & amorem, & vulnerum tuorum memoria iugiter in ſecreto cordis mei permaneat & dolor compaſsionis tuæ in me excitetur, & ardor dilectio-

Oratiuncula crebrius ad Deum fundenda.

nis tuæ in me accendatur. Da quoque, vt omnis mihi creatura vileſcat, & tu ſolus in corde meo dulceſcas. Quam orationē gratanter aſſumens crebrius frequentare ſtudebam. Cui tu qui nunquam ſpernis vota humilium, aderas, prædictæ oratiunculæ præbiturus effectum. Nam poſt breue temporis interuallum in eadem hyeme ad collationes ſedebā poſt vĕſperas in refectorio ad latus cuiuſdā perſonæ, cui in talibus ſecretum meum aliqualiter detexerā. Et hoc ipſum ad ſalutem legentis hic obiter interpono, videlicet quòd multoties mihi ſenſi auctum feruorē deuotionis occaſione huiuſmodi detectionis. Sed vtrum hoc effecerit ſpiritus tuus domine Deus, ſeu affectio humanitatis, non mihi liquido conſtat: licet à quodam in talibus exercitato audierim talia ſecreta ſemper vtilius reuelanda, non paſsim omnibus, ſed illi maxime qui nō ſolùm benignitate fidelitatis familiaris, verùmetiā maioritatis reuerentia ſuperior habetur. Sed tamen cùm ſicut prędixi, hoc ignorem tibi fideliſsimo prouiſori meo totum cōmitto, cuius ſpiritu (qui ſuper mel dulcis eſt) omnis virtus cęlorū conſiſtit. Si verò ex humana affectione feruor ille prouenerat, eo dignius eſt vt me in abyſſum gratitudinis demergā, quanto dignantius

Pia ſecreta quibus reuelanda.

tu Deus meus limo vilitatis meæ coniungere dignatus es aurum impreciabilitatis tuæ: vt vel ſic gemmæ gratiarū mihi adhęrerent. In prædicta, inquàm hora, cùm (vt dixi) ſedēdo in refectorio memoriam circa huiuſmodi haberē deuotius occupatā, ſenſi quaſi diuinitus collata dona mihi ingigniſsimæ, quæ in antedicta oratione dudū petierā. Nam intus in corde meo quaſi corporalib⁹ locis per ſpiritū cognoui impreſſa colenda illa & adorāda ſanctiſsimorū vulnerum tuorū ſtigmata, quibus vulneribus animæ meæ medicaſti, necnon mihi poculum nectarei amoris propinaſti. ¶ Sed adhuc indignitas mea abyſſum pietatis tuæ non exhauſtū inuenit, quin ex ſupereffluentia liberaliſsimæ largitatis tuæ acciperē & illud memorabile donū, vt quotiens ſingulis diebus cum quinq; verſibus: Benedic anima mea domino, per ſpiritum ſignacula amatoriæ impreſsionis viſitare intenderem, nunquā me ſpeciali beneficio fraudatam cauſari poſſem. Accepi enim à te, vt ad primū: Benedic anima mea, ad vulnera beatorum pedum tuorū poſſem deponere omnem rubiginem peccatorū & mundanæ voluptatis vilitatē. Deinde per ſecundum verſum: Benedic & noli obliuiſci, in amatorio lauacro, vnde mihi profluxit ſanguis &

aqua, abluere poſſem omnẽ maculã carnalis & trãſitoriæ delectationis. Per tertiũ verſum: Qui propitiatur, cum requie ſpiritus ad ſiniſtrũ vulnus ad pauſandũ properans, in eodẽ quaſi columba in petra nidificare. Inde per quartum verſum: Qui redimit de interitu, ad dexterã accedens, omnia quæ mihi in perfectione virtutũ deſunt, ibi mihi plenè repoſita de tuis bonis fiducialiter appropriare, vt per hæc decenter ornata, quintũ verſum: Qui replet in bonis, &c. iã omni infamia peccatorũ emũdata, penuria meritorũ ſuppleta, deſideratiſsima & dulciſsima præſentia tua, & ſi per me indigna eſſem, per te tamen ſatis digna inter caſtos amplexus tuos merear iucũdari. Cum quibus fateor mihi collata ea quæ intra orationem petuntur: ſcilicet, vt in eis legam dolorem tuum pariter & amorẽ. Sed heu paruo tempore hoc durauit. Licet non cauſer te mihi hoc abſtuliſſe, ſed propria ingratitudine & negligentia me querulor id perdidiſſe. Quod tamen diſsimulans immenſa miſericordia & copioſa pietas tua, primum & maius donum, ſcilicet vulnerum impreſſionem, ſine meritis meis mihi nimis indebitè vſque in præſens conſeruat. Pro quo ſit tibi decus & imperium, laus & iubilatio per æterna ſecula.

Exercitium de vulnere amoris, ac lauacro, vnguento & ligamine.

CAPVT. V.

POſt hæc in ſeptimo anno ante aduentum te authore totius boni ordinante, obligaueram quandam perſonam, vt ſingulis diebus ante imaginē crucifixi pro me orationi ſuæ insereret hæc verba: Per tuum tranſuulneratum cor, tranſfige amantiſsime domine cor eius iaculis amoris tui: in tantum, vt nihil terreni continere poſsit, ſed à ſola efficatia tuæ diuinitatis contineatur. Cuius precibus, vt confido, prouocat⁹ in dominica qua cātatur: Gaudete in domino, ſub miſſa, cū ex copioſiſsima liberalitatis tuæ ſupereffluētia miſericordia tua permitteret, me ad tui ſacratiſsimi corporis, & ſanguinis accedere communionem, infudiſti mihi in ipſo acceſſu deſiderium, quo cogente in hæc verba prorupi: Domine fateor, quod ſecundum merita mea non ſum digna accipere re minimam portiunculam donorum tuorum: ſed tamen meritis & deſiderio omnium aſtantium ſupplico pietati tuæ, vt tranſfigas cor meum tui amoris ſagitta. Cuius verbi virtutem mox ſenſi appropinquaſſe diuino cordi tuo, tam per interioris gratiæ infuſionem, quam per

Deſiderium deuota mentis.

Pia precandi formula.

per euidentis ſigni in imagine crucifixionis tuæ demonſtrationem. Igitur cum poſt ſuſcepta viuifica ſacramenta ad loca orationis reuerſa fuiſſem, videbatur mihi quaſi de vulnere dextri lateris crucifixi in ſolio depicti prodire tanquam radius ſolis in modum ſagittæ acutus, qui per oſtentũ extenſus contrahebatur, deinde extendebatur: & ſic per moram durans affectum meum blande allexit. Sed nec ſic quidem ſatiſfactum eſt deſiderio meo vſque in feriam quartam, dum poſt miſſam à fidelibus recolitur tuæ adorandæ incarnationis, & annunciationis dignatio: cui & ego, quamuis minus bene, intendebam. Et ecce tu aderas velut ex improuiſo, infigens vulnus cordi meo cum his verbis: Hic confluat tumor omnium affectionum tuarum. Verbi gratia: Summa delectationis, ſpei, gaudij doloris, timoris cæterarumque affectionũ tuarum ſtabiliantur in meo amore. ¶ Et ſtatim incidit memoriæ meæ, quod quãdo que audieram vulneribus neceſſario adhibendum, lauacrum, vnguentum, & ligamentum. Sed qualiter hæc perficere poſſem, non tunc finaliter edocuiſti: ſed poſtmodum plenius aperuiſti per aliam perſonam, quæ) vt ſpero) ad laudem tam mentales aures ſuas multo ſtabilius magiſque

tenui-

tenuiter aſſuefecit venis amatorij ſuſurrij tui, quam heu ego. Ipſa namque conſuluit, vt iugi deuotione recolens amorem cordis tui in cruce pendentis, ex humore charitatis, quem produxit feruor tam ineffabilis amoris, caperem aquam deuotionis in ablutionem totius offenſionis. Et ex liquore pietatis, quem effecit dulcedo tam inæſtimabilis amoris, haberem gratitudinem vnctionis contra omnem aduerſitatem. Atq; ex efficatia charitatis, quam fortitudo perfecit tam incomprehenſibilis amoris, adeſſet ligamen iuſtificationis, vt omnes cogitationes, verba, & opera mea, ex fortitudine amoris in te dirigerem: & ſic tibi indiſſolubiliter adhærerem. Quidquid in his ex malitia & nequitia deprauaui, ſuppleat vis amoris, cuius plenitudo habitat in eo, qui ſedens ad dexteram tuam factus eſt os ex oſsibus meis, & caro de carne mea. Nam per eum in virtute ſpiritus ſancti cum ea nobilitate compaſsionis, humilitatis, & reuerentiæ, ſicut dediſti nobis poſſe, per eundem offero tibi querimoniam infelicitatum mearum nimium multarum, quibus premor contra tam nobilem diuinam bonitatem tuam, quam cogitatu verbis & factis multimode impugnaui: ſed ſpecialiter in eo, quod prædictis donis tuis

Aqua deuotionis.

Gratitudo vnctionis.

Ligamen iuſtificationis.

tam infideliter, negligenter, & irreuerenter vſa ſum. Si mihi tam indignæ filum de ſtuppa in memoriam tui tradidiſſes, iure ſtudioſiori reuerentia reſpexiſſem, quam dona tua reſpexi. ¶ Tu ſcis occultorum meorum cognitor Deus meus, hanc eſſe cauſam quæ me nimis extra, imo contra placitum meum cogit hæc ſcriptis commendare, eo quod confidere me vſq; adeo nihil in eis profeciſſe, quod nullo modo conſentio credere mihi tantummodo ea data fuiſſe, cum tua æterna ſapientia à nullo poſsit ſeduci. Ergo o dator munerū, qui tam gratuita & indebita mihi dediſti, da etiam iſta legenti, vt ſaltem compatiatur tibi, cor amici tui, & pro eo quod zelus animarum tot horis tam regalem gemmā continuit in limo ſentinæ cordis mei, laudans & adorans, extollat miſericordiam tuam verbis cordis & oris, dicens: Te Deum patrem ex quo omnia, iure laudo, tibi decus benedictio & claritas, vt vel aliqualiter defectus meus ſuppleatur. Hic diſtulit ſcribere vſque in octobrem.

De puerulo Ieſu cordi huius ſponſæ intime vnito.

CAPVT. VI.

O Inat-

O Inattingibilis altitudo præualentiæ admirabilis. O profunditas abyſſi ſapientiæ inſcrutabilis. O immenſa latitudo charitatis deſiderabilis: quam valide intumuerunt nectarei torrentes tuæ mellitæ diuinitatis, quæ adeo exuberanter inundauerunt ſuper me extremæ vilitatis vermiculum, reptantem in ſabulo negligentiarum & defectuum meorum, vt liceat & libeat mihi etiam in exilio peregrinationis meæ pro modulo capacitatis retractare præludia iucundiſsimarum delitiarum & dulciſsimarũ ſuauitatũ illarum: qua quis adhærens Deo vnus ſpiritus fit cum eo, cuius beatitudinis incontinentia tam ſuperèffluenter diffuſa mihi puluiſculo auſum præſtitit lambere qualeſcunque guttulas eius per acceptorum donorum recordationem: quæ verbis, quibus poſſum, exprimere hoc modo conabor. ¶ In nocte itaque ſacratiſsima, quando dulcoranti rore diuinitatis per totum mũdum melliflui facti ſunt cœli, vellus animæ meæ in area communitatis madefactum, attẽtauit meditando ſe ingerere, & per deuotionis exercitationem miniſterium exhibere ſupercœleſti illi partui, qua ſicut ſydus radium protulit virgo filium verum Deum & hominem, cognouitque anima mea quaſi in momen-

momentanea quadam oſtenſione porrigi ſibi & recipi à ſe tanquam in parte cordis tenerum quendam puerulum velut ſub ea hora natũ (In quo certe latuit donũ ſummæ perfectionis ac vere optimum datum) quem cum intra ſe teneret anima mea repente tota mutata videbatur cum ipſo in eundem coloremꝗ: ſi tamen color dici poſsit quod nulli viſibili ſpeciei valet comparari. Hinc percepit anima mea intellectum quendam ineffabilem verborum illorum ſuauifluorum: Erit Deus omnia in omnibus, cum dilectum præcordijs ſuis immiſſum ſe continere ſentiret, & cũ iucũdiſsimæ blanditatis ſponſi gratã præſentiã ſibi nõ deeſſẽ gauderet. Vnde mellita pocula horum quæ ſequũtur verborum diuinitus propinata, inſatiabili auiditate imbibebat, videlicet: Sicut ego ſum figura ſubſtantiæ Dei patris in diuinitate: ſic tu eris figura ſubſtantiæ meæ ex parte humanitatis, ſuſcipiens in tuam Deificatam animã. emiſsiones meæ diuinitatis: ſicut aer ſuſcipit radios ſolaris claritatis, vt hoc radio vnitiuo medullitus penetrata habiliter is ad familiariorẽ mei vnionem. O prenobile balſamum diuinitatis, dilatans vndique riuos charitatis, vigens & florens in æternitate: ſed in fine temporum diffuſum circũquaque

que. O vere virtus inſuperabilis dexteræ excelſi, cum vas tam fictile & proprio vitio deiectum in ignominiam, continuit immanſionem tam precioſi liquoris. O veraciter euidentiſsimum teſtimonium ſuper effluentiæ pietatis diuine, dum à me tam longe aberrante in deuijs vitiorum nō receſsit, ſed illius beatiſsimæ vnionis ſuauitate pro modulo capacitatis meæ mihi impreſsit.

De impreſsione diuinitatis in animam velut ſigilli in ceram.

CAPVT. VII.

HInc in feſto ſacroſanctæ purificationis, dum poſt grauem infirmitatem lecto decumberem, & mane circa ortum diei mœſta intra me querularer, quod diuina viſitatione qua frequentius fueram tali die conſolata, corporali infirmitate detenta deberem fruſtrari, à matre mediatrice mediatoris Dei & hominum talibus ſum verbis conſolata: Sicut non recolis te acerbiorem dolorem infirmitatum in corpore pertuliſſe: ita ſcias te nobilius donū à filio meo nunquam percepiſſe, quam quod modo accipies. Ad quod digne percipiendum ſpiritum tuum roborauit infirmitas corpo-

Infirmitas corporis præcedere ſolet corroborationem mentis.

corporis præcedens. Vnde ex his alleuiata cum inſtanti hora proceſsionis ſumpto viuifico alimento, Deo & mihi intenderem, recognoui animam meam in ſimilitudinē ceræ diligenter ad ignem emollitæ adeſſe quaſi ſigillo imprimendo dominico pectori: & ſubito videbatur illi circumpoſita & partim intracta ipſi theſaurario, in quo habitat corporaliter plenitudo diuinitatis inſignita charactere fulgidæ ſemperque tranquillæ trinitatis. ¶ O carbo deſolatorius Deus meus, continens & extrahens ac imprimens viuum ardorem, dum tam inextinguibiliter conualuiſti in humido lubricæ animæ meæ, diſiccans primo in ea fluxū mundanæ delectationis, & poſtea etiam emolliens eam à rigore proprij ſenſus, in quo per tēpus indurauerat tam vehementer. O vere ignis cōſumens, qui ſic vim tuā exerces in vicia, vt vicem vnctionis ſuauis exhibeas in anima. In te & non omnino in aliquo alio, recipimus hāc virtutē, vt ad imaginē & ſimilitudinē originis noſtræ valeamus reformari. O inualeſcēs caminus, in iucunda viſione veræ pacis, cuius operatione ſcoria vertitur in aurum probatum & electū, cū anima fatigata fallacijs tandē tota mētis auiditate perquirere cupit ſummū bonū: quod ſibi ineſt & tu ipſe es in veritate tuæ æternitatis.

De

De intimiori intractione animæ ipſius in Deum.

CAPVT. VIII.

POſtea in dominica Eſto mihi, ſub miſſa incitaſti mentem meam & dilataſti deſiderium meum ad nobiliora, quæ mihi collaturus eras, dona ſpecialius per duo verba, quorum ædificatiorem in anima preſenſi effectum ſcilicet in verſu primi Reſponſorij: Benedicens benedicam tibi, &c. Et in verſu noni Reſponſorij: Tibi enim & ſemini tuo dabo has regiones. Inter quę venerabili manu beatiſsimum pectus tuũ tãgens demonſtraſti mihi, quas regiones in cõtinentiſsima liberalitas tua polliceretur. *Beatitudo regni cæleſtis* O regio illa beata & beatificans affluentijs beatitudinum, ager delitiarum, cuius minutiſsimum granum ſufficientiſsime ſatiſfacere poteſt auiditati omnium electorum in diuerſis quæ humano cordi deſiderabilia, amabilia, delectabilia, iucunda, & ſua uia poterunt excogitari. ¶ Dum vero intenderem his quibus intendendum erat ſi non vt debui, tamen pro vt potui: ecce apparuit benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri Dei non ex operibus iuſtitiæ, quibus ego indigna id promereri poſſem,

ſed

ſed ſecundum ineffabilem miſericordiam ſuam, adoptiua regeneratione confortãdo & habilitando me extrema vilitate indigniſsimam ac merito execrandam & deteſtandam, ad ſuſcipiendum in me adorandam ſupercœleſtem & ſuperinæſtimabilem illam tui intimiorem vnionem. Sed quibus meis meritis Deus meus, quove tuo iudicio hoc inæſtimabile donum in me perficere potuiſti? Certe amor dignitatis neſcius, ſed dignatione diues, amor inquam præceps, qui nec iudicium præſtolatur, nec ratione compræhenditur, te dulciſsime Deus meus quaſi ebrium (ſi audeo dicere) dementauit, vt tam diſsimilia coniungeres, ſiue quod conuenientius dici valet, Ingenitã & connaturalis tibi benignitatis ſuauitas intrinſecus pertacta dulcore charitatis (quo non modo amãs, verũ etiam totus amor es, cuius naturaliorẽ effluxũ direxiſti in ſalutem generis humani) tibi perſuaſit, vt remotiſsimum homuntionem tam fortuitis quam gratuitis egentem, vita & moribus deſpicabilem, euocares à finibus extremæ vilitatis ad aſſociationem regiæ, imo diuinæ dignitatis: vt inde potiorem confidentiam ſumat omnis intra eccleſiam poſitus homo, quod de omni chriſtiano, ob reuerentiam

Amoris diuinæ quædam proprietates.

domini mei ſpero & exopto, vt nullus mihi inferior inueniatur in donorũ Dei deprauatione & proximorum ſcandalizatione. Sed quia inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, ad intellectum exteriorum vtcunque exprimi poſſunt, vt ſuprà memini: apparuit dominus (quãtum exprimere poſſum rem ineffabilem) in parte illa benedicti pectoris ſui, in qua die purificationis recepit animam meam in ſimilitudinem cæræ diligenter ad ignem emollitæ (vt ſuprà dixi) madens quaſi guttulis ſudoris valide erumpentis, ac ſi ſubſtantia præoſtenſæ cæræ ex nimietate caloris intus latitantis, in talẽ reſolutionem fuiſſet liquefacta: quas tamẽ ſpecies guttularum illud diuinũ gazophylacium virtute tam mirabili ſed ineffabili, imo inexcogitabili, ſibi intrahebat, vt omnino non lateret quàm ſuper præualentem vim incontinẽtibilis amor ibi obtinuerit, vbi tale tantumque ac tam impenetrabile intimum ſecretum tuum reſeratur. ¶ O æternale ſolſtitium, manſio ſecura, locus totum continens quod delectat, paradiſus perennium delitiarum, præterfluens riuus inæſtimabilium voluptatum, alliciens florigera vernantia omnigenarum amœnitatum, demulcens ſuauiſono imo ſuauiter afficienti melodia intellectualium muſico-

Votum pia mentis.

Alia viſio.

Nota ineffabilem & ſtupendam dulcedinem amoris diuini.

rum, reficiens odorifero ſpiramine vitaliũ aromatum, inebrians reſoluenti dulcedine internorum ſaporum, immutãs mira blanditate ſecretorum amplexuum. O ter felix quaterq; beatus, & ſi dici poteſt, centupliter ſanctus: qui gratia ductrice permotus, innocens manibus & mundo corde puriſq; labijs illuc meruit appropinquare, vbi dilecto Deo ſuo intime valet vniri & incorporari. O quid videt, quid audit, quid olfacit, quid guſtat, quid ſentit? Sed quid inde balbutire conatur mea impeditior lingua, quę quamuis diuina fauente beneuolentia ſim admiſſa. calle tamen propriorum vitiorum ſiue negligẽtiarum quaſi denſo corio vndiq; circũducta, nihil veriſimile apprӕhendere valebam, cùm etſi omnis angẽlica & humana potentia in vnam conferrentur ſcientiam, nequaquam ad plenam formare ſufficeret vel vnicum verbum, quo tantӕ excellentiӕ ſupereminentiã, vel in minimo digne attingere poſsit aut exprimere.

De inſeparabili vnione animӕ ipſius cum Deo.

CAPVT IX.

Non

NOn multo poſt tempore, videlicet in ieiunio, dum iterũ graui infirmitate laborans lecto decumberem, & cæteris ſororibus circa alia occupatis, quodam mane ſola iacerem, dominus qui deſerere neſcit, ab humanis ſolatijs deſertos, aderas verificans illud propheticũ: Cum ipſo ſum in tribulatione. Prætendebat enim ex parte ſiniſtri lateris quaſi ex benedicti cordis ſui intimo emiſsionem quandã fluuij cryſtallinæ puritatis ſimul & ſoliditatis, quę progrediens venerabile pectus illud in modum monilis tegebat, & perſpicua videbatur aureo colore & roſeo, qui aliternatim inter ſe vario modo ponũtur. Inter quę dominus ſub intulit: Infirmitas qua laboras, animã tuam in hoc ſanctificat, vt quandocũq; mei cauſa cogitationibus, verbis, vel factis alijs cõdeſcendis, tanquã longius à me progrediaris: quemadmodũ ibi in fluuio iſto demonſtratum eſt, tunc ſicut color iſte aureus & roſeus nitet per cryſtallinã puritatẽ: ſic cooperatio aureæ diuinitatis meæ & perfectio patiẽtiæ roſeæ humanitatis meæ faciẽt omnia opera tua per intentionis tuæ puritatẽ mihi placere. ¶ O dignitatem minutiſsimi illius pulueris, quã illa principalis gemma cœleſtium nobilitatũ de luto plateãrũ ſibi ad ſuperponendum aſſumit. O excellentiã

Infirmitas piorum animas ſanctificat.

Intentionis puritatem Deus in nobis conſiderat.

exigui illius floſculi, quem ipſe etiam ſolaris radius de locis paluſtribus ſibi attrahit, quaſi ad collucendum. O beatitudinem beatæ illius & benedictæ animæ, quam dominus maieſtatis tantæ dignitatis æſtimat, quòd quamuis ipſe ſit omnipotens in creando: tamen ita dulciter trahit & vnit eam ſecum beatificando: animam, inquam, licet imagine & ſimilitudine illi⁹ decoratã, tantum tamen diſtantem à ſe: quantum diſtat creatura à creatore. Et ideo milleſies beata, cui datur perſiſtere in tali ſtatu, in quem heu ego (vt mihi timeo) nec ad momentum quidem vnquam perueni: ſed exopto vt diuina clementia donum qualiſcũque gratiæ mihi indulgeat meritis illorum

Deſideriũ pie mentis- quos per tam longa tempora (vt ſpero) in tali ſtatu conſeruauit. ¶ O donum quod eſt ſuper omne donum, videlicet in illa apotheca ex aromatibus diuinitatis tam abũdanter ſatiari, & in illo voluptuoſo cellario mero diuinæ charitatis ſic ſupereffluenter inebriari, imo ingurgitari, vt nec vel leuiter pedem mouere patiatur ad terminos illos, in quibus tantæ fragrantiæ efficaciam tepeſcere ſuſpicatur. Inſuper quocunque progredi neceſſe fuerit charitate ducẽte, tantæ repletionis ſecũ deferre ructus, vt etiam diuinæ vbertatis opulentiam

tiam

tiam dulcedinemq; odoris valeat alijs miniſtrare. Hoc donum domine Deus, quod electis tuis dare poſſes ex præualētia omnipotentiæ tuæ omnino cōfido. Etiam quod mihi hoc idem dare velis ex amoroſa benignitate tua, minime diffido. Quomodo autem hoc mihi dare ſcires præ indignitate mea, inſcrutabilem ſapientiā tuā nequaquam valeo inueſtigare. Sed nunc glorifico & magnifico ſapientem & benignā omnipotentiam tuam. Laudo & adoro omnipotentem & benignam ſapientiā tuam. Benedico & gratias ago omnipotenti & ſapienti benignitati tuæ Deus meus: quia qdquid mihi vnquam impendi potuit à largitate tua, recepi ſemper inęſtimabiliter longe ſupra condignum. *Pia gratiarū actio.*

Quomodo à domino coacta eſt & illuminata, vt iſta ſcriberet.

CAPVT X.

HAec ſcripta cùm tam incōgruum iudicarem ædere, quòd nullatenus conſcientiæ meæ in hac conſentire poſſem: & ideo vſque ad exaltationem ſanctæ crucis diſtuliſſem, & ipſo die ſub Miſſa alijs exercitijs intendere decreuiſſem: dominus intellectum meū reduxit ad hęc verba. Certo ſcias, te nunquam de carcere carnis exituram,

ram, donec & illũ quẽ adhuc retines, perſoluas quadrãtem. Et cum animo reuoluerem, quod iam nominata Dei dona & ſi nõ per ſcripta, tamen per dicta ad vtilitatem proximorũ repoſuiſſem: dominus obiecit verbũ illud, quod ipſa nocte ad matutinas audierã lectum: Si dominus doctrinam ſuã præſentibus tantum dixiſſet, dicta tantum eſſent non ſcripta. Sed nunc etiam ſcripta ſunt propter plurimorũ ſalutẽ. Et addidit dominus: Abſq; contradictione certũ diuinæ pietatis meæ teſtimonium volo habere in ſcriptis tuis his nouiſsimis tẽporibus, in quibus diſpono benefacere multis: ¶ Vnde grauata in meipſa pertractare cœpi, quàm difficile vel etiam impoſsibile mihi foret, talem inuenire ſenſum ſiue verba, quibus ſine ſcandalo ad humanum intellectum ſæpè dicta produci poſſent. Tali puſillanimitati dominus præualenter conſulens, copioſiſsimum quendã imbrem ſuper animam meam effundere videbatur, ex cuius impetuoſo deſcẽſu ego vilis homuntio tam nouella & tenera plãtatio depreſſa ſuccumbẽs, nihil mihi imbibere potui ad profectum, exceptis quibuſdam valde ponderoſis verbis, ad quæ nequaquàm ſenſuum intellectu pertingere præualebam. Vnde magis grauata requiſiui quid ex talibus poſſet

poſſet prouenire. Quod grauamen benigna pietas tua, Deus meus, aſſueta tua blanditate alleuians, his verbis animam meam refecit: Ex quo inutilis tibi videtur fluctuum illorum inundatio, ecce nunc diuino cordi meo te applico, vt verba ipſa leniter ſuauiterque tibi alternatis vicibus influam pro modulo tuæ capacitatis. Quod promiſſum tuum ex certiſsima perſolutione tua fateor domine Deus fore veriſsimum: cum ſingulis diebus manè conuenientiſsima hora per quatuor dies ſemper mihi partem præfati ſermonis tam luculenter tamq; ſuauiter influxiſti, vt abſque omni labore velut quod multo tempore memoriter retinuiſſem, im præcogitata ſcribere potuiſſem, ea tamen moderatione, vt cùm partem cõgruentem deſcripſiſſem, vlterius omnium ſenſuum meorum exercitio vltra vnam dictionem inueſtigare non valerem illorum, quæ mihi ſequenti die tam effluenter abſque omni difficultate præſto erant: inſtruens & refrenans quodammodo per hoc impetuoſitatem meam, ſicut ſcriptura docet: Nullũ adeo actioni debere inhærere, quòd contemplationi non curet ſtudium adhibere. Sic vbiq; zelans ſalutem meam, dum indulges moram qua Rachelis complexibus iucundis valeam gaudere, interim tamen

Imbecillitas ingenii [illegible] ſine gratia Dei.

Actio moderanda cum contemplatione.

Liæ glorioſa fœcunditate non ſinis me carere. Quod vtrunque vt placide perficias, tribuat ſapiens amor tuus.

De inſidijs diaboli, & modo reſiſtendi.

CAPVT XI.

Nota energiã gratiæ Dei. QVotiens inter hęc mihi guſtum ſalutaris præſentię tuę variaueris, & quãta benedictione dulcedinis tuę paruitatem meam aſsiduè præueneris (ſpecialiter prioribus tribus annis & ſpecialius cùm ad tui *Euchariſtia.* benedicti corporis & ſanguinis admitterer participationem) cùm nequaquam valeam reſpondere vnum pro mille: illi æternæ, immenſæ, & incommutabili gratitudini cõmitto, qua tibi o fulgida ſemperq; tranquilla trinitas, ex teipſa & per teipſam, & in te ipſa omne debitum plenè ſuppletur, & huic me quaſi puluis exiguus ingerens per eum qui in ſubſtantia mea tibi aſsiſtit, offero tibi gratiarum actiones, quales dediſti *Gratiarum actio per Ieſum Chriſtũ.* poſſe per eundem in ſpiritu ſancto pro vniuerſis beneficijs tuis: & ſpecialiter pro eo, quòd tam euidenti paradigmate inſipientiam meam formaſti, vt viderem quali mo- *Agnitio ſui ipſius à Deo peruenit.* do puritas donorum tuorũ per me deprauaretur. ¶ Vice igitur quadam dum communicatura Miſſæ intereſſem, & te mira dignatio-

dignatione adeſſe ſentirem, hac ſimilitudine vſus es ad meam inſtructionem, vt ſcilicet adinſtar ſitientis, refectionem potus à me expeteres. Quod cùm ego mihi deeſſe quærularer, & quòd nec vel guttulam ab oculis meis extrahere poſſem, finaliter probaſſem: videbatur mihi quaſi manibus tuis calix aureus porrigi. Quem cùm accepiſſem, ſubita ex ſuauiflua liquefactione cordis mei erumpebat impetus feruentium lachrymarum. Inter quæ ad ſiniſtram manũ meam aſtitit quidam deſpicabilis, clam imponens manui meæ quiddam venenatum & amarum. Et vt illo iniecto merum calicis inficerem, compellere voluit me latenter. Sed vehementer & tam ingens motus vanæ gloriæ ſecutus eſt, vt liquido daretur intelligi, qua fraude hoſtis antiquus donis tuis inuidendo nobis aduerſatur. ¶ Sed gratias fidelitati tuæ Deus, gratias protectioni tuæ vera vna diuinitas, vna & trina veritas, trina & vna deitas: quæ non permittis nos tẽtari ſupra id quod poſſumus, quia quandoque ad exercitationem noſtri profectus concedis tentandi poteſtatem. Si nos videris fidenter tuo adiutorio innitentes, tu litem contra nos propoſitam tuam facis, in tantum, vt ex copioſiſsima liberalitate tibi ſeruans pugnam, nobis tribuas

Nota potum quem ſitit Jeſus.

Gratia lachrymarum à Chriſto datur.

Nota inſidias diaboli.

Vana gloria diaboli ſuggeſtio.

victoriam: ſi tamen voluntatis bonæ ſeruori inhæreamus. Et hoc præcipuè in donis tuis ad augmentum meriti, gratia tua nobis conſeruat, quòd liberum arbitrium ſicut hoſti nullatenus permittis, ita & tu ipſe nullo modo velis auferre nobis. Alio autem tempore, alia ſimilitudine me docuiſti, quòd in eo in quo quis præſtat aduerſario faciliorem conſenſum, in illo etiam hoſti præbet auſum, cùm pulchritudo iuſtitiæ tuæ exigat, te quandoque potentiam miſerationis tuæ aliqualiter occultare in his vitijs, quæ propria negligentia nobis efficit viciniora: & ideo quo maturius, eo vtilius, fructuoſius, & felicius, cui liber reſiſtere poſſumus malo.

Liberum arbitrium ad augmentum meriti datũ.

Nota: vbi ad peccandũ facilior conſenſus, ibi maior hoſtis auſus.

Peccato facilius reſiſtitur principio.

Quàm benignè toleret Deus noſtros defectus.

CAPVV XII.

SVpradicto etiam modo gratias tibi refero pro alia item ſimilitudine, non minus vtili & accepta: qua ſcilicet notificaſti mihi, quàm benigna patientia defectus noſtros ſupportares, vt vel ſic emendatos noſſes beatificare. Cùm enim quoda veſpere in iram commota fuiſſem, & ſequẽti die ante diluculum orandi opportunitas inſtaret,

get, exhibuiſti te mihi in tam peregrina ſpecie, vt ſecundum formam iudicarẽ te tam rerum quàm viriũ ſolatio penitus deſtitutum. Tunc conſcientia ex pręcedenti lapſu emordente, querulans cœpi reuoluere, quàm indecens eſſet in ſummæ puritatis & tranquillitatis authorem, ſtimulis vicioſæ perturbationis inquietare, & dignius iudicaui imo deliberaui malle te potius abeſſe, quàm adeſſe ea ſolũmodo hora, qua negligerem repugnare hoſti ad ea quæ tibi adeo cõtraria ſunt me impellenti. Ad hoc recepi reſponſum tuũ in hunc modũ: Quomodo conſolari poteſt eger, qui vix alienis greſſibus obtinuit induci ad gratũ ſibi ſplendorem ſolis, cùm ingruit repẽtina tempeſtas, niſi in ſpe reuerſionis purioris ſerenitatis. Sic ego tuo deuictus amore tecum eligens habitare inter omnes procellas vitiorũ inundantium, ad ſerenum tuæ emendationis & portum humilitatis intẽdo. Quid abundantius in hac exhibitione per continuum illud triduum mihi præſtiteris, cùm ad hoc explanandũ linguę deficiat effectus: cordis (obſecro) proficiat affectus, & ex profũdo humilitatis, ad quam tũc me potius allexit dignatio tuæ charitatis, doceat me dirigere gratitudinis effectũ ad tuæ pietatis affectũ erga nos tenerum nimis & ſtupendum.

Ob peccata Deus à nobis fit alienior.

Puritas & tranquillitas

Nota ſimile.

Chriſtus benignè expectat emendationem noſtram.

De ſedula affectionum noſtrarum cuſtodia.

CAPVT XIII.

ITem confiteor pietati tuę benignißimè Deus, quòd adhuc alio modo adieciſti inertiam meā prouocare. Et quãuis per interpoſitam perſonā initiaueris, per temetipſum tamē nō minus miſericorditer quàm etiā dignanter hoc cōſummaſti. Quæ dum proponeret mihi ſecundū euangeliū, te in terris natū & à paſtoribus inuentū, primo addidit, mihi hunc ſermonē à te tranſmiſſum, vt ſi veraciter te vellem inuenire, tanquā paſtores gregibus, ſic ſenſibus meis inuigilare ſtuderē. Quod minus gratanter acceptans & mihi valde incongruū iudicās: cùm ſcirem te mentem meā aliter affeciſſe, quàm vt deſeruirē tibi ſicut paſtor mercenarius domino ſuo: & hoc à mane vſq; ad veſperū cum deiectione ſpiritus in pectore verſans, poſt completoriū cùm in loco orationis me recollegiſſem, hac inductione triſtitiam meā lenificaſti. Quia ſi ſponſa accipitribus ſponſi quãdoq; eſcā procurat, nō ob hoc omnino ipſius amplexu fruſtratur. Sic nec ego, ſi cauſa tui, cuſtodię affectionū mearum & ſenſuum inſudauerim, proinde dulcedine gratiæ tuæ fraudarer. Et ad hoc

Chriſtus quomodo inueniendus.

ſub

ſub ſpecie viridis virgę dediſti mihi ſpiritũ timoris: quomodo apud te manens nec ad modicũ ab arctitudine amplexuũ tuorum ſecedens extẽdere poſſem per omnes fines inuiarũ, in quibus affectiones humanæ ſolent aberrare. ¶ Et adiunxiſti, vt quandocunq; aliquid ſubintraret, quod attrahere conaretur quamlibet affectionum mearũ, ſiue ad dexterá, vt gaudium & ſpem: ſiue ad ſiniſtram, vt timorem & dolorẽ, vel iram: ſtatim virga timoris tui reminarem, & illá affectionem ex cohibitione ſenſuum in calore cordis decoctá, velut tenerum agniculum (qui nuper ortus ſit) tibi ad epulandũ miniſtrarem. Verùm quoties (heu) malitia impellente, hoc quod tibi prius obtulerá, cùm ſe occaſio præbuit, per leuitatem ſiue commotionem in verbis vel factis relaxabam, videbar mihi hòc quaſi dentibus tuis extrahendo rapere & inimico tuo prębere. Et inter hæc videbaris me tam benigna ſerenitate reſpicere, quaſi omnino doli inexpertus putares me hoc tibi blandiendo inferre, Vnde ex hoc ad tantam dulcedinem pıæ commotionis multoties induxiſti mentem meam, quòd non credo quòd aliquibus minis terrendo ad tantum affectum de cætero emendandi & cauendi me vnquam potuiſſes inflexiſſe.

De purgationibus & exercitÿs, quibus anima purgatur.

CAPVT XIIII.

DOminica ante Quadrageſimã, dum cantaretur. Eſto mihi, dediſti mihi intelligere, quòd tu o vnice cordis mei, à diuerſis hominibus cõuitia & perſecutiones paſſus, per verba prædicti introitus expeteres à me domicilium cordis mei ad requieſcendum in eo. Hinc per illos tres dies, quoties ad cor meum redij, videbaris mihi ad ſimilitudinem languentis ſupra pectus meum decumbere. Per totos etiam illos tres dies nihil inueſtigaui, quo tibi gratiorem refectionem poſſem miniſtrare: quam vt orationibus, ſilentio, & cæteris afflictionibus pro emendatione mundanorum hominum inſudarem pro tuo honore. ¶ Item gratia tuæ pietatis illuſtrante intellectum meum, pluries reuelaſti mihi, qualiter anima manens in corpore humanæ fragilitatis, offuſcatur ad inſtar vnius qui ſtans in medio anguſtæ habitationis, vndique ſuſciperet in ſe tam circa quàm ſupra & infra ſe nebulam, quam habitatio illa immitteret: velut olla coquens vaporem emittit. Et rurſum cùm contingit corpus per aliquam paſsionem affligi, ex parte

Lætitia mundana Chriſto moleſta.

Oratio & ſilentium.

Anima corporis anguſtÿs offuſcatur.

Afflictio corporis illuſtrat animam.

parte membri patientis ſuſcipit anima tanquàm acrē ſolari luce perfuſum, & ex hoc miro modo clarificatur. Et quo vniuerſalior ſeu grauior eſt paſsio, eo puriorem clarificationē animæ præſtat. Et ſpecialius afflictio vel exercitatio cordis in humilitate, pacientia & ſimilibus, tanto magis animæ candorem colorant, quanto eam vicinius efficacius & propius tangunt. Maxime vero ſerenatur & fulgeſcit ex operibus charitatis. Gratias tibi amator hominū, ꝙ hoc modo aliquoties me ad patientiā allexiſti. Sed heu, & milleſies heu, ꝙ parū & raro tibi cōſenſi, imo nihil feci vt iure debuiſſem. Tu ſcis domine ſup hoc dolorē & cōfuſionem ac deiectionem ſpiritus mei, & deſiderium cordis mei, vt defectus meus alias tibi vtcunque ſuppleatur. ¶ Item cū mihi aliquando communicaturæ ſubmiſſa copiam tui liberalius indulſiſſes, & ego niterer inueſtigare quid facere præualerem quo tibi qualēcunq; viciſsitudinē tātæ dignationis ſalutem ex parte rependere poſſem: tu inſtructor ſapientiſsime, propoſuiſti mihi illud apoſtolicum: Optabam ego ipſe anathema eſſe pro fratribus meis. Et cū vſque ad tempus te docente ſciuiſſem, animæ manſionem in corde conſtare, oſtendiſti

Afflictio corporis illuſtrat animam.

Exercitia pietatis & voluntatis afflictio animam exornant.

Opera charitatis animam ſerenant.

Animæ ſedes in corpore vbi

diſti tunc etiam in cerebro manſionem ipſius: quod poſtea) fateor) ſcriptura teſtante cognoui, licet ante id neſcirem. Et dixiſti, hoc eſſe magnum, ſi anima relicta dulcedine fruitionis cordis cauſa tui corporalibus ſenſibus regendis inuigilaret, ac operibus charitatis inſudaret ad proximorum ſalutem.

Quis animæ labor Deo gratus.

Quantum Deo placeant exercitia charitatis & attentio ſub diuinis.

CAPVT. XV.

DIe ſacratiſsimæ natiuitatis tuæ accepi te tenerum puerulum de preſepio pannis inuolutum, precordijs meis impreſſum: vt ex omnibus amaritudinibus infantilium neceſsitatum tuarum faſciculum myrrhæ mihi colligerem inter vbera mea commoraturum, vt ex eo botrus diuinæ ſuauitatis tuæ intimis meis expreſſius propinaretur. Et cum æſtimarem me hoc dono nunquam maius poſſe accipere, tu qui frequenter præuentum nobiliori dono ſubſequeris, etiam tali modo ſuperfluentiam ſalutaris gratiæ mihi dignatus es variare. Sequenti namque anno eodem die ſub miſſa: Dominus dixit, accepi te ſub ſpecie tenerrimi & delicatiſsimi infantuli de gremio

Faſciculus myrrhæ.

gremio virgineæ genetricis,quem aliquã-
diu ſuper pectore geſtabam.Ad quod coo-
perari mihi videbatur illa compaſsio,quã
animum prædictum feſtum ſpecialibus o-
rationibus exhibueram cuidam afflicto.
Sed fateor cum illud donum habui,heu
minus iuſto colui deuotione:ſed vtrũ hoc
tua iuſtitia, vel mea negligentia exegerit,
neſcio:cum tamen hinc ſperem tuã iuſtitiã
miſericordia cooperante, hoc diſpoſuiſſe
vt hinc mihi lymphidius innoteſceret in-
dignitas mea,& illinc timeam propter neg
ligentiam meam,qua ab inutilibus cogita-
tionibus ſegnius me remoui,hoc mihi eue
niſſe.Sed vtrum illorum in cauſa fuerit,tu
reſponde pro me domine Deus meus.Cũ
vero conatus meos aliqualiter recolligerẽ,
vt amatoria te blanditate fouerem , parum
me ſenſi profeciſſe,donec pro pectoribus,
animabus purgandis,vel alio modo afflic-
tis moui verba orationis , quorum mox
ſenſi effectum.Et ſpecialius cum quodam
ſero proponerem,quod in omni memoria
animarum ſicut hactenus, parentes meos
præpoſuiſſem cum collecta: Deus qui nos
patrem & matrem ita vlterius imponerem
tuos ſpeciales,cum collecta : Omnipotens
ſempiterne Deus,cui nunquam ſine ſpe.
In hoc videbaris mihi amplius delectari.

Opera charitatis deuotionis donum augent.

¶ In-

Attentio ſub diuinis.

¶ Inſuper videbaris ſuauiter demulceri, quando extenſis viribus ad cantandum ita per ſingulas notas meam intentionem in te defixi, ſicut qui cantans quod vſu non bene ſcit, diligenter reſpicit librum. Quanta tamen neglexerim in his & in alijs, quæ tibi cognoui laudabilia, confiteor tibi pater benigniſsime, in amaritudine paſsionis innocentiſsimi filij tui Ieſu Chriſti. In quo tibi ſumme complacere teſtatus es, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Et per ipſum exhibeo tibi emendationem, qua per eundem peto vt omnis negligentia mea ſuppleatur.

De ineſtimabili pietate virginis glorioſæ erga nos.

CAPVT. XVI.

HInc die ſacratiſsimæ Purificationis, cum celebraretur proceſsio illa, qua tu ſalus noſtra & redemptio cum hoſtijs in templum portari dignatus es, ſub antiphona: Cum inducerent, virginea mater tua te filiolum dilectum vteri ſui, reddi ſibi à me repetijt, vultu ſeuero quaſi minus ad placitum ſuum educaſſem te qui es immaculatæ virginitatis ipſius honor & gaudium

dium. Et ego recolens, quod ob gratiam quam inuenit apud te, peccatoribus in reconciliatricem & in ſpem deſperatis data eſſet, prorupi in hæc verba: O mater pietatis, nonne ad hoc datus eſt tibi animæ fons in filium, vt omnibus gratia egentibus eam obtineas, & multitudinem peccatorum ac defectuum noſtrorum operiat charitas tua copioſa. Inter quæ, illa benigna ſerenum ac placabilem pretendens vultum, oſtendit, quod quamuis meis exigentibus malis, mihi ſeuera appareret, repleta tamen eſſet vſque ad ſummum viſceribus pietatis, & penetrata medullitus dulcedine diuinę charitatis: quod certe mox enituit, dum ad tam exigua verbula ſeueritas prætenſa diſceſsit, & naturaliter ingenita ſerena dulcedo reſplenduit. Ipſius ergo matris pietas copioſa ſit apud animam tuam pro omnibus defectibus meis interuentrix gratioſa. ¶ Denique quod ſupereffluentiam dulcedinis tuæ continere non poſsis, luce clarius patuit, dum ſequenti anno, eodem ſacratiſsimo natiuitatis tuæ feſto gratiori dono, ſed non diſsimili modo me decoraueris, quaſi deuotionis meæ magna diligentia hoc à te præcedenti anno meruerit: cum tamen non ſubſequens nouum donum, ſed debitā

Formula piè compellandi S. virg. Mariam.

pœnam

pœnam deperditi præcedentis doni meru-
iſſem. Sub Euangelio enim dum legeretur: Peperit filium ſuum primogenitum, &c. immaculata mater tua immaculatus manibus ſuis porrexit mihi te virginalem paruulum amabilem infantulum, quaſi totis conatibus in amplexus meos nitentem. Et ego, licet heu indigniſsima, ſuſcepi te tenerum puerulum delicatis brachijs tuis collum meum ſtringentem. Vnde ex afflatu ſuauiflui ſpiritus tui de benedicto ore exalantis, tam viuificam ſenſi refectionem vt merito proinde benedicat anima mea tibi domine Deus meus, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto tuo. Et cum beatiſſima mater tua te ſatageret inuoluere pannis infantiæ, ego poſtulabam me tecum ſimul inuolui, ne vel tenui panni medio mihi ſubtrahereris, cuius amplexus & oſcula longe vincunt mellis pocula. Et ſic videbaris inuolui candidiſsima ſyndone innocentiæ & ſtringi aurea faſcia charitatis. Quibus ſi tecum inuolui & ſtringi cuperé, magis oporteret me inſudare omnimodæ munditiæ cordis & operibus charitatis.

Mundities cordis & opera charitatis.

Quibus Ieſum & matrem eius veſtire debemus virtutibus.

CAP-

CAPVT XVII.

GRatias tibi creator ſyderum, veſtitor cœleſtium luminiarium, diuerſorũque vernantium florum, quod quamvis bonorum meorum non egeas, tamen ad inſtructionem meam poſt hæc, die ſanctæ purificationis popoſciſti à me, vt veſtirem te infantulum antequam in templum introducereris. Et hoc idẽ ex occulto theſaurario diuinæ aſpirationis taliter perſuaſiſti mihi perficiendum. Videlicet, cum omni quo poſſem ſtudio extollere niterer mundiſsimæ humanitatis tuæ immaculatam innocentiam, tam integra & fideli deuotione, quod ſi ego in perſona propria habere poſſem omnem gloriam debitam tuæ benignisſimæ innocentiæ, eam libentiſsime abdicarem, vt te in tua innocentia redderem laudabiliorem. Vnde ex tali intentione mea tu (cuius omnipotentia vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt) videbaris veſte candida in forma infantuli veſtiri. Simili etiam deuotione cum abyſſum tuæ humilitatis pertractarem, videbaris mihi deſuper viridi tunica indui, in ſignũ quod florida gratia tua ſemper viret, nec aliquando areſcet in valle humilitatis. Prędicto deinde modo, cum recolerem charitatis

Chriſt⁹ infantulus quomodo à nobis veſtiendus.

Chriſti innocentia veſtis candida.

Chriſti humilitas veſtis viridis.

Chriſti charitas veſtis purpurea.

tatis tuæ incendium (quod te ad omnia facta tua coegit) purpureo amictu circundabaris, ad oſtendendum quod vere regalis veſtis ſit charitas, ſine qua nulllus regnum intrat cœleſte. ¶ Cum vero in glorioſa matre tua eaſdem ſupradictas virtutes pro meo modulo commendarem, ipſa etiam ſimili modo videbatur veſtiri. Et cum eadem benedicta virgo florens roſa ſine ſpina, candenſque lilium ſine macula, abũdet, imo ſuperabundet floribus omnigenarum virtutumm, vt per ipſam noſtra ditetur inopia, ſit pro nobis quæſo ipſa benigna mater apud te perpetua interuentrix.

Quomodo Deus condeſcendat infirmitatibus noſtris, & de humilitate.

CAPVT XVIII.

DIe quadam, dum poſt lotas manus ad menſam inter conuentum in ambitu ſtarem, & claritatem ſolis in virtute ſua lucentis attenderem, hæſitans cogitationibus, dixi in animo meo: Si dominus qui creauit ſolem iſtum, & cuius pulchritudinem ipſe ſol cum luna dicitur mirari, qui etiam ignis conſumens eſt tam veraciter eſſet mecum, ſicut ſe frequenter mihi

mihi præſentem exhibet: quomodo poſſibile, eſſet, vt tam frigido corde, tamque imhumane, imo peruerſe inter homines conuerſarer? Et ecce tu ſubito (cuius eloquium licet ſemper ſit dulce, tamen tunc tanto dulcius erat quanto fluctuanti cordi meo plus neceſſarium) ſubintuliſti, dicens: In quo extolleretur omnipotentia mea, ſi hoc non præualeret, vt quocunque loco fuero, me in memetipſo poſſem continere, ne ſentiar vel appaream vltra quam aptiſsime congruit pro loco & tempore & pro perſona? Nam ab initio creationis cœli & terræ in toto opere redemptionis magis vſus ſum ſapientia benignitatis, quam potentia maieſtatis Cuius ſapientiæ bonitas maxime relucet in tollerando imperfectos, quouſque illos per liberum arbitrium ducam ad viam perfectionis. ¶ Feſtiuo quodam die, dum ad ſanctam communionem accedere viderem plures, quæ ſe orationibus meis commendauerunt: ego vero corporali infirmitate impedita, imo indignitate mea (vt timeo) diuinitus repulſa, recolerem plura erga me beneficia Dei, timere cœpi mihi à vanæ gloriæ vento qui fluentia diuinæ gratiæ poſſet exiccare: & deſiderabam mihi talem immitti

Specimen omnipotentiæ Dei.

Bonitas ſapientiæ Dei vbi maxime reluceat.

immitti intellectum,quo præmunirer in- futurum. Vnde à paterna pietate tua taliter ſum inſtructa,vt ſcilicet æſtimarem affectum tuum erga me in ſimilitudine patrisfamilias,qui gauderet de gratioſa elegantia plurimorum natorum, quibus etiã applauderet numeroſa turba domeſticorum & vicinorum, & inter quos paruulũ haberet qui nondum ad elegantiam reliquorum perueniſſet,quem paterno affectu miſerans, frequentius in ſinum ſuum reciperet,verbiſque ac munuſculis illi prę cæteris blandiretur dulcius. Et adiunxiſti, quod ſi ſic certa æſtimatione me cæteris imperfectiorem reputarem, torrens melleæ diuinitatis tuæ nunquam ſubſiſteret defluere in animam meam. ¶ Gratiarũactiones tibi offero amantiſsime Deus meus amator hominum, per mutuam gratitudinem colendæ ſemper & adorandæ trinitatis,pro iſto & multis alijs ſalutaribus documentis,quibus tu magiſtrorum optime inſipientiam meam pluries erudiſti, & in amaritudine paſsionis Ieſu Chriſti filij tui moueo querimoniam,offerens tibi pœnas & lachrymas eiuſdẽ pro vniuerſis negligentijs meis, quibus ſuauifluum ſpiritũ tuum in me extinxi. Et peto in vnione efficaciſsimæ orationis eiuſdem dilecti filij

tui,in virtute ſpiritus ſancti,omnium peccatorum meorum emendationem,defectuumque meorum ſuppletionem.Quod mihi præſtare digneris per amorem illum,qui te continuit cum tuæ paternæ delitioſitatis amantiſsimus vnicus cum ſceleritatis reputaretur.

Solo diuinæ laudis deſiderio donis Dei quomodo vtendum.

CAPVT. XIX.

Gratias ago benignæ miſericordiæ & miſericordi benignitati tuæ amantiſſime Deus,pro reuelato teſtimonio dignãtiſsimæ pietatis tuæ , quo fluctuantem & vacillantem animam meam ſolidaſti, cum ſecundum aſſuetiorem mihi morem importuno deſiderio expeterem abſolui de carcere carnis miſeræ:nôn ob hoc vt eius miſerias amplius non ſentirem:ſed vt bonitas tua ſolueretur à debito gratiæ,ad quod mihi perſoluendum cauſa ſalutis animæ meæ vehemens amor tuæ propriæ diuinitatis te intricauit:non quaſi tua diuina omnipotentia & æterna ſapientia aliqua coacta neceſsitate illud daret inuitus : ſed quod illud ex ſupereffluẽtiſsima liberalitate pietatis indigniſsimæ impenderet

& ingratæ. Cum enim ſic cuperem diſſolui, videbaris tu decus & corona cœleſtis glorię ab imperiali ſolio tuæ maieſtatis ſuauiſsima quadam & leniſsima declinatione demitti, & inclinare te ad peccatores. Et ex illa dimiſsione quaſi quædam fluenta dulciſsimi liquoris per totam cœli latitudinem diffundebantur, ad quæ ſinguli ſanctorum gratanter acclinati, & velut torrẽtis illius nectarea voluptate iucunde potati, proruperunt in melos dulciſonum laudis diuinæ pro ſua dignatione erga peccatores. Inter quæ etiam hæc verba recepi: Perpende, quam ſuauiter hæc laus penetret aures meæ maieſtatis, & pertingat ad liquefacta intima mei amoroſi cordis: & caue ne vltra tam importune deſideres diſſolui tali intentione, vt ſcilicet non ſis in carne talis quali tibi nunc donum gratuitæ pietatis impendo, quia quanto ad indigniorem me inclinauero, tanto maiori reuerentia merito ab omni creatura extollor. ¶ Et cum hæc conſolatio mihi præſtita eſſet in illa hora, qua ad tua viuifica accederem ſacramenta, & inde circa illa (vt iuſtum erat) haberem verſam intentionem addidiſti iā dictæ reuelationi etiā & hunc intellectum, quod ſcilicet eo modo & intẽtione quilibet accedere deberet ad ſacratiſ-

ſimam corporis & ſanguinis tui vnionem vt amore amoris & gloriæ tuæ paruipenderet, etiam ſi poſsibile eſſet quod magnam damnationem ſibi in ſacramento ſumeret, vt tantummodo diuina pietas tua magis clareſceret per hoc quod ſe tam indigno non dedignaretur communicare Ad hæc cũ ego hanc excuſationẽ ſubinferrem, quod quiſquis reſpectu ſuæ indignitatis abſtinet à communione, ea intentione abſtinet ne præſumptuoſe irreuerentiã inferat ſacramento tam prædigno: ad hæc benedictum reſponſum tuũ accepi in hæc verba: Tali quam dixi, laudis ſcilicet meæ deſiderio, intentione præſumens nunquã aliquis irreuerenter accedere poteſt. Pro quo tibi laus ſit & gloria per infinita ſeculorum ſecula.

Gratiarum actio pro ſpecialibus priuilegijs ſibi à Deo collatis, & de gratia ſeruantibus memoriam eius poſt mortem promiſſa.

CAPVT. XX.

COr meum & anima mea cum tota ſubſtantia carnis meæ omnibuſque ſenſibus & viribus corporis & ſpiritus

 mei

mei cum vniuerſitate totius creaturæ lau-des & gratiarum actiones dicant tibi, dul-ciſsime Deus, fideliſsime amator humanæ ſalutis, pro dignantiſsima miſericordia, qua non ſuffecit pietati tuæ diſsimulare quod totiens indecenter parata, accedere non vereor ad ſacratiſsimi corporis & ſan-guinis ſuperexcellentiſsimum conuiuium niſi etiam abyſſalis ſupereffluentia tua mi-hi inſtrumentorum tuorum viliſsimo & in utiliſsimo hunc colorem dono tuo ſuper-addere dignata ſit. ¶ Primo ſecũdo quod ex gratia tua certitudinẽ accepi, ꝙ omnis qui ad tantũ ſacramentũ accedere deſide-rans, ſed habens timorẽ conſciẽtiæ trepidã-tis retrahitur, ſi humilitate ductus à me fa-mularum tuarũ minima querit confortari: pro hac ipſius humilitate, tua incontinen-tiſsima pietas dignum ipſum iudicat tan-tis ſacramentis, quæ vere percipiet in fruc-tum ſalutis æternæ. Adiungens, ꝙ ſi quem iuſtititia tua non permitteret dignũ à me iudicari, nunquam permittere velles illũ ad meum conſilium humiliari. O domina-tor excelſe, qui in altis habitas & humilia reſpicis, quid diuina dictauit miſeratio tua cũ videres toties me indigne accedentem iuſtitia liberante iudiciũ promereri: tu vo-lens alios dignos efficere ꝑ virtutem humi lita-

Conſilium & confortatio ad communi-cationem.

litatis, quamuis ſine me hoc melius poſſes indigentiæ tamen meæ conſulens pietas tua, hoc per me perficere decreuit: vt vel ſic participari poſſem meritis ipſorum, qui monitis meis fructu ſalutis potirentur. ¶ Sed cum heu nequaquam hoc ſolo egeat miſeria mea, nequaquã etiam vnꝰ tantũ remedio contenta fuit miſeratio tua, deus benigne. Vnde & addidiſti me indigniſsimam certificare, quod quicunque corde contrito & ſpiritu humiliato aliquem defectum mihi querulãdo expoſuerit, ſecundũ qđ per verba mea defectũ illũ maiorẽ ſiue minorem audierit, ſecundum hoc tu miſericors Deus velles iudicare eum culpabiliorem vel innocentiorem. Et ꝙ gratia tua mediante poſt horã illã ſemper habere deberet tale releuamen, ꝙ nunquam tã periculoſe premi poſſet ab illo defectu, ſicut antea fuerat preſſus. Et in hoc etiam meæ miſerrimæ cõſulens indigentiæ, vt que per omnes dies vitæ meæ ita negligens extiti, quod heu nunquam vel minimum defectũ debito modo ſuperaui, ſaltem aliorũ victoriæ mererer participari, cum tu Deus meꝰ bone, dignaris me viliſsimum inſtrumentum tuũ ad hoc aſſumere, vt per verba oris mei alijs dignioribus amicis tuis gratiam victoriæ miniſtrares. ¶ Tertio etiam co-

Alleuiatio defectuum.

Certa promiſſio veniæ. piosa liberalitas gratiæ tuæ inopiam meritorum meorum ea certitudine ditauit, qđ cuicunque aliquod beneficium vel alicuius delicti indulgentiam ex confidentia diuinæ pietatis tuæ promiſerim, hoc benignus amor tuus ſecundum verbum meum tam firmum tenere proponeret, quaſi tu hoc ore tuo benedicto iuraueris in veritate. *Ratificatio Chriſti.* Et hoc veraciter fieret. Addens quia ſi videretur alicui, quod effectus tam ſalubris longe vltra placitum protraheretur, ille conſtanter ammonendo tibi proponere deberet, quod ego ex parte tui ſalutem ipſi promiſiſſem. *Conſtans fiducia de donis & meritis D. Gertrudis collatis.* In hoc taliter ſaluti meæ prouidens, ſecundum illud euangelicum. Eadem menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis, vt cum ego heu nõ deſiſtam in maioribus ſæpe culpis delinquere, ſaltẽ ſic habes occaſionem culpas meas remiſſius iudicandi. ¶ Quarto ad benefaciendum neceſsitati meæ & hoc addidiſti in- *Efficacia interceſſionis D. Gertrudis.* ter cætera me certificando, ꝙ quicunq; humili ac deuota intentione ſe orationibus meis commendaſſet, proculdubio cõſecuturus eſſet, omnẽ fructũ, quem credere poſſet aliquem hominem per alterius orationẽ obtinere poſſe In hoc etiam meæ cõſulens negligẽtiæ, qua cũ omnino deficiã in pſoluendo tam debitas q̃ gratuitas pro eccleſia oratio-

orationes, quib' ego ipſa lucrari poſſem (ſecundum illud: Oratio tua in in ſinu tuo cõuertatur) de fructibus electorum tuorum qui per me indigniſsimam poſtulant beneficia, tu mihi per participationẽ cõcederes aliquãtulã portionẽ ſuppletionis. ¶ Quinto nec in hoc ſuperſediſti ſalutẽ meã augere, ꝙ quaſi ſpeciali dono cõtuliſti mihi, vt omnis qui cum bona voluntate intentione recta & humili confidentia, de profectu animæ ſermonem mihi moueret, nunquam à me diſceſſurus eſſet ſine ædificatione ſiue cõſolatione ſpirituali: quaſi hoc ipſum etiã congruũ preuidens indigentiæ meæ, quia cũ ſæpe, heu per inutilia verba defluens talentũ facũdiæ mihi indignæ à tua largitate creditũ, quaſi per terras diſpergo, ſaltem de alieno depoſito aliquantulum fructũ lucri ſpiritualis recolligam. ¶ Sexto liberalitas tua benigne Deus adauxit mihi donũ per omnia neceſſarium, certificans ſcilicet me pro eo, qꝓ, quicunque in charitate pro me viliſsima creaturarum Dei deuota fidelitate orauerit, vel etiam ad emendandum delicta & ignorantias iuuentutis, imo malitiæ & nequitiæ meæ ſe verbis oratorijs ſeu operibus bonis tibi exhibuerit, hoc præmio à liberaliſsima pietate remunerraretur, quod nunquam exiet de hoc ſe-

Conſolatio & profectus Spiritualis.

Meritum intercesſionis pro hac virgine.

culo antequam tali gratia donaretur, quod conuerſatio ipſius in tantum tibi complaceat quod alicuius ſpecialis familiaritatis delectationē in anima ipſius poſsis habere: & hoc ex benigniſsima tua paternitate ꝓpter meam magnam dando neceſsitatē, cum non ignorares quanta & quā multiplici emendatione mihi opus eſſet pro tam innumeris delictis ſeu negligentijs meis, quum amans miſericordia tua nullatenus ſineret me perire: & econtra pulchritudo iuſtitiæ tuæ nullo modo permittere poſſet me cum tam diuerſis nègligentijs meis ſaluari, per hoc ſaltem mihi prouideretur, quod ex participatione plurimorum, lucrum creſceret ſingulorum. ¶ His ex incontinentia liberalitatis tuæ benigne Deus ſuperaddidiſti, quod ſi quis poſt obitum meum intelligens quod paruitati meæ dignantius fuerit familiaritas tua in vita mea acclinata, & ob hoc velletſe orationibus meis licet indignis humiliter commendaſſe: illum velles tam dignanter exaudire, ſicut aliquem exaudire poſſes per alterius orationem, ſi ad recuperanda neglecta cum humili deuotione gratias tibi ageret, ſpecialiter pro quinq; beneficijs: videlicet primo pro amore, quo me gratuita pietas tua ab æterno præelegit. Quod, vt verum

Meritum gratiarum actionis pro quinq; beneficijs huic virgini à Christo collatis.

Quinque beneficia D. Gertrudi à Chriſto collata.

1. Amor.

nerum ſatear, vere præ ceteris gratuitis donis permaxime gratuitum eſt: cum non ignorares ſed bene præuideres ſeriem peruerſæ conuerſationis meæ, & in ſingulis donis tuis malitiam & nequitiam atque vicium ingratitudinis meæ, intantum quod iuſte etiam inter paganos negaſſes mihi decus humanæ rationabilitatis: cum tamen pietas tua longe ſuperans mala noſtra ielegerit me præ cæteris chriſtianis ſacra religione inſigniendam. ¶ Secundo, quod me ſalubriter attraxiſti. Et hoc ipſum confiteor eſſe tuæ manſuetudinis & pietatis, quæ tibi naturaliter ineſt, quando tu indomitum cor meum (cui ferrea vincula aure debentur) tam dulcibus blāditijs tibi ittraxiſti, quaſi collegā manſuetudinis tuę in me inueniſſes & quaſi mihi vniri eſſet tibi ſuper omnia delectabile. Tertio, quod familiariter tibi vniſti. Et hoc idem (vt iuſtiſsime debeo) aſsigno ſupereffluentiæ incontinentiſsimæ liberalitatis tuæ, quaſi iuſtorum numerus non ſufficeret ad excipiendam nimietatem pietatis tuæ, me extremam in meritis aduocare dignatus es, non vt habiliorem facilius iuſtificares, ſed vt in minus habili clarius luceret miraculum tuæ dignationis. Qarto, quod iucunde habitare & delitias habere dignatus es in

2. *Attractio.*

3. *Vnitio.*

4. *Delitioſa inhabitatio.*

in anima mea. Et hoc ipſum (ſi ita loqui poſſum) de puto extatico amori tuo quo minime dedignatus es etiam verbis teſtari dicens delitias tuas eſſe quod omnipotens ſapiētia tua ſe tā ſtupenda dignatione vnire poteſt illi, qua tibi tota diſsimilis eſt & prorſus ingrata. Quinto quod feliciter cōſummare me dignaris. Quod beneficiū à dulciſsima pietate benigniſsimi amoris tui me, quamuis indigniſsimam, accepturam ſecundum fidele promiſſum veritatis tuæ, humiliter firmiterque ſpero, & ſecuriſsima charitate cū gratitudine complector, nullis omnino meritis meis, ſed ſola gratuita clementia animæ tuæ, ò meum ſummū, imo ſolum verum æternale bonum. Hæc ſingula cum ſint tam ſtupendæ dignationis tamque omnino paruitati meæ indecentia, quod nullo modo ſufficere poſsint gratiarum actiones à me tibi factæ: ideo etiam in hoc ſubuenisti indigentiæ meæ qđ benignis promiſsionibus ad gratiarum actiones induxiſti cæteros, quorum meritis defectus meus poſsit ſuppleri. Pro quo ſit dignationi tuæ laus condigna & gratiarum actio ex parte omnium cœleſtiū, terreſtrium, & infernorum.

5. Felix conſummatio.

Gratia-

Gratiarum actio pro confirmatione prædictorum priuilegiorum.

CAPVT XXI.

SVper hæc omnia adiecit inæſtimabilis virtus charitatis tuæ, Deus meus, hæc dona ſupra dicta tali pacto dignantiſsimè obfirmare. Nam cùm die quodam mente reuoluerem ea & ex comparatione pietatis tuæ ad impietatem meam (quàm in infinitum ſuperabundare gaudeo) vſque ad illam præſumptionem ducta fuiſſem, quòd cauſarer te mihi ea more pollicitantium manu ad manum non firmaſſe, tua tractabiliſsima ſuauitas his obiectionibus ſe benignè ſatisfacturam promiſit, dicens: Ne hoc cauſeris, accede & ſuſcipe pacti mei firmamentum. Et ſtatim paruitas mea conſpexit te quaſi vtriſque manibus mihi pandere arcam illam diuinæ fidelitatis atque infallibilis veritatis, ſcilicet, deificatum cor tuum, & iubentem me peruerſam more Iudaico ſigna quærentem, dexteram meam extendere. Et ſic ſacratiſſimum cor tuum mihi patefactum retrahens manu mea incluſa dixiſti: Ecce dona tibi collata me tibi illibata ſeruaturum promitto. Id tamen, quòd ſi ad tempus diſpenſatiuè ipſorum effectum ſubtraxero, ob-

obligo me poſtmodũ triplici lucro id perſoluturum ex parte omnipotentiæ ſapiẽtiæ & benignitatis virtuoſæ trinitatis, in cuius medio ego viuo & regno verus Deus per æterna ſecula ſeculorum. Poſt quæ ſuauiſſimæ pietatis tuæ verba cùm manum meam retraherem, apparuerunt in ea ſeptem circuli aurei in modum ſeptem annulorũ, in quolibet digito vnus, & in annulari tres in teſtimonium fidele, quòd prædicta ſeptẽ priuilegia mihi ad votum meum eſſent confirmata. Hinc etiam incontinentia pietatis tuæ adiecit hęc verba: Quoties tu indignitatem tuam recogitãs te immeritam agnoſcis donorum meorum, & inſuper de pietate mea confidis: toties mihi offers debitum cenſum de bonis tuis. O quàm ſubtiliter paternitas tua nouit prouidere filijs extrema vilitate degenerantibus, cùm poſt expenſionem ſubſtantiæ innocentiæ, & per conſequens gratæ tibi deuotionis, acceptare digneris hoc cuius cumulus latere non poteſt, ſcilicet cognitionem indignitatis meritorum meorum. Quam tibi laudabiliter, mihique ſalubriter cognoſcere in omnibus donis tuis tam minoribus quàm exterioribus, & inſuper de pietate tua plenè tibi confidere, da dator munerum, à quo omne bonum procedit, & ſine

Septem annuli aurei.

Agnitio indignitatis noſtræ quàm ſit Deo grata.

ne quo nihil validum ſeu bonum poterit reputari.

Gratiarum actio pro viſione Dei transfiguratiua, eiusq; oſculis & amplexibus.

CAPVT XXII.

INiuſtum etiam omnino iudicaui, recolens gratuita beneficia tuæ amicabilis clementiæ erga me valdè indignam, ſi etiã hoc quaſi ingrata pertranſirem, quod in quadam quadrageſima accepi mira dignatione tuæ amiciſsimæ pietatis. In ſecunda enim illius dominica, dum ad miſſam ante proceſsionem cantaretur reſponſorium: Vidi dominum facie ad faciem & cætera, mirabili quodam & inæſtimabili coruſcamine illuſtrata anima mea luce diuinæ reuelationis, apparuit mihi tanquam faciei meæ applicata facies quædam, ſecundum quod Bernardus dicit: Non formata ſed formans, non perſtringens oculos corporis, ſed faciem lætificans cordis grata amoris munere non colore. Ex hac melliflua viſione cùm ſolares oculi tui oculis meis directè oppoſiti viderentur, qualiter tu ſuauis dulcedo mea tùnc affeceris non ſolùm animam meam, verumetiam cor meum cum omnibus viribus, cùm tibi ſoli ſit notum: proinde da, vt quoad vixero, tibi *Viſio faciei Domini.*

 per-

perſoluam famulatum deuotum. ¶ Sed quamuis longè aliter placaet roſa tempore vernali cùm virens & florens dat odorem, quàm tempore hyemali cùm diu arefacta dicitur ſuauiter redoluiſſe: aliquantulum tamen excitare videtur delectationem recordatio prælibatorum. Vnde & ego quali poſſum ſimilitudine proferre deſidero, quid paruitas mea in illa præiucundiſsima viſione tui ſenſerit, ad laudem amoris tui: vt ſi quis legentium forte ſimilia vel maiora acceperit, per recordationem ad gratiarum actionem excitetur. Et ego ipſa etiam ſæpius recolendo caliginem negligentiarum mearum, aliqualiter illas reprimam per gratitudinem hoc ſpeculo ſolari vibrato. Cùm igitur deſideratiſsimam faciem tuam exhibentem copiam totius beatitudinis, vt prædixi, mihi immeritæ applicuiſſes, ex deificis oculis tuis ſenſi per oculos meos intrantem lucem quandam inæſtimabiliter ſuauificam: quę tranſiens omnia interiora mea, ſupra modum mirabilē virtutem in omnibus membris videbatur operari. Primo quidem quaſi euacuans omnes medullas oſſium meorum. Hinc etiā ipſa oſſa ſimul cum carne annihilans, in tātùm, quòd tota mea ſubſtantia nihil aliud ſentiebatur eſſe quàm ſplēdor ille diuinus,

Dulcedo ineffabilis diuinæ viſionis.

Abſorptio in fruitionem Dei.

qui

qui, vltra quàm dici poſsit delectabili modo in ſeipſo colludens, inæſtimabilem animæ meæ exhibuit ſerenitatis iucunditatem ¶ O quid amplius dicam de iſta (vt ita dicam) dulciſsima viſione? quia, vt vnum fatear prout mihi videtur, omnium linguarum eloquentia per omnes dies vitæ meæ hunc preclarum modũ videndi te etiam in cæleſti gloria nunquã perſuaſiſſet, ſi dignatio tua Deus meus vnica ſalus animæ meæ per experientiam me ad illam non induxiſſet. Hoc tantum dicere me delectat, quòd ſi eſt in diuinis ſicut in humanis, quòd ſicut virtus oſculi tui intantũ excedit iſtã viſionẽ ſicut ego æſtimo, verè dico, niſi diuina virtus tua cõtineret hominẽ nunquã permitteret animã in corpore permanere, cui hoc vel momentaliter guſtare indultũ foret. Quamuis non ignorem inſcrutabilẽ omnipotentiã tuam ex abundantia pietatis tam viſionẽ quàm etiã amplexum & oſculũ cum cæteris amatorijs exhibitionibus, pro loco, pro tempore, & pro perſona ſolitã congruentiſsimè temperare, & ſæpius experta ſum. (Pro quo tibi gratiarum actiones in vnione mutui amoris ſemper venerandæ trinitatis offero) dignationem præſuauiſſimi oſculi tui, intantum quòd quandoque ſedenti mihi & intendenti tibi in intimis

Nec oculus vidit nec auris audiuit quæ præparauit Dominus diligentibus ſe.

Oſculi diuini ſuauitas.

&

& legenti horas canonicas ſeu vigilias pro defunctis, ſæpè inter vnum pſalmũ decies vel pluries prædulce oſculum infixiſti ori animæ meæ, oſculum quod omne aromaticum excedit & mellis poculum. Et etiam multoties tuum amiciſsimum aduerterim in me reſpectum ac ſtrictiſsimum perſenſerim amplexum in anima mea. Et hæc omnia quamuis miræ fuerint ſuauitatis, nunquam tamen (verè fateor) in aliquo talem virtutis effectum ſum experta, ſicut in illo excellentiſsimo reſpectu, quem prædixi. Pro quo & etiam pro alijs, quorum effectũ tu ſolus noſti, ſit tibi exhibitio ſuauitatis illius, quàm in ſupercæleſti apòtheca deitatis ſupra omnem ſenſum præiucundè, perſona perſonæ communicat. ¶ Item conſimilis ſit tibi gratiarum actio vel etiam maior, ſi fieri poſſet, pro dono quodam ſuperexcellentiſsimo tibi ſoli noto, cuius dignitatis magnitudo non ſinit me verbis hoc exponere, nec etiam intactum relinquere: ne forte ſi humana fragilitas aliquo modo quamuis omnino indebitè, hoc memoriæ meæ ſubtraheret (quod abſit) ſaltem his ſcriptis ad memoriam & gratitudinem illius poſsim reuocari. Attamen tua benigna pietas o Deus meus, omnino auertat à me omnium creaturarum indigniſsima hanc

Gratias agit pro quodam excellenti dono, quod hic non aperit.

per-

peruerſam inſaniam, vt vnum ictum oculi voluntariè permittam abſtrahi gratitudini tibi debitæ pro iucundiſsimo dono viſitationis tuæ, quòd tam gratis ab incontinentiſsima liberalitate tua percepi, & per tot annos abſquè meis meritis ſeruaui. Quia quamuis ſim inter omnes indigniſsima, fateor tamen me in hoc dono maius accepiſſe, quàm vnquam vllus homo poſſet in hac vita promereri. Peto igitur à dulcedine pietatis tuæ, vt hoc donum eadem dignatiòne qua illud mihi gratis & ſine merito contuliſti, etiam in me ad laudem tuam conſerues, & per illud talem effectum in me peripſemate opereris, pro quo ab omni creatura in infinitum lauderis: quia quanto manifeſtius patet indignitas mea, tanto magis claret gloria tuæ dignantiſsimæ pietatis.

Epilogo quodam recenſet diuinæ bonitatis beneficia, & è regione ſuæ ingratitudinis vitia. Et hæc vna cum præcedentibus deuotius quo potuit, ſtatutis temporibus legere conſueuit.

CAPVT XXIII.

BEnedicat tibi anima mea, domine Deus creator meus. Benedicat tibi anima mea, & ex medullis intimarum mearum con- *Gratiarum actio.*

confiteatur tibi miſerationes tuas, quibus incontinentiſsima pietas tua tam indebitè circũuenit me, o dulciſsime amator meus. Gratias ago vndecunque poſſum immenſæ miſericordiæ tuæ, cum qua laudans glorifico longanimem patientiam tuam, qua diſsimulaſti mecum cum omnes annos, infantiæ, pueritiæ, adoleſcentiæ & iuuentutis meę penè vſque ad finem viceſimi quinti anni, tam cæcata dementia pertranſire, vt cogitationibus, verbis & factis perfeciſſem abſque remorſu conſcientiæ (vt mihi nunc videtur) omne quod ſubiſſet vbicunque licebat (ſi tu illud ſiue per naturaliter mihi inſitam mali deteſtationem, & boni delectationem, ſiue per exteriorem proximorum redargutionem aut alijs modis nõ præcauiſſes ac gratuita miſericordia tua me præſeruaſſes) ac ſi pagana inter paganos vixiſſem, & nunquam intellexiſſem quòd tu Deus meus, vel bonum remunerares, vel malum punires: cùm tamen ab infantia à quinto ſcilicet anno me inter deuotiſsimos amicos tuos in triclinio ſanctæ religionis tibi elegeris habilitari. Tua beatitudo Deus meus quamuis nec creſcere nec decreſcere poſsit, cùm bonorum noſtrorum non egeas: tam culpabilis tamen & tam negligens vita mea (ſi aliqualiter

ter dici poteſt) ceſsit in detrimentum laudis tuæ, quem ſine intermiſsione ſingulis momentis tota ſubſtantia mea cum omni creatura meritò laudare deberet. Quid ſuper his ſentiat vel etiam ſentire poſſet cor meum ex dignantiſsima acclinatione tui ab ipſis etiam fundamentis commotum, tu ſolus noſti. ❡ Vnde in eadem commotione, o pater amantiſsime, pro emendatione omnium peccatorum meorum, offero tibi omnem paſsionem tui dilectiſsimi filij, quam ab illa hora qua in pręſepio ſuper fœnum reclinatus, vagitum dedit & deinceps pertulit, per infantiles neceſsitates, pueriles defectus, adoleſcentiles aduerſitates, & iuueniles paſsiones, vſque poſt horam illam qua inclinato capite in cruce cum clamore valido ſpiritum emiſit. Item in ſuppletionem omnium negligentiarum mearum, tibi offero pater amantiſsime omnem conuerſationem filij tui ſanctiſsimam: quę in omnibus cogitationibus verbis & factis perfectiſsima fuit ab hora, qua miſſus ab arce throni intro iuit per aurem virginis in regionem noſtram tuus vnigenitus, vſq; poſt illam horam, qua tuis paternis vultibus pręſentauit victricis carnis gloriam. ❡ Ac deindè cùm iuſtum ſit vt compatiatur tibi cor amici tui ſuper

Compaſsio noſtra in paſsione domini.

ſup er omni aduerſo, rogo per vnigenitum tuum in virtute ſpiritusſancti, vt quicunq; à me rogatus vel aliquo modò inductus, voluntatem ſuá ad hoc inclinauerit, quod ad laudem tui defectum meum ſupplere voluerit, etiam vno gemitu vel alio quátumuis paruo opere in vita mea, vel poſt mortem meam: vt pro ipſo etiam ſuſcipias hãc oblationem paſsionis & conuerſationis dilecti filij tui in emendationem & ſuppletionem omnium peccatorum & negligentiarum ipſius. Ad quod obtinendum exoro, vt apud te permaneat deſiderium meũ indefeſſum vſque ad finem ſeculi, etiam adhuc, cùm tibi per gratiam tuam conregnauero in cælis. ❡ Item pro gratiarumactione in profundiſsimam abyſſum humilitatis me demergens cum ſuperexcellenti miſericordia tua, ſimul collaudo & adoro illam dulciſsimam benignitatem, qua me adeo perdite viuente, tu pater miſericordiarum cogitaſti ſuper me cogitationes pacis & non afflictionis, quomodo, ſcilicet me ſic multitudine & magnitudine beneficiorum tuorũ exaltares, ac ſi præ cunctis mortalibus vitam angelicã in terris duxiſſem. Et hoc inchoaſti in aduentu illo, antequam in Epiphania tunc ſequenti finirem viceſimum quintum annum, quadam turbatione,

Nota modum rem piam à Deo ardenter deſiderandũ.

ne,qua ſic commotum eſt cor meum,quòd omnis iuuenilis laſciuia mihi deſipere cœpit, & per hoc præparatum eſt tibi aliqualiter cor meum, Poſt incœptum viceſimũ ſextum annum, feria ſecunda ante feſtum purificationis,in crepuſculo diei illius poſt completorium, cùm noctε iam dictæ perturbationis, tu lumen verum lucens in tenebris, terminaſti mihi etiam diem puellaris vanitatis, obſcuratum tenebris ſpiritualium ignorantiarum. Nam in hora illa euidentiſsima dignatione mirabiliter & ſupra modum delectabiliter aderas mihi, amicabiliſsima reconciliatione me cognitioni & amori tuo aſſocians,& me ducens ad intima mea, mihi ante horam illam valde incognita : & mecum agere cœpiſti miris & occultis modis, vt deinceps quaſi in domo propria amicus cum amico, imo ſponſus cum ſponſa, in corde meo delitias tuas iugiter cum anima mea poſſes habere. ¶ Pro quo pietatis negocio diuerſis horis diuerſiſque modis me viſitans, ſed ſpecialius magisq; dignanter in vigilia ſacræ annunciationis, tandem ante aſcenſionem, die quodam mane affectuoſius incipiens, & veſperè poſt Completorium perficiẽs, hoc donum omni creaturæ ſtupendum & reuerendum contuliſti, quòd ſcilicet ab illa hora

Viſitationis diuinæ modus.

ra

ra vſque in præſens nunquam ad oculi ictū ſenſi vel cognoui te cordi meo alienatum: quin ſemper te mihi adeſſe ſcirem, quādocunque ad mea interiora me verterem, exceptis ſemel vndecim diebus. Quantis & quàm plurimis omni acceptione dignis bonis inter hæc mihi ſalutarem præſentiam tuam gratiorem effeceris, cùm nullis poſſim verbis explicare, da dator munerum vt proinde dignam tibi offeram hoſtiam iubilationis in ſpiritu humilitatis. Et præcipuè pro eo, quòd tam amœnam ſecundum beneplacitum tuum atque meum, in corde meo tibi præparaſti inhabitationem, quòd nec de templo Salomonis nec de triclinio Aſſueri legi vel audiui, quod mihi videbatur præferendum delitijs illis, quas cognoſco gratia tua teipſum præparaſſe in intimis meis, & quibus conceſsiſti me indignißimam pariter tecum frui tanquam reginam cum rege. ¶ Inter quæ & illa duo ſpecialius præfero, quòd ſcilicet impreſsiſti cordi meo ſaluberrimorum vulnerum tuorum præclara monilia & ad hoc vulnus amoris tam euidenter & efficaciter etiā cordi meo infixiſti, quòd ſi nunquā maiorem conſolationem nec interius nec exterius mihi dediſſes, in illis duobus ſolis tantam beatitudinem contuliſti (ſi mille annis viuere

uere deberem) ſingulis horis pluſquam ſa tis conſolationis, eruditionis, & gratitudinis inde poſſim habere. ¶ Addidiſti etiam mihi inter hæc inæſtimabilem amicitiæ familiaritatem impendere, diuerſis modis illam nobiliſsimam arcam deitatis, ſcilicet deificatum cor tuum præbendo in copiam omnium delectationum mearum, nũc gratis dando, nunc ad maius indicium mutuæ familiaritatis illud mihi pro meo commutando: cum quo & tam occulta ſecretorum iudiciorum ſimul & delitiarum tuarũ mihi manifeſtaſti ac tam amiciſsimis blanditatibus animam meam multoties liquefeciſti, quod ſi ignorarem abyſſalem ſupereffluentiã dignationis tuæ, mirarer ſi intelligerem te prę omni creatura ſoli dignę matri tuæ benigniſsimæ tecum regnãti in cælo tam dignantiſsimæ blanditatis exhibuiſſe affectum. ¶ Inter hæc tam leni blanditate quandoque perduxiſti me ad ſalubrem cognitionem defectuum meorum, tamque amicabiliter in his peperciſti rubori meo, ac ſi tu (quod etiam nefas eſt dicere) dimidiam partem regni tui exinde amiſiſſes, ſi puerilem verecundiam vel in modico commouiſſes. Ita velut aſtuta quadam inuolutione reuelaſti mihi aliquo quorum defectus tibi nõ placere. In

qui-

quibus defectibus ad me rediens culpabiliorem inueni me, quàm aliquem illorum quos mihi oſtendebas: cùm tamen nec minimo nutu mihi vnquã notificaueris, quòd defectus tales in me vel ſaltem modicè vnquam aduertiſſes. ¶ Inſuper tam fidelibus promiſsionibus allexiſti animam meam, qualiter mihi in morte & poſt mortem velles benefacere, quod iure etiam ſi nullum aliud donum à te haberem, pro hoc ſolo iugiter viua ſpe anhelaret ad te cor meum. Nec ſic quidem exhauſtum eſt pelagus tuę incontinentiſsimæ pietatis, quin orantem me frequentius exaudiret tam incredibilibus beneficijs, ſiue pro peccatoribus, ſiue pro animabus, ſiue pro alijs cauſis: quòd nunquam inueni amicum, cui ſine hæſitatione auderem illorum magnitudinem notificare, ſicut ego ea cognoui, propter puſillanimitatem cordis humani tardi ad credendum. ¶ Ad cumulum ergo beneficiorum hoc addidiſti, quòd mihi dulciſsimã matrem tuam beatiſsimam virginem Mariam in procuratricem tribuiſti, & me ſæpius affectui ipſius amicabiliter commendaſti, ſicut vnquã diligentius fidelis ſponſus dilectam ſponſam propriæ matri potuit commendare. ¶ Inſuper in ſpeciale miniſterium deputaſti mihi ſæpius nobiliſsi-

liſs imos palatij tui principes, non ſolùm de choris angelorum & archangelorum, ſed etiam altiorum, ſecundum quòd pietas tua benigniſsime Deus mihi magis congruere iudicabat, vt ad conuenientiora ſibi obſequia in ſpiritualibus exercitijs me promoueret. Sed cùm ego indigniſsima per degenerem ingratitudinem meam (quando tu diſpenſatiuè ad maiorem ſalutem meam ſaporem delectationis ex parte ſubtraheres) ſtatim dona tua quaſi nihil valentia obliuioni traderem, ſi poſt tempus gratia tua contigit me reſipiſcere, & hoc quod amiſeram ſiue qualecunque donum à te repetere: in ipſo momento illud mihi illibatum reſignaſti, ac ſi ego diligentiſsima cura illud in tuum ſinum mihi reſeruandum repoſuiſſem. ¶ Super hæc omnia, quòd miro modo præferendum eſt, multoties, ſed ſpecialius in feſto ſacratiſsimæ Natiuitatis tuæ, & in vna dominica, ſcilicet Eſto mihi, &c. & alia etiam dominica poſt Pentecoſtes, induxſti, imò rapuiſti me ad talem tui vnionem, quòd ſuprà miraculum miror, quòd poſt illas horas potui amplius viuere ſicut homo inter homines, & quòd magis ſtupendum imò horrendum in me eſt, quòd heu defectus meos poſtea, vt iure debuiſſem, non emendaui. Sed in his om-

nibus fons miſericordiæ tuæ non eſt exiccatus, o Ieſu omnium amantium amantiſsime, imò ſolus amans veraciter gratis & indignos. Nam cùm pro lapſu temporis mihi viliſsimę, indigniſsimæ & ob hoc ingratiſsimæ deſipere inciperent talia (quæ merito ſine intermiſsione cœlum cum terra inæſtimabili extolleret tripudio, maxime vel ob id quòd ſe tam indefinitè ſummus Deus tam infinitæ extremæ vilitatis vermiculo acclinare dignatus eſt) tu dator, renouator & conſeruator omnis boni, per hoc me torpentem ad gratitudinem reexcitaſti, quòd ſcilicet quibuſdam perſonis, quas noui magis tibi deuotas & familiares, hoc de donis tuis mihi datis reuelaſti, quod certiſsimè ſciui quòd ab homine habere non poterant, cùm ego hoc nulli hominum reuelaſſem, & tamen ex eorum ore audiui verba quæ ego in ſecreto cordis mei cognoui. ¶ Cum his verbis & cæteris quæ inter hæc ſe memoriæ meæ ingerunt, tibi quod tuum eſt reddo, & per organum illud dulciſonum, ſcilicet diuinum cor tuum, per virtutem ſpiritus paracleti ea reſonans decanto, tibi domine Deus pater colende, laudes & gratiarum actiones ex parte omnium cæleſtium, terreſtrium & infernorum, omnium quæ ſunt, fuerunt, quæ-

que

quę poſt futura ſunt. ¶ Cum igitur aurum diſtinctionibus colorum magis rutile & inter cæteros colores nigredo notabiliorem faciat diſtinctionem, propter ſui ab auro diſsimilitudinem, addo etiam quod meum eſt, ſcilicet ingratiſsimæ conuerſationis meæ nigredinem contra tam diuinitus ſplendentem erga me beneficiorum numeroſitatem. Nam cùm tu dare non poſſes alia dona quàm te decerent, ſecundum tibi ingenitam regiam imo diuinam liberalitatem, ego etiam pro ingenita mihi ruſticitate, hoc aliter non ſuſcepi, quàm ſicut decet viliſsimam deprauatricem. Et hoc idem naturalis tibi regia manſuetudo diſsimulabat, ſic quòd ideo nunquam minus mihi benefacere videbaris. Cùm igitur tu (cui in ſupercæleſti palatio paternæ benignitatis, ſuauis accubitus eſt) reclinatorium eligeres ad hoſpitandum in meæ paupertatis domicilio, ego degenerrima & incurialiſsima hoſpita tam negligenti ſtudio inuigilare beneplacito tuo curaui, quòd ex naturali humanitate merito diligentiori cura reſpicere deberem aliquem leproſum, qui poſt multas illatas mihi iniurias & moleſtias, ex neceſsitate ad hoſpitium meum declinaſſet. ¶ Item contra beneficium illud,

quod tu veſtitor ſyderum mihi impendiſti, in amœnoſa intimarum mearum diſpoſitione, ſanctiſsimorum vulnerum tuorũ impreſsione, ſecretorum tuorum reuelatione & familiarium ac amiciſsimarum blanditatum exhibitione (in quibus dediſti mihi ſuauiores delectationes in ſpiritualibus experiri, quam, vt credó, ſi ab oriente vſq; ad occidentem mundum circumiuiſſem, in corporalibus potuiſſem inueniſſe) ego ingratiſsima contumeliam tibi inferens ea vilipendi, & exteriorem delectationem quærens, cepe & allia nimis irreuerẽter tuo cæleſti manna prætuli. Promiſsionibus tuis authenticis o Deus verax diffidendo, ſpei affectum auerti, ac ſi homo mẽdax eſſes qui nunquam promiſſum perſoluiſſes. ¶ Item contra hoc, quòd indignis orationibus meis benignè acclinatus es, ego heu ſępiùs induraui cor meum contra voluntatẽ tuã, in tantũ (quod cum lachrymis dicendum eſſet) quandoque diſsimulaui intelligere voluntatẽ tuam, ne cogerer instigante conſcientia perficere illam. ¶ Item cõtra hoc quòd mihi ſuffragia glorioſæ matris tuæ & beatiſsimorum ſpirituum tuorum dignatus es præbere, ego miſerabilis exteriorum amicorum ſuffragia quærẽs ſæpius eos impediui, cùm tibi ſoli iure intendere debuiſ-

ſem.

ſem. Cùm etiam iuſtum eſſet, vt proinde quòd tua ſuauitas dona tua inter negligentias meas, mihi illibata conſeruat, ego maiorem gratitudinem conciperem & negligentiarum cautelam: è contra tyrannico, imò diabolico more, malum reddens pro bono, magis aſſumo auſum viuere ſine cautela. ¶ Super his omnibus maxima culpa mea eſt, quòd poſt talem tamque incredibilem tibique ſoli cognitam tecum vnionem non pertimui animam meam rurſus maculare defectibus illis, quos mihi inhærere ad hoc permiſeras, vt tuo adiutorio certando eos deuincerem, & inde maiorem gloriam tecum in cælis æternaliter poſsidere. Nec in hoc defuit mihi culpa, quòd cùm ad excitandam in me gratitudinem, amicis meis ſecreta mea detegeres: ego omiſſo eo quod tu intendebas, quandoque plus ex hoc humano modo gaudendo, debita gratitudine tibi reſpondere neglexi. ¶ Et tunc o benignіſsime conditor cordis mei, ſuper iſtis & alijs quæ horum occaſione menti meæ incidere poſſunt, aſcendat ad te gemitus cordis mei, & ſuſcipe quam tibi offero querimoniam infelicitatum mearum nimiũ multarum, contra tam diuinitus nobilem bonitatem tuam, cum ea nobilitate compaſsionis & reuerentię, quam nobis dediſti offer-

re poſſe per amantiſsimum filium tuum in ſpiritu ſancto ex parte omnium cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Ergo ego cùm omnino ſim inſufficiens ad promerendos dignos emendationum fructus, exoro pietatem tuam, dulciſsime amator meus, vt quorum corda noueris tibi tam deuota fidelitate aſtricta, quod ex eo holocauſtum emendationis te placare potuerit, ipſis inſpires, vt defectum meum vltra modum ingentem, & inconuenientem, talibus donis tuis velint ſupplere gemitibus ſiue orationibus, vel etiam aliquibus bonis operibus tibi ſoli domino Deo ad laudem debitam. (Quia vt tu inſpector cordis mei liquido cognoſcis) ad hæc ſcribenda nihil omnino aliud coegit me, niſi purus amor laudis tuæ, quo poſt mortem meam plures iſta legentes compatiantur benigniſsimæ clementiæ tuæ, quòd cauſa humanæ ſalutis amor tuus vnquam ad ima tantum debuit inclinari, quòd talia tam magna tanque innumera dona permitteres ſic vilipendi, ſicut ego heu omnia dona tua in me deprauaui. ¶ Sed grates, qualeſcunque poſſum, perſoluo clementi miſericordię tuæ domine Deus creator & recreator meus pro eo, quòd de ſupereffluenti abyſſo pietatis tuæ me certificaſti veriſsime, quòd quicunque etiam

etiam peccator cum ſupra ſcripta intentio-
one voluntatē ſuā ad hoc deflexerit, quod
ad tui laudem mei memoriam facere volu-
erit, ſiue orans pro peccatoribus, ſiue gra-
tias agens pro electis, ſiue etiam in quacun-
que re benefaciens quo deuotius poteſt,
nunquam pręſentem vitam terminabit an-
tequam tu cum tali ſpeciali gratia remune-
res, quod tibi conuerſatio ipſius placeat, &
etiam in corde eius habeas aliquam famili-
arem delectationem. Pro quō tibi ſit laus il-
la æterna, quæ de increato amore procedēs
iugiter refluit in teipſum.

Commendatio conſcriptorum.

CAPVT XXIIII.

ECce amantiſsime domine talentū tuæ
dignantiſsimæ familiaritatis mihi ex-
tremæ vilitatis indignæ creaturæ creditū,
amore amoris tui ad lucrum laudis tuę tam
in præſcriptis, quàm in poſtpoſitis expo-
no. Quia (vt certo ſpero) de gratia tua ſe-
curè profiteri audeo, quòd nunquam vlla
cauſa me compulit talia ſcribere vel dice-
re, niſi tantummodo conſenſus voluntatis
tuæ, & deſiderium laudis tuæ ac zelus ani-
marum. Teipſo igitur teſte, verè deſidero
te laudari & gratias tibi referri, eo quòd in-
continentiſsima pietas tua ſe meæ indigni-
tati non ſubtraxit. Et etiam per hoc deſi-

Fructus lectionis huius libri. dero te laudari, quod ſcilicet aliqui iſta legentes in dulcedine pietatis tuæ delectentur, & inde tracti in intimis ſuis ampliora experiantur. Sicut per alphabetum ad logicam perueniunt quandoque ſtudentes, ſic per iſtas velut per depictas imaginationes, ducantur ad guſtandum intra ſe manna illud abſconditum, quod nulla corporearum imaginationum admixtione valet partiri: ſed ſolus qui edit, adhuc eſurit. Quo nos, omnipotens omnium bonorum largitor Deus ſufficientiſsime, paſcere digneris per totam huius exilij viam, quoaduſque reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformemur à claritate in claritatem, tanquã à ſuauiſsimo tuo ſpiritu. Sed interim ſecundum tuum fidele promiſſum & intentionis meæ humile deſiderium, præſta omnibus hæc ſcripta cauſa humilitatis legentibus, congratulationẽ tuæ dignationis, compaſsionem meę indignitatis, compunctionem ad ſui ipſorum profectum: quo ex aureis thuribulis charitatiuorum cordium ipſorum tam ſuauis radolentia aſcendat ad te, vnde tibi omnis defectus ingratitudinis & negligentiæ meæ copioſe ſuppleatur, Amen.

LIBRI SECVNDI FINIS.

IN-

INSINVATIONVM DIVINAE PIETATIS LIBER TERTIVS, PIAS ADmodum habens inſtructiones diuinæ dulcedinis exuberantiam redolentes.

ARGVMENTVM IN LIbrum tertium.

PRopter excellentem humilitatem hæc virgo ſancta Gertrudis hunc tertium librum & ſequentes reliquos non ipſa ſcripſit, ſed dictaſſe potius dici poſſet: quandoquidem alteri cuidam doctæ virgini quæ ſcribenda erant, diuina iuſſione compulſa reuelauit. Arbitrabatur nanque ad hæc non ſe ſatis dignam, vtpote quæ Dei *dona in ſe (vt æſtimabat) deſtrueret negligeretq́; : idcirco per aliam præclariſſima voluit* Dei *dona commendari, iuſtoq́; laudum & gratiarum actionum cultu, per eos quibus eiuſdem arcana eam ob rem ſolam manifeſtabat, honorari* Deũ. *Putabat enim tunc leuatam ex fimi ſqualore precioſam gemmam auroq́; ornatam, ſi* Dei *dona precioſa alijs reuelaſſet, vnde gloria gratiarumq́; actio ad* Deum *rediret, cuiuſmodi ex ſe prouenire deſperabat.* Acceſſit *nihilominus & ſuperiorum*

authoritas, hanc vt reuelaret, alteram vt ſcriberet, compellens. Eſt autem tertius hic liber eruditione copioſa atque conſolatione totus refertus, tradens exercitia & multa & pia: quibus pro ſui ſtatus conditione vnuſquiſque inſtituatur, quomodo Deo ſeruire ac placere; quomodo huius merita paſſionisq́; fructum in ſuorum expiationem, peccatorum atque defectuum Deo patri offerre, ſibiq́; vendicare, quomodo denique Deum toto debeat corde diligere, ad extremum quàm deuotiſſimè ſacramenta ſuſcipere, quamq́; vt diuinò conformetur beneplacito, paratum ſe iugiter debeat exhibere. Hæc aliaq́; id genus multa in his libris tradita, quid aliud (quæſo) quàm inæſtimabilem diuinæ pietatis erga ſuos electos redolent exuberantiã: qua his diebus nouiſſimis infirmitati adeo compatitur humanæ, vt non minus profuſe (ſi ita dici liceat) quàm miſericorditer & ſua dona & ſanctos ſuos atque adeo ſeipſum totum nobis vltro ſe offerat: modo bona inueniamur voluntate parati ad recipiendum. Perge igitur tu lector, quia legiſſe haudquaquam te pœnitebit.

DE SPE-

DE SPECIALI CVRA, QVA MATER DOMINI *hanc ſuſcepit in filiam.*

CAPVT I.

EX ſpirituali quadam reuelatione dum intellexiſſet hec ſancta virgo Gertrudis, ſibi in augmentum meriti aliquid aduerſitatis imminere, & inde ex humana fragilitate trepidaret: pius dominus ipſius puſillanimitati condeſcendens, miſericordem matrem ſuam inclytã cælorum imperatricem illi dedit in matrem benignamque diſpenſatricẽ, vt quantumcunq; nimietate aduerſitatis ſupra vires grauaretur, ſemper ad ipſam matrem miſericordiæ ſecurum haberet recurſum, cuius interuentu ſe ſciret alleuiandam. Poſt hæc breui interuallo temporis elapſo, cùm valde grauaretur, pro eo quod à quadam Deo deuota perſona cogeretur detegere, quicquid ſibi dominus ſpecialis doni in antecedenti feſto contuliſſet (quia propter aliquas cauſas hoc facere, tunc difficillimum iudicabat: & tamen ſi omnino reniteretur, timeret diuinæ voluntati contraire) recurrit ad deſolatorum conſo-

Chriſtus electis ſuis virginem matrem dat in patronam.

In perplexitatibus piè confugiendũ ad virginem matrem.

latricem, cupiens ab ea doceri quid in hac cauſa magis expediret. Vnde ab ipſa tale accepit reſponſum: Expende quod habes, quia filius meus prædiues eſt ad rependendum, quicquid in laudem eius expenderis. Sed cùm illa ſecretum ſuum tot ad inuentionum ſuarũ clauſulis obumbraſſet, quod nequaquam cedere poſſet ad ædificationẽ aliorum, hac ipſa de cauſa etiam ad pedes domini ſe prouoluit: ſupplicans vt intimaret, quid ſibi magis placitũ eſſet, & ad hoc perficiendum etiam voluntatem præſtaret. Vnde & à diuina benignitate per tale meruit reſponſum certificari: Da pecuniam meam ad menſam, vt & ego veniens cum vſuris exigam illam. Et ſic edocta eſt cauſas illas, quas putabat rationabiles & à ſpiritu Dei ſibi immiſſas, veraciter ex radice humani & proprij ſenſus ortum traxiſſe. Vnde & extũc rigorem propoſiti ſui cœpit relaxare. Et hoc quidem merito, quia teſte Salomone: Gloria regum eſt celare verbum: gloria autem Dei eſt, inueſtigare ſermonem.

Quòd aduerſitas ſit annulus ſpiritualis deſponſationis.

CAPVT II.

Dum

DVm in quadam orationcula offerret domino omnem tolerantiã, quã tam in corpore quàm in ſpiritu grauabatur, & omnem delectationẽ qua tam ſpiritu quàm carne fruſtrabatur. apparuit dominus, illa duo quæ ſibi obtulerat, ſcilicet, delectationem & tolerantiã in ſpecie gemmatorũ annulorũ quaſi pro ornamento vtriſq; manibus ferẽs. Quod cùm intellexiſſet, prætactã orationẽ ſæpius iterans, poſt aliquantulum temporis cùm eandem recitaret, præſenſit dominũ Ieſum annulo ſiniſtræ manus (quẽ intellexerat corporalẽ grauaminis tolerantiam eſſe) ſiniſtrũ oculum eius linire. Et extunc eundem oculũ (quem dominus viſus eſt in ſpiritu tangere) doluit in corpore. Intantum, quod poſtea nunquam plenè conualuit ad priorem ſanitatem. Hinc intellexit, quod ſicut annulus ſignum eſt deſponſationis, ſic aduerſitas tã corporalis quàm ſpiritualis, veriſsimum ſignum eſt electionis diuinæ, & quaſi deſpõſatio animæ cum Deo: intantum, quod grauatus quiſque veraciter, imò confidenter dicere poſsit illud: annulo ſuo ſubarrauit me dominus meus Ieſus Chriſtus. Et ſi inter aduerſa etiam hoc dono non caret, quòd ſcilicet animum per gratitudinem in laudem & gratiarumactionem valet ád Deum dirigere, conſequenter

Nota hanc oblationem.

Aduerſitas ſignum elect. onis diuinæ.

ſequenter cum iucunditate ſubſequi poteſt & illud: Et tanquam ſponſam decorauit me corona. Quia gratitudo in aduerſis eſt ornatiſsima gloriæ corona ſuper aurum & topazion incomparabiliter precioſa.

Gratitudo in aduerſis quã Deo accepta.

Conſolatio humana minuit diuinam.

CAPVT III.

QVòd contrarietas ſeu priuatio delectationis in pœna ſit augmentũ gloriæ, valdè euidens accepit teſtimonium: quod ipſa tamẽ nondũ intellexit. Igitur cũ die quodam circa feſtum Pentecoſtes tàm intolerabili lateris torqueretur dolore, quòd aſtantes facilius iudicaſſent eam ipſo die morituram quàm euaſuram, ſi non ſciuiſſent eam à ſimili dolore ſæpius conualuiſſe, benignus amator & verus animæ conſolator hanc ſibi vicem reddebat: quòd quandocunque ſeruientium negligentia egens iacebat, ipſe pius dominus benignus illi aderat, cuius ſuauiflua præſentia dolorem eius temperabat. Cùm verò obſequentium cura diligentior adeſſet, domino ſe ſubtrahente, dolor ingraueſcebat: vt per hoc manifeſtè daretur intelligi, ꝙ quanto quis ab humanis ſolatijs derelinqtur, tãto magis à diuina miſericordia reſpici-

Deſolatio humana auget conſolationẽ diuinam.

ſpicitur. Et cum vergente die ad veſperam illa nimietate cruciatus afflicta obtinere ni teretur à domino, vt dolor ipſius leniretur dominus ſubleuans brachia ſua, oſtendit ſe quaſi pro ornamento in pectore ſuo geſtare dolorem, quem illa tolerauerat per diem Cum autem videret ornamentum illud quaſi perfectum nec ex aliqua parte habere defectum, exhilarata ſperabat, quod ex tunc etiam dolor ipſius ceſſare deberet. Vnde dominus ſubiunxit: Hoc quod deinceps patieris, huic ornamento ſplendorem addet. Videbatur enim quamuis gemmatum, tamen minus fulgens ornamentũ, tanquam aurum obſcuratum. Illa vero ſequens tollerantia (quam tunc incidit) fuit peſtis non adeo grauis quin plus fatigaretur in ea contrarietate delectationis, quam acerbitate doloris.

Quam vilis & fœda omnis tranſitoria delectatio.

CAPVT. IIII.

CIrca feſtum beati Bartholomei ex inordinata quadam triſtitia ſimul & impatientia tantas incurrit tenebras, quod ex magna parte iucunditatem diuinæ præſentiæ ſibi videbatur amiſiſſe, vſque dum in

in ſabbato has ſibi tēperatas gauderet per interuentū virgineæ Dei genetricis, quando in honore ipſius cantabatur Anti. Stella Maria maris. Sequenti vero die dominico, cum ſe ex benignitate Dei blandius confoueri gratularetur, & recoleret præcedentem ſuam impatientiam cæteroſque defectus, valde cœpit ſibi diſplicere & pro ſui emendatione domino ſupplicare, cum tanta ſpiritus deiectione, quod præ multitiplicitate & nimietate defectuū quos ipſa in ſe depræhendebat quaſi deſperatius diceret domino: Ecce miſericordiſsime domine fac finem malis meis quibus nec ego finem nec modum impono. Libera me & pone me iuxta te & cuiuſvis manus ſit contra me. Cuius deſolationi benignus dominus compatiens demonſtrauit illi hortulum valde paruum nimiſque anguſtum, qui diuerſorum florum vernantia plenus ſpinis erat circunſeptus, & modicum mellis erat fluens in ipſo. Dixitque ad eam: Velles ne mihi præeligere delectationem illam quam in amœnitate florū iſtorū poſſes habere? Ad q illa: Nequaq̄ domine Deus. Hinc demōſtrauit illi lutoſum quendā hortulū, ſed tamen vili quadam viriditate ſuperductum, interſperſos habentem paruulos quoſdam flores nullius valoris, ſed
mo-

modici coloris, de quo ſimiliter requiſiuit dominus: Num & iſta mihi præelegeris? A quibus illa ſe quaſi cum indignatione auertens dixit: Abſit hoc ab anima mea vt tibi ſoli vero, ſummo, ſtabili, & æterno bono præeligam aliquid fictum & vile, non dico bonum ſed malum. Et dominus: Quare tunc diffidis quaſi non ſis in charitate, in qua quiſque eſſe conuincitur, qui tot bonis abundat. Et cur deſperatiue loqueris propter peccata tua, cũ teſte ſcriptura charitas operiat multitudinem peccatorum, cum etiam voluntati meæ non præeligis voluntatem tuam, qua commode & honeſte ſine omni aduerſitate viuere poſses, habens fauorem hominum & præconium ſanctitatis (Nã & hanc tibi exhibui in ſimilitudine horti florigeri) Et delectationem carnalis vitæ prætendi tibi in viriditate loci lutoſi. Ad quod illa: O vtinam & milleſies vtinã in viſipẽſione hortuli florigeri mihi exhibiti abdicaſſem omnino propriæ volũtati, ſed timeone forte anguſtia illus induxerit me vt facilius reſpuerem eam. Et dominus. Sic abundantia pietatis meæ ſolet omnibus electis temporalia cõmoda anguſtare ꝑ cõſcientię reformionẽ vt ſic facilius ea paruipẽdãt. Tunc illa omni tã cœleſti quã terreſtri dele-

Electi in temporalibus cõmodis delectationem non quærunt.

Vis & ardor veræ charitatis.

Fortis eſt vt mors dilectio.

Lampades ei⁹ Lampades ignis atque flãmarum Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illã &c. Cãt. 8.

delectationi conſtantiſsime abrenuntians, ſupra pectus dilecti tam valida impreſsio ne & tam firma inhæſione ſe reclinauit, q̃ videbatur ſibi vniuerſæ creaturæ vires nõ tantum præualere, quod vel ad modicum eam ab illo accubitu poſſent amouere, vbi ſibi præſtitum gaudebat ex dominici corporis latere longe ſupra balſami ſuauitaté, viuificum ſaporem haurire.

De eo quod dominus inclinauit ſe animæ deiectæ.

CAPVT. V.

Die ſancti Matthæi apoſtoli cum dominus Deus largã benedictione dulcedinis præueniſſet eam & ad eleuationé calicis, eundem calicem pro gratiarum actione domino offeret, recolere cœpit in corde ſuó quod parum aliquid profeciſſet in oblatione prædicti calicis, niſi ſeipſam opponeret tribulationibus omnibus libenter pro Chriſto perferendis. Et ſic in impetu virtutis ſe eleuans de ſinu domini in quo deliciari videbatur, deiecit ſeipſam in pauimentum quaſi vile quoddam cadauer cũ his verbis: Ego domine expono me ad omnia toleranda que tibi poterunt fore laudabiliora. Vnde dominus protinus feſtine con-

conſurgens iuxta illam in pauimento re. cubuit quaſi illam ad ſe recolligens & dicens Hoc eſt meum. Ex cuius virtutis potentia illa animata erexit ſe ad dominũ & dixit:ita domine mi. Opus manuum tuarum ego ſum. Et dominus: Hoc etiam ſuperadditum eſt tibi quod amor meus tibi intantum intricatus eſt, quod ſine te beate viuere nolo. Cuius verbi nimiam dignationem illa admirans dixit: Cur domine mi ſic loqueris, cum poſtquam dignatus es in creatura tua delitiari, infinitos habeas tam in terris quam in cœlis amicos cum quibus beate viuere poſſes, etiam ſi ego creata nunquam fuiſſem, ad quod dominus, Qui ſemper caruit aliquo membro, nullo dolore cruciatur, vt ille cui adulto abſcinderetur. Sic ego ex quo amorem meum in te conſtitui, nunquam paterer nos abinnicem ſeparari.

De cooperatione animæ ad affectum miſſæ.

CAPVT. VI.

IN die vero ſancti Mauricij cum miſſa celebrata eſſet, vſque ad ſecretum quo hoſtia cõſecratur illa dixit ad dominũ: tam

incſti-

inæſtimabiliter tamque excellenter reuerendum eſt opus iſtud domine, quod nunc operaberis-quod paruitas mea nequaqua audet ad hoc vel reſpicere. Vnde demergens me iacebo in profundiſsima valle humilitatis quam potero inueſtigare, expectans ibidem portionem meam, quia omnibus electis inde ſalus prouenict. Ad quod dominus: cum mater aliqua artificioſa operari voluerit, de ſerico vel margaritis, quandoque paruulum ſuum in eminentiori loco ponit, vt ſibi filum vel margaritas teneat vel aliquod tale adiuuamen impendat. Sic ego te in gradu eminentiori ſtatuens, miſſæ huic intereſſe diſpoſui. Tu vero ſi extenderis volũtatem tuam ad hoc quod libenter, quantumcunque difficili labore, ad hoc ſeruire velles: vt hæc oblatio (quæ omnibus Chriſtianis tam viuis quam defunctis prodeſt) ſecundum dignitatem ſuſuam plenum ſortiretur affectum, tunc optime pro modulo tuo me adiuuiſti ad opus meum.

Confidentia vulnerat cor Dei.

CAPVT VII.

DIe ſanctorum Innocentium, dum in præparatione ad communionem tumulti-

multibus cogitationum impediretur, & diuinum ſuper hoc auxilium poſtularet: tale à dignantiſsima Dei miſeratione accepit reſponſum: Si quis humana tentatione impugnatus firma ſpe ſub protectionē meam confugerit, inter cæteros eſt, de quo poſſum dicere: Vna eſt columba mea, tanquam electa ex milibus, qui in vno oculorum ſuorum tranſuulnerauit cor meum diuinum: intantum, quod ſi ſcirem me non poſſe ſubuenire illi, hoc tam moleſta eſſet deſolatio cordi meo, quod eam omnes cœleſtes delitiæ non poſſent alleuare: quia in corpore meo quod diuinitati coniunctum eſt, electi ſemper habent aduocatum, qui cogit me compati ipſis in diuerſis indigentijs ſuis. Et illa: Domine mi, quali modo immaculatū corpus tuum in quo nunquam habuiſti aliquam contradictionem, poterit te cogere ad compatiendum nobis in deiectionibus noſtris tam diuerſis? Ad quod dominus: Intelligenti facile perſuaſum eſt. Nam apoſtolus dicit de me: Debuit per omnia fratribus aſsimilari, vt miſericors fieret. & ſubiūxit Vnū oculorū electæ meæ quo tranſuulnerat cor meū, ſecura cōfidentiā eſt: q̄ habere debet de me, quod vere poſsim, ſciam, & velim ſibi in omnibus fideliter adeſſe: quæ confidentia tan-

Chriſti pietas ergo electos.

Confidentiæ vis.

tantam vim facit pietati meæ, quod nulla tenus poſsim ipſi abeſſe. Et illa: Domine mi cum confidentia tam ſecurum ſit bonũ quod nullus ipſam abſq; dono tuo habere poſsit, quid demereri poteſt qui ea caret? Cui dominus: Quilibet tamen puſillanimi tatẽ ſuam aliqualiter deuincere poteſt ſaltem teſtimonio ſcripturarum. Et ſi non integro corde, tamen ore dicere poteſt mihi illud Iob: Et ſi in profundũ inferni demerſus fuero, inde me liberabis & illud: Etiã ſi occideris me, tamẽ in te ſperabo & ſimilia.

Puſillanimitas quomodo vincenda.

Miſſæ quinque partes, quibus ſpiritualiter miſſam audire poſſumus.

CAPVV VIII.

DEcumbens die quodam cum miſſæ intereſſe nequiret, & eſſet communicatura, turbato corde dixit ad dominum: Ecce mi amantiſsime, cui nunc niſi diuinæ preordinationi tuæ aſſcribere poſſum, qđ hodie impedita ſum à miſſarum ſolennijs: & qualiter nunc poſſum preparari ad tui ſacratiſsimi corporis & ſanguinis perceptionem, cum vt mihi videtur, ſumma ſemp̱ præparatio mea ſoleat eſſe intentio miſſæ? Ad quod dominus reſpondit: Ex quo mihi hanc imponis cauſam, intende mihi, & dul ciſona

ciſona & amatoria decantabo tibi epithala- 1
mia. Audi ergo a me, quod ſanguine meo es redempta & perpende quod totum tem-pus triginta triū annorū quo in hoc exilio laboraui ꝓ te, nihil aliud extitit q̄ legatio deſpōſationis tuæ. Et hoc ſi tibi ꝓ prima 2
pte miſſę. Aude me ꝙ ſpiritu meo ſis dotata, & diſce ꝙ ſicut in legatione illa totos triginta tres annos (vt dixi) corpore laboraui: ſic in ſpiritu celebraui iucundiſsimas exoptabiliſsimaſque nuptias ꝓ tui cōiunctione. Et hoc ſit tibi ꝓ ſecunda parte miſſæ 3
Audi etiā à me ꝙ, ſis diuinitate mea adimpleta, & agnoſce ꝙ diuinitas mea præualet inter exteriore corpis moleſtias interiores ſuauiſsimas gratiſsimaſq; ſpirituales miniſtrare delitias. Et hoc tibi ꝓ tertia parte miſſæ. Audi inſuper à me, quod ſis amore meo 4
ſanctificata, & agnoſce quod nihil omnino ex te, ſed ſolum habes ex me, vnde placere potes, Et hoc ſit tibi pro Quarta parte 5
miſſæ. Audi poſtremo à me, quod conglutinatione mea ſis ſublimata, & agnoſce quia cum data ſit mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, impediri non poſſum, te pro beneplacito meo mecum exaltare: ſicut coniunctam regis thalamo decet reginam nominari, & per conſequens digne venerari. Ergo his intendendo deleo-

delectare, nec ammodo cauſeris te miſſa caruiſſe.

De diſpenſatione gratiæ ſubtractæ, & de orationis virtute pro alijs factæ

CAPVT. IX.

DVm cuidam perſonæ diuinitus reuelatum fuiſſet, quod dominus magnā multitudinem animarum per orationes congregationis relaxare dignaretur à pœnis. Et ad hoc obtinendum toti congregationi oratio eſſet iniuncta: iſta de qua hic liber conſcriptus eſt, quemadmodum & cæteræ, orationem ſibi iniunctam complens die dominico, quo prædicta multitudo animarum à pœnis eſſet abſoluenda, quanto deuotius poterat, ipſa domino pro animarum offerebat ſalute. Cumque domino propius acceſsiſſet, & ipſum tanquam regem donantem præmia in ſua cerneret gloria. Nec perſpicue poſſet inueſtigare circa quam dominus tantopere occupatus videretur, dixit ad eum: Cum tu benignisſime Deus tranſacto anno in feſto Beatæ Mariæ magdalenæ intimaueris mihi indignæ, quod propria pietate coactus eſſes totam benignitatem tuam pedibus tuis acclinare, eo quod exemplo beatæ peccatricis

cis ſed tuæ veræ amatricis tā multi ipſo die ſe pedibus tuis humiliter aduoluerent: dignare etiā nunc præſens factū tuum oculis mei intellectus abſconditū mihi clementer adaperire. Ad quod dominus: Dona diſtribuo. His verbis intellexit dominum orationes congregationis diſtribuere in remedium animarū: & tamē ipſas animas quamuis præſentes, minimè videre poterat. Tūc addidit dominus dicens: Nunquid & tu lucrū meriti tui mihi offerre vis in augmentum huius meę donationis? Ex quibus verbis illa ſuauiter emollita, neſciens quòd hoc ipſum tota faciebat cōgregatio ex ſuaſu prædictæ perſonę ad quam promiſsio facta fuerat de animabus liberandis, magna gratitudine acceptauit, quòd dominus quaſi aliquid ſpecialius ab ea exigeret, hilariq; ſpiritu reſpondit: Etiā domine, non ſolum mea quæ pene nulla ſunt, ſed etiam totius congregationis bona, ex communitate quam habeo cum eis per gratiam tuam vniuerſaliter mihi vſurpans, in vnione perfectionis tuæ cum ingenti gaudio tibi offero libera voluntate. Quod dominus benignè multū acceptauit. Hic dominus, velut ex. occupatus extendit quaſi nubem quandam deſuper ſe & ipſam ſolam, declinanſq; eam blandè ad ſe dixit: Intēde mihi ſoli & fruere

dulcedinē gratiæ meæ. ¶ Tunc illa: Cur dulcedo mea Deus meus dono illo quod prænominatę perſonę tam euidēter contuliſti, ſcilicet in reuelatione animarum, me tam penitus priuas: cùm tamē plura de ſecretis tuis mihi manifeſtare pie digneris? Ad quod dominus: Recole te frequētius tibimetipſi vilificari ex eo, quod reputas te tanquam indignā dono gratiæ meæ, quòd magis iudices illud collatū tibi, quaſi mercenario, qui mercede cōducitur ad ſeruiendum, & quaſi abſq; illo dono nullā mihi fidelitatē impenderes, & ex hoc alio tibi pręfers, qui nullo tali dono ſunt conducti, in omnibus tamē mihi fideles apparēt, quibus te iſto ſimilē feci, vt dum præ alijs nihil intelligis de animabus, & tamen pro eis fideliter laboras, etiam dignitate illa nō careas,
„ quàm in alijs extollis. Inter hæc quaſi in
„ exceſſu mentis effecta, recognouit quàm
„ mira & ineffabili dignatione diuina pietas
„ quandoq; condeſcendat homini, copioſe
„ gratiā ſuam infundendo, & quandoq; mi-
„ nora denegat ad conſeruandū humilitatē, quæ eſt fundamentum & conſeruatorium gratiarū: & qualiter vtrunq; hoc dominus amāti animę facit cooperari in bonū. Et pręnimia gratitudine & admiratiōe tā infinitæ bonitatis Dei erga ſe, quaſi amēs effecta & penè

Humilitas conſeruatrix gratiarum.

penè in ſeipſa annihilata deficiens, irruit ſupra pectus dominicum cum his verbis: Domine mi pondus iſtud ſufferre non poteſt paruitas mea. Tunc minuebat ei dominus magnitudinem cogitationis illius. Sicque reſumptis viribus dixit ad dominum: Ex quo benigniſsime Deus, tam incomprehenſibilis & inexplicabilis ſapiētia prouidentiæ tuæ exigit hoc dono me carere, de cætero illud nunquam amplius deſiderare volo. Et ſubiunxit: Nunquid domine tamen exaudis me orantem, pro quibuslibet amicis meis? Quod dominus quaſi iureiurando confirmans ait: Per diuinam virtutē meam hoc vtiq; facio. Et illa: Ergo iam oro pro illa perſona mihi ſæpius commiſſa. Statimq; vidit de pectore domini prodire ceu riuulum quendā cryſtallinæ puritatis, & influere in intima illius pro qua orabat. Tunc interrogauit dominū dicens. Domine, quid huic perſonæ ꝓdeſt illud, cùm ipſa hunc non ſentiat influxum? Cui dominus: Cùm medicus alicui ęgroto propinat poculum medicinale, non ilico vt potū illū biberit, circunſtātes vidēt infirmū ſanitati reſtitutū. Nec etiā ipſe infirm⁹ ſe mox ſentit curatū. Et tamē medicus qui virtutē medicinalis agnoſcit poculi, benè nouit qualiter debeat infirmo ꝓdeſſe. Et illa: Cur domine

Elegans ſimilitudo.

non aufers ab ea mores inordinatos & defectus alios, pro quibus ſæpius ſupplicaui. Ad quod dominus: De me puero Ieſu dictũ eſt: Proficiebat ętate & ſapientia corã Deo & hominibus. Sic perſona illa de hora in horam proficiens, de vicio faciat virtutẽ: & ego dimittam ei omnia quæ ſunt hominis, vt poſt hanc vitam percipiat etiam omnia quæ præparaui homini, quẽ diſpoſui ſuper angelos exaltare. ¶ Hinc appropinquante hora qua erat cõmunicatura, exorauit dominũ, vt quot animas per preces ipſius nominatæ perſonæ ipſo die à pœnis abſolutas cæleſtibus adiunxiſſet choris, tot etiã peccatoribus qui ſaluandi eſſent (quoniã pro pro damnandis intercedere non præſumebat) tempus gratiæ ſuæ dignaretur anticipare. Cuius puſillanimitatẽ dominus corrigens, ait: Nonne hoc meretur dignitas pręſentiæ immaculati corporis & ſanguinis mei precioſi, vt etiam hi qui ſunt in ſtatu damnationis, reuocentur ad ſtatũ vitæ melioris. Cuius largam benignitatem illa in his dictis perpendens, ait: Ex quo dignatur inæſtimabilis pietas tua tantopere indignis precibus meis condeſcendere, ſupplico maieſtati tuę in vnione amoris & deſiderij totius creaturæ tuæ: quatenus ſecundũ numerum animarum etiã mihi concedas nu-

merum peccatorum viuentium, qui iam ſunt in ſtatu damnationis, vt ad tuam gratiam perueniant quicunque vel vbicunq; ſint locorũ, pro quibus tu maxime dignaris orari. Nec quenquam eligo meorum, ſiue amicorum, vel conſanguineorum, aut propinquorum. Quod dominus benignè acceptans, ipſam ſuper hoc certificauit. ❡ Hinc illa: Scire, inquit, vellem domine, quid tibi placeret me pro his orationibus ſupplere. Ad quod nullũ accipiens reſponſum dixit: Aeſtimo domine, quòd infidelitas mea non mereatur ad hæc interrogata reſponſum accipere, quoniam tu qui corda noſti omnium me tam negligentẽ agnoſcis, quod forte iniuncta non ſupplerem. Tunc dominus ſereno vultu piè reſpõdit: Sola confidentia omnia facilè poteſt obtinere, ſed ſi deuotio tua non deſiſtit aliqua ſuperaddere, perſoluas ccclxv. Laudate dominum omnes gentes, in ſuppletionem laudis meæ diuinæ ab ipſis neglectæ. *Confidentiæ vis.* *Suppletionis modus.*

De perfecta ſuppletione laudis Dei. Et de miro effectu ſacræ communionis.

CAPVT X.

FEſto Matthiæ, cùm pluribus de cauſis impedita communionem ſanctã omit-

tere decreuiſſet, & inter primam Miſſam Deo ſibiq; intendere: exhibebat ſe illi dominus tanto amicabilitatis affectu, quanto vnquam amicus amico ſe blandiori affectu impendere poteſt. Quo tamen illa minime contenta (vtpote quę potioribus bonis potiori modo erat aſſueta) tota à ſeipſa alienari & in dilectum (qui ignis conſumens dicitur) transferri, ipſiusque charitatis ardore liquefacta, intima ſibi conglutinatione deſiderabat vniri. Cumque hoc nullatenus ſibi elaborare poſſet illa vice, diuertens ab his ad laudem Dei, conuertit ſe ad alium morem ſibi conſuetum, collaudando videlicet, primo immenſam bonitatem & dignationem ſemper venerandæ trinitatis pro omni gratia, quæ ex ſupereffluentia abyſſali ipſius vnquam defluxit in ſalutem omnium beatificatorum. Secundo pro omni gratia facta matri Dei digniſsimę. Tertio pro omni gratia infuſa ſanctiſsimæ humanitati Ieſu Chriſti. Supplicans omnibus communiter, & ſingulis ſingulariter, quantum quilibet ipſorum ad ſacrificium fulgidæ ſemperque tranquillæ trinitatis in ſupplementum negligentiarum ipſius, offerre dignaretur omne ſtudium & pręparationē, qua die aſſumptionis ſuæ perfectiſsimè conſummati conſpectui gloriæ domini aſtiterunt,

runt, æternis præmijs remunerãdi. Et hoc cum tribus laudate dominum omnes gẽtes &c. Primum omnibus ſanctis. Secundum beatæ virgini. Tertium filio Dei. Ad hæc dominus: Et qualiter à te ſunt recompenſandi ſancti mei, qui tanta pro te offerunt, cùm tu oblationem illam quam in gratiarũ oblationem pro eis reofferre conſueuiſti, diſponas intermittere? Ad quod illa conticuit. ¶ Hinc circa oblationem hoſtiæ magno deſiderio deſiderauit inuenire oblationem, quam dignè Deo patri offerre poſſet in laudem æternam. Ad quod à domino tale accepit reſponſum: Si te adoptares hodie ad ſuſcipiendũ viuifici corporis & ſanguinis mei ſacramentũ, certiſsimè cõſequi poſſes triplex illud beneficiũ, quod in hac miſſa exoptaſti, ſcilicet vt amiciſsima dulcedine mea fruereris, & ex feruore diuinitatis meæ liquefacta in me flueres ſicut aurum conflatur argento: & inde haberes precioſiſsimum electrum, quod Deo patri digniſſimè offerre poſſes in laudem æternam, & inde omnes ſancti haberent pleniſsimè ſibi ſuppletam ſuam remunerationem. Ex quibus verbis illa conuicta, tanto deſiderio inflammabatur, quod etiam per medios enſes ad tam ſaluberrima ſacramenta conuolare ſibi difficile non videretur-

Mirabilis effectus S. communionis.

tur. Poſt ſumptum verò dominicum corpus, cùm gratias deuotas ageret Deo, ipſe amator hominum ſic eam alloquebatur: Tu hodie propria deliberatiõe diſpoſuiſti cum cæteris deſeruire mihi in palea, luto & latere: ſed ego elegi te inter illos, qui regalis menſæ delitijs ſuauiſsimè ſatiantur. Et cùm eodem die alia quædam perſona irrationabiliter à ſancta communione abſtinuiſſet: iſta dixit ad dominum: Cur miſericordiſsime Deus permiſiſti illam taliter tentari? Ad quod dominus: Quid cauſer ego pro eo, quòd ipſa opertorium indignitatis ſuæ tam lõge ante oculos ſuos traxit, quod pietatem paterni affectus mei minimè potuit intueri?

Pietas Christi.

De indulgentia peccatorum & deſiderio conformandi ſe voluntati diuinæ.

CAPVT XI.

AVdiens aliquando indulgentiam plurimorum annorum prædicari, vt fieri conſueuit pro oblationibus, corde deuoto dixit ad dominum: Si nunc domine abundarem magnis diuitijs, multa pondera auri argentique libentiſsimè offerré, vt per indulgentiam iſtam à peccatis abſoluerer ad laudem & gloriam nominis tui. Ad

quod

quod dominus benignè reſpondit: Ergo ex authoritate mea habeto plenā remiſsionem omniū peccatorum & negligētiarum tuarum. Statimq; conſpexit animam ſuam abſque omni macula niueo candore nitentem. Deinde poſt aliquot dies, dum rediret in ſeipſam & inueniret animam ſuam eodem adhuc, quo prius agnouerat, candore micantem, timere cœpit ſe in tali oſtenſione innocentiæ animæ fore deceptam, æſtimans apud ſe, quòd nimirum præmonſtrata puritas ſi vera eſſet, offuſcata tamen aliqualiter appareret ex continuo lapſu negligentiarum & leuitatum, quas humana fragilitate ſæpius incurriſſet. Cuius deſolationem dominus piè conſolatus eſt, his verbis: Nunquid non ego mihimetipſi maiorem ſeruo virtutē, quàm creaturis meis cōtulerim? Nam ſoli materiali talem virtutē dedi, quòd ſi pannus dealbatus aliquā maculam cōtraxerit, repēte ex virtute caloris ipſius ac ſplendoris eadem macula annihilata priori, imo micantiori, reſtituatur albedini: quanto magis animā, quàm ego (qui ſum creator ſolis) reſpectu miſericordiæ meæ direxero, ab omni nota peccati ſeu negligentiarum incontaminatā potero conſeruare, deputans in ea vi candētis amoris mei omnē quod in ea eſt maculatū. ¶ Hinc

Sicuti ſolis ſpendor maculas eluit, ita Chriſti reſpectus delet peccata.

alia quadam vice dum ex conſideratione indignitatis & puſillanimitatis ſuę in tantū deficeret, quod nullo modo poſſet ſe in laude Dei exercere ſeu ad fruitionem contemplationis anhelare ſolito modo: tandē gratuita miſeratione domini per communionem ſanctiſsimę cōuerſationis Ieſu Chriſti promota eſt ſic, quòd ipſa ſibi videbatur procedere pro modulo deſiderij ſui, & regi regum domino aſsiſtere in ea forma, qua Heſter ęſtimatur aſtitiſſe regi Aſſuero. Quā benigna dignatio ſaluatoris alloquitur his verbis: Quid iubes domina regina? Ad quod illa: Peto domine & toto corde deſiro, vt laudabiliſsima voluntas tua ſecundū optimum beneplacitū tuum in me perficiatur. Tūc dominus omnes illas perſonas quę ſe orationibus eius cōmendauerant, ſingillatim nominans dicebat: Quid tunc oras pro illa & illa & item illa, quæ ſe ſpecialius hac die commendauerūt orationibus tuis? Et illa: Nihil aliud domine placet mihi pro eis petere, quàm vt placidiſsima voluntas in omnibus illis perficiatur. Poſt hæc iterū dominus: Et quid vis vt faciam tibi? Ad hoc illa: Pro omnibus delitijs exopto, vt tā in me quàm in omni creatura tua placidiſſima & laudabiliſsima voluntas tua perficitur. Et ad hoc perficiendū quolibet mem-

Voluntati ac beneplacito Dei nos noſtraq; omnia ſubijciemus.

brorum

brorum meorum ſigillatim cuilibet pœnæ exponere paratiſsima inuenirer. Cuius verbis benigniſsima pietas Dei, quę aſpirando præuenerat, ſubſequendo remunerans, ſic reſpondit: Ex quo tanto deuotionis affectu voluntatem meā promouere ſtuduiſti, ecce ſecundum aſſuetam mihi beneuolentiam remunero conatum tuum hoc dono, tibi præſtens, vt ita placita appareas oculis meis quaſi nunquam vel in minimo meam præterieris voluntatem.

Qualiter anima quatuor modis Deum quærit, & in Deum transfiguratur.

CAPVT XII.

ANtiphona: In lectulo meo, &c. dum cantaretur inter alia etiam verbum quod quater in ipſa Antiphona repetitur, ſcilicet quem diligit anima mea, intelligebat quatuor modos quibus Deus quęri poteſt ab anima fideli, per primū ſcilicet, In lectulo meo per noctē quæſiui, intellexit primam viā qua in lectulo contēplationis per laudis extollentiā quęritur Deus. Vnde ſequitur: Quæſiui illū, & non inueni: quia anima mortali carne circundata, nunquā ad plenum poteſt extendi in laudem Dei. Per ſecundū quo ſequitur: Surgam & circuibo

ciuitatem, per vicos & plateas, quęrã quem diligit anima mea: intellexit ſtudium gratiarum actionis, quo animã per vicos & plateas, id eſt, diuerſos modos, Dei dona quibus benefacit creaturæ ſuæ, pertractat. Ibi etiam nequaquam ad condignum laudes perſoluere poteſt. Et hic benè etiam ſequitur. Quæſiui illum, & non inueni. Per tertium, quo ſequitur: Inuenerunt me vigiles, &c. intellexit iuſtitiam & miſericordiã Dei, quibus admonita anima ad ſeipſam redit, & reſpectu beneficiorum Dei conſiderans indignitatem ſuam per querimoniam & pœnitentiam malefactorum ſuorũ, domini miſericordiã incipit quærere, dicens: Num quem diligit anima mea vidiſtis? Et ſic cùm de ſuis meritis diffidẽs, humili con fidentia ad diuinam ſe conuertit pietatem, per deuotam orationem quandoq; per gratiæ inſpirationẽ, inuenit quem diligit anima fidelis. Finita antiph. cùm de his & alijs quę impoſsibilia eſſent ſcripto exarari, quę ſibi diuina pietas per illam Antiph. præguſtare conceſsit: ſenſit cor ſuum tam efficaci virtute commotum, quòd etiam ſingula membra ſua commota fuerant, quòd videbatur omnium membrorum vires amiſiſſe. Tunc ait ad dominum: Nunc videtur mihi quòd veraciter dicere poſſum: Ecce di-

lecte

lecte mi,non ſolum viſcera, ſed etiá omnia mēbra mea cōmota ſunt ſuper te. Ad quod dominus: Quod à me fluxit & in me refluxit,ego optimè ſentio & ſcio. Sed tu adhuc mortali carne circundata, nunquam noſſe poteris qualiter è conuerſo tota dulcedo meæ diuinitatis eſt ſuper te commota. Et ſubdidit: Hoc tamen ſcito, quòd ex huius gratiæ commotione tu apud me ſuſcepiſti talem glorificationem, qualem corpus meum ſuſcepit in monte Thabor coram tribus dilectis diſcipulis meis, vt ego dulcore charitatis commotus, gratulabundè de te dicere poſsim: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Nam & hoc ſemper conuenit tali gratiæ, vt per eam tam corpus quam anima miro modo in præfulgenti gloria clarificetur.

De emendatione Deo pro negligentia graui offerenda.

CAPVT XIII.

ACcidit aliquando, quòd quædam oblata cecidit de præparamento dū plicaretur, de qua dubiū fuit vtrum eſſet conſecrata an non. Qua de re cùm iſta conſuleret dominum, & ab eo edocta intelligeret

hoſtiam

hoſtiam illam non fuiſſe conſecratam, gauiſa quidem multum (vt debuit) pro eo quod talis negligentia non erat commiſſa, ſed tamen lucro laudis diuinæ inhians, dixit ad dominum: Licet immenſa pietas tua præcauerit, quòd in loco iſto tibi talis cõtumelia per ſacramentum altaris non ſit exhibita: tamen quia totiens tu domine vniuerſorum tam indebitè à tuis, non ſolùm dico inimicis, ſcilicet paganis & Iudæis, verùm heu & ab amiciſsimis, ſcilicet fidelibus precioſo ſanguine tuo redemptis, & (quod flens dico) etiam quandoque à ſacerdotibus & religioſis ſimili contumelia afficeris, ego non pandam quòd hæc hoſtia non ſit conſecrata, ne forte per me qualicunque defrauderis emenda. ¶ Et adiecit: Da mihi domine Deus intelligere, quam emendationẽ maxime acceptares pro qualibet offenſa: quia hoc, etiamſi omnes vires meas deberem expendere, ob tui amoris laudem & gloriam libentiſsimè ſtudebo perficere. Tunc intellexit dominum acceptare, ſi in honorem ſanctiſsimorum ſuorum membrorum dicerentur ccxxv. pater noſter, & totidem opera charitatis proximis exhiberentur, ob reuerentiam illius qui dixit: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. In vnione illius amo-

amoris, quo Deus homo factus eſt pro nobis. Et etiam totidem continentiæ inanium & inutilium delectationum, ipſius diuinæ delectationi offerrentur. O quanta & quam ineffabilis eſt miſericordia & pietas Dei amatoris noſtri, qui talia à nobis tãtopere acceptat, imo & remunerat oblata: quæ ſi non offerrentur, vltio pœnæ condigna iuſte ſequeretur.

Duobus modis anima emundatur ab omni peccato.

CAPVT. XIIII.

ZElans vbique dominus ſalutem electorum ſuorum, aſſolet quinque eis aggrauare in tantum etiam res modicas, quod non modice cumulus meritorum ipſis exinde accreſcat. Sic & iſti vice quadam aggrauauit confeſsionem facienda, quod ſibi videbatur propria induſtria nullaten⁹ præualere ad perficiendum illam. Vnde quali potuit deuotione ipſam in oratione domino commendabat. Et ad hoc tale ab ipſo accepit reſponſum: Num tam plena fiducia iſtam confeſsionem mihi committis, quod nullo conatu diſponis amplius laborare ad perficiendum eã? Ad quod illa: Ita vere plane & ſuperpleniſsime con- *In difficilibus confidendum auxilio Dei.*

fido

ſido de omnipotentia & benignitate tua amantiſsime domine mi. Sed indecens æſtimo, quod tibi peccatis meis iniuriam irrogaui, ſi non laborans recogitando illam in amaritudine animæ meæ, aliquam inde tibi exhibuero emendationem. Hæc cum dominus gratanter acceptaret, & illa ſe ad recollectionem peccatorum ſuorum totã contuliſſet, apparuit ipſa ſibi cute aliquantulum diſciſſa, quaſi quæ ſpinoſis ſtipulis eſſet vulnerata. Et cun hanc ſuam miſeriã patri miſericordiarũ, tanq̃ ꝓbatiſsimo & fideli medico curandam detegeret: ipſe pie acclinans ſe dixit ad eam: Ego diuino afflatu meo calefaciam tibi balneum confeſsionis. Quo cum lota fueris ad placitum, mihi preſentaberis immaculata. Ad quod balneum illa ſe exuere geſtiens, dixit ad dominum: Intantum domine mi ob honorem amoris tui omnem humanum pauorem depono, quod etiam ſi deberem omnia mala mea toti mundo manifeſtare, parata inuenirer. Tunc dominus quaſi exutam eam veſte ſua contexit & eam in ſinu ſuo reponens vſque dum poſt balnei præparationem fecit expectare. Appropinquante autẽ hora cõfeſsionis, dũ magis grauaretur à contradicentibus, dixit ad dominum: Cũ tuæ paternæ miſericordiæ piũ cur non ignoret

quam

quam grauis ſit mihi iſta confeſsio facienda: quare permittis me, benigniſsime Deus, à contradicentibus ſupergrauari? Ad quod dominus: Homines balneantes ſolēt fricantium manibus adiuuari, vt amplius mundentur: ſic tu contradicentium moleſtia promoueris Et inde cum à ſiniſtris domini pateretilli quaſi balneum nimium calorem euaporans, exhibuit etiam ipſi ad dexteram ſuam dominus hortum quendā amœniſsimarum delitiarum, floribus diuerſis vernantem. Sed tamen ſpecialius erant in eodem horto ſine ſpinis roſe pulcherrimæ, que viuido vigore ſuæ florentis efficatiæ viuificantem ſpirantes ſuauitatē appropinquantes mirifica allicentia attrahebant. Innuebat ergo dominus illi, vt amœnitatem horti illius intraret ſi eam preeligeret balneo quod ſibi tam immoderatum cauſabatur. Ad quod illa: Nequaquā domine, ſed balneum quod mihi diuino afflatu tuo calefeciſti, incunctanter intrabo. Et dominus: Hoc ſit, inquit, tua perpetua ſalus. Intellexit igitur hortum prædictum ſignificare gratiæ diuinæ internam ſuauitatem, quæ ſuauiter flante leni auſtro amoris fidelem animam nectario rore amatoriarum lachrymarum perfundit, & ſubito ſuper niuem reddit candidatam, & pleniſsime

me ſecuratam, non ſolum de indulgentia
„ peccatorum, verum etiam de cumulo ſu-
per abundantium meritorum: vnde gratiſ-
„ ſimum domino eſſe ſciebat, quod ob amo-
„ rem ipſius, id quod grauius erat eligeret re
licto ſuauiori. Et cum poſt confeſsionem
adijſſet locum orationis, ſenſit ſibi domi-
num valde dignanter adeſſe: quo tamen or
dinante, illa confeſsio ingraueſcebat, in tá-
tum quod nimis difficulter laborabat in
proferendis illis, quæ etiam quidam quaſi
iactando coram multitudine dicere non
verecundantur. ¶ Sciendum etiam, quod
maxime duobus modis anima mundatur
ob omni peccato, Primo, per amaritudi-
nem pœnitentiæ & eius attinentias, quæ
per balneum notantur. Secundo per ſua-
uem concremationem diuini amoris
& attinentias, quæ per amœnum hor-
tum ſignificantur. Poſt confeſsionem ve-
ro ſtatuebatur in contemplatione vulne-
ris ſiniſtræ manus domini, vt quaſi poſt
balneum in ſudore requieſceret quoadvſ-
que pœnitentiam iniunctam à ſacerdote
expleſſet. Sed cum pœnitentia talis eſſet,
quod differri deberet per tempus, valde
grauabatur ſi ante expletionem illam
dulciſsimo, & amantiſsimo domino ſuo fa
miliarius & liberius ſibi nõ concederetur
adeſſe.

Duobus modis anima mundatur à peccatis

adeſſe. Vnde ſub miſſa cum hoſtia ſacroſancta totius humanæ culpæ veriſsima & efficaciſsima reconciliatio immolaretur à ſacerdote: ipſa eandem obtulit domino in gratiarum actionem pro beneficio balnei & in emendationem placabilem omnium culparum ſuarum. Qua recepta & ipſa recepta eſt in ſinũ benigniſsimi patris, experiens ibi quod vere viſitauerit eam oriens ex alto per viſcera miſericordiæ ſuæ & veritatis.

Oblatio ſalutaris hoſtiæ.

De arbore diuini amoris & de floribus folijs & fructibus eius.

CAPVT. XV.

SEquenti vero die intra miſſam in hora eleuationis hoſtiæ, velut ſopita deuotioni minus intendebat. Ad ſonitum vero campanæ tanquam raptim expergefacta, vidit regem dominum Ieſum vtriſque manibus tenere quandam arborem tanquam iuxta terram abſciſſam, ſed pulcherrimo fructu refertam, & ex ſingulis folijs inſtar ſtellarum miri candoris radios emittentem: quam arborem dum toti cœleſti curiæ quaſſaret, mirifice ex eius fructu iucundabantur. Poſt paululum vero dominus ipſam arborem demittens, tanquam in

medio

medio hortu cordis illius depoſuit, vt ipſa ſtuderet fructus ei⁹ ampliare, & ſub ea pauſaret, ac inde reficeretur. Quam cum ſibi repoſitam ſuſcepiſſet, mox in ampliationē fructum illius orare cœpit pro quadam perſona, quæ ſe nuperrime moleſtauerat proponens quod acerbum dolorem quem proxime perſenſerat, iterum perferre eligeret ad hoc, vt tribulanti ſe copioſior Dei gratia redderetur. Inter hæc ſubito in ſummo arboris florē gratiſsimi coloris recognouit, qui foret matureſcendus in fructum ſi bonam voluntatem produceret ad effectum. Nam per arborem illam notabatur charitas, quæ non ſolum abundat fructib⁹ bonorum operum, ſed etiam floribus bonarum voluntatum, imo radiantibus folijs ſuauis affectus. Vnde cœleſtes ciues mire iucundantur, cum homo homini condeſcendens indigentias proximorum pro poſſe ſuo nititur ſubleuare. In ipſa etiam hora eleuationis hoſtiæ accepit aureæ varietatis mirum ornamentum ſupèr roſeum colorem, quem heſterno die acceperat pectori dominico acclinata. ¶ Ipſa die ſub Nona apparuit, illi dominus in ſpecie cuiuſdam florentis & delicati iuuenis, expoſtulans ab ea vt ſibi de prædicta arbore nuces carpendo porrigeret: nam ad hoc faciendum ele-

eleuauit eam à terra,& in ramo arboris collocauit. Ad quod illa: O dulciſsime iuuenis, quare hæc poſcis à me, quæ ſum tenera tam virtutibus quam ſexu: cum magis deceret te mihi illas porrigere? Non, ait. Sed ſponſa in domo propria inter parentes tanquam domeſtica fiducialius agere poteſt, quam verecundus ſponſus, qui gratia viſitandi ad eam quandoque declinat. Sed tamen ſi ſponſa in aliquo conſuluerit verecundiæ ſponſi cum eam in ſua receperit, gratiam ei per omnia vicem rependere nõ tardabit. Per hoc dans intelligi, quod irrationabilis eſt illa excuſatio, qua quidam dicunt: Si Deus vellet quod, ego illa & illa facerem, ipſe bene daret mihi ad hoc gratiã: cum iuſtum ſit in hac vita, vt homo in omnibus mentem ſuam quaſi frangat propter Deum, nec in aliquo proprio commodo cõſentiat ſuæ propriæ voluntati. Et hoc in futuro illi gratiſsime rependetur. Illa vero cum nuces porrigere vellet, iuuenis aſcendit ad eam, & aſsidens monuit, vt etiam nuces illas decorticando & cutem extrahendo, ad manducandum ſibi aptaret. Dans per hoc intelligi, non ſufficere, quod homo mentem frangat ad benefaciendum inimico, niſi etiam ipſe quærat occaſionem quomodo hoc perficiat. Nam hoc totum

ſigni-

ſignificabatur per hoc, quod hos, fructus nucum colligere & parare monebatur, vt ſcilicet benefaceret ſe perſequentibus. Et ideo domin⁹ nuces quæ amari & duri ſunt corticis, in vna arbore cum pomis demonſtrauit. Quia charitas inimicorum intermiſceri debet dulcedini ſuauitatis Dei, qua quis etiam paratus ſit mortem ſubire pro Chriſto.

De fructu afflictionis propter anathema iniuſtum perpeſſæ & de ſpirituali communicatione.

CAPVT. XVI.

CVm congregatio cantaret miſſam: Salue ſancta parens, ob reuerentiam matris Dei, vltimo die illo quo propter interdictum eccleſiaſticum diuina erant omittenda, inter verba orationis dixit ad dominum: Qualiter conſolaberis nos benigniſſime Deus, de tribulatione preſenti? Ad quod dominus: Delitias meas ampliabo in vobis Sicut ſponſus liberius fruitur ſponſa in domo quã in publico: ſic ſuſpiria & deſolationes veſtræ erunt delitiæ meæ: In vobis vero augebitur profectus amoris mei: ſicut clauſus ignis latius ſerpit. Inſuper in augmentum vtrorumque ſicut aqua excreſcẽs

cum

cum impetu erumpit:ſic delitiæ meæ in vobis & amor veſter in me erumpet. Tunc illa:Et quamdiu durabit illa ſuſpenſio?Ad quod dominus:Interim quod durat,durabunt & iſta.At illa ſubiunxit:Magnis principibus erubeſcibile videretur, ſi quiſquã de infimis perſonis extreme vilitatis ipſorum ſecretioribus admitteretur. Similiter tibi regum regi indecens videri poſſet, ſi mihi omnium creaturarum peripſcmati aperirentur tuæ diuinæ diſpoſitionis arcana:propter quod me credo finali reſponſo non certificari, cum tamen ante initium omnium rerum terminus pateat tibi. Et dominus non ſic.Sed ex magna diſpenſatione ſalutis tuæ hoc facio.Quia cum te aliquando admittendo ad mea ſecreta per contemplationem eleuo, etiam ad cuſtodiam humilitatis quandoque excludo: vt accipiens inuenias quid ſis ex me.Et rurſum carens,agnoſcas quid ſis ex temetipſa,Dum vero inter offertorium, ſcilicet: Recordare virgo mater,in illo verbo,vt loquaris pro nobis bona,iſta intenderet matri omnis gratiæ, dominus ſubintulit: Etſi nullus bona loqueretur modo pro vobis,tamen ego per memetipſum totus iam placatus ſum vobis. Illa vero recolens plures defectus tam ſuos quam etiam alia,

aliarum quarundam, & hæſitans qualiter dominus hoc aſſerere poſſet, quod totus placatus eſſet: intellexit dominum blande dicentem: Mea naturalis bonitas infle&ctit me, quod meliorem partem reſpicio. Et eam tota diuinitate mea complector, imperfectiores perfectioribus ſubducens.

Nota bonitatem Dei.

¶ Tunc illa: O largiflue domine, quomodo potuiſti mihi tam indignæ & imparatæ nunc tanta & tam conſolatoria gratiæ tuæ dona impertiri? Cui dominus: Amor coegit me, & illa: Vbi nam ſunt maculæ illæ quas contraxi ex impatientia cordis, quam paulo ante incurri & aliquantulum verbis oſtendi? Ad quod dominus: Ignis diuinitatis meæ totaliter conſumpſit eas, ſecundum quod in qualibet anima, ad quam benignitate mea me gratis acclino, omnem maculam deformitatis conſumo. Tunc illa: O clementiſsime Deus cum totiens gratia tua præueniat indignitatem meam, vellem ſcire ſi talia, vt eſt prædicta impatientia & ſimilia, mortem in anima mea ſint purganda. Quod cum dominus benigne diſsimularet, illa ſubiunxit, Vere domine ſi exigit decor iuſtitiæ tuæ, ſponte & libens deſcenderem etiam ad infernum, vt eo dignius tibi emendarem. Si vero magis extollit

tuam

tuam naturalem bonitatem & miſericordiam, vt amore tuo omnia ſint conſumpta, omnimoda libertate exigã vt amor tuus longè ſupra condignum omnes maculas animæ meæ expurget. Quod etiam dominus ſecundum affluentiam bonitatis, & pietatis ſuæ benignè acceptauit. ¶ Sequenti verò die dum celebraretur miſſa ciuibus in eccleſia parochiali, circa horam communionis, dixit ad dominum: Non miſereris clementiſsime pater, quòd nunc propter bona illa quibus in ſeruitio tuo ſuſtentari deberemus, tam precioſo bono corporis & ſanguinis tui fruſtramur? Ad quod dominus: Et quomodo tantoperè miſereri poſſem, cùm ſponſam meam ducerem ad florigera & amœna loca conuiuij, ſi ante introitum conuiuij videns eam veſtibus incompoſitam, nonne prius traherem eam ſeorſum ad aridiora loca, & deformia etiã propria manu componerem, vt eo decentius eam introducerem? Tunc illa: Quomodo domine mi, gratiã tuam habere poſſunt, qui nobis grauamen prædictum intulerũt? Et dominus: Sine eos, quia de hoc ego tractabo cum ipſis. ¶ Hinc circa horam oblationis hoſtiæ ſalutaris, cùm illa eandem hoſtiam offerret domino in laudem æternam & ſalutem totius conuentus, dominus

ipſam hoſtiam in ſemetipſo ſuſcipiens, & ex intimis ſuis viuificam ſuauitatem aſpirans, dixit: Ex hac aſpiratione diuina refectione ſaginabo eas. Hinc illa dixit ad dominũ: Num domine mi, nunc communicas omnem congregationem? Qui reſpondit: Non, ſed tantummodo deſiderium habentes: & eas quæ vellent habere deſiderium. Cæteræ verò, quia ad conuentum pertinent, tantum profectum inde habebunt, quòd adhuc validum deſiderium dabitur eis. Ad ſimiliiudinem illius, cui parua cura eſt de cibo: ſed cùm per ſuauem odorem diutius trahitur, incipit delectari ad ipſum ſumendum. ¶ In die verò aſſumptionis dum ad eleuationem hoſtiæ intelligeret dominum dicentem: Ego venio, vt me Deo patri pro membris meis immolem. Illa reſpondit: Num amãtiſsime domine mi permittes non membra tua tibi abſcindi per anathema, quod nobis minantur, qui nobis bona noſtra auferre conãtur? Ad quod dominus: Si quis apprehendere poteſt medullam intima.um mearum, per quam vos mihi adhæretis, ille vos mihi abſcindat. Et ſubiunxit dominus: Anathema pro cauſa illa vobis impoſitũ nõ plus vobis nocet, q̃ ſi aliquid cum ligneo cultello incidi tentetur: quod omnino non poſsit penetrari,

ſe antum parum preſſum veſtigium cul- teſti relinqueret. Hinc illa dixit: O domine Deus, tu qui es veritas infallibilis, mihi licet indigniſsimæ intimaueras, te propoſuiſſe delitias tuas in nobis ampliare, & amorem noſtrum in te augere: quomodo nunc quædam cauſantur ſe in amore tuo magis refrigeratas? Ad quod dominus: Ego ſum qui contineo in me omne bonum, & vnicuique tempore ſtatuto partem dono ſibi congruentem.

Quomodo dominus ſpiritualiter communicat ſuos, & dat gratiam etiam abſentibus.

CAPVT XVII.

DOminica quam incidebat celebritas S. Laurẽtij, ſimul & memorialis dies dedicationis Capellæ, ſub prima miſſà cùm oraret pro quibuſdam quæ ſe orationibus ipſius deuotè commiſerant, vidit de cæleſti ſolio vſque ad terram procedere lignum vitis viridæ, per cuius emiſsiones foliorum dabatur aſcenſus ab imis ad ſumma. Quem aſcenſum intellexit eſſe fidem, per quam electi ad cæleſtia eleuantur. Et cùm in ſuperioribus quaſi ad ſiniſtram partem folij cognoſceret plures de congrega-

tione adeſſe, & filium Dei quaſi in præſentia cœleſtis patris cum reuerentia decenti aſtare, hora qua conuentus erat communicaturus, ſi interdictum non impediſſet, inſtante: iſta multum deſideraüit, vt tam ſibi quàm cęteris præſentibus viuificum ſacramentum ſpiritualiter prębeіretur ex diuina clementia, cui nulla humana potentia poteſt obſtare. Vnde vidit dominum Ieſum hoſtiam quam manu tenebat, quaſi in corde Dei patris intingere, quam roſeam extraxit velut ſanguine rubricatam. Ex qua illa multum hæſitans intra ſe reuoluebat, quidnam hoc ſibi vellet, cùm rubor paſsionem ſignet, & Deus pater nulla vnquã paſſionis nota poſsit rubricari. Et cùm in his occuparetur, neglexit prædicti deſiderij ſui ſentire effectũ. Excepto quòd poſt moram intellexit dominum in cordibus & animabus ſingularum, & quas ante in ſuperioribus eleuatas cognouerat, placidã ſibi pauſationis requiem perfeciſſe. Qualiter tamẽ actum ſit, nihil omninò recognouit. ❡ Inter hæc memor cuiuſdam perſonæ, quæ ſe etiam ante miſſam humiliter & deuotè precibus ipſius commendauerat, orauit pro ea vt dominus iam dictæ dignationis faceret eam participem. Et ad hoc tale accepit reſponſum: Per præmonſtratum fidei aſcen-
ſum

ſum nullus hucuſque venire valet: niſi per confidētiam ſubleuetur: cuius illa pro qua nunc oras, minus habet. Quæ reſpondit: Domine mi, videtur quòd confidentiā eius minuat humilitas, cui tu etiā ſolitus es gratiam infundere vberiorem. Ad quod dominus: Ego deſcendam, & tam ipſi quàm cæteris in valle conſtitutis dona mea communicabo. Hinc videbatur dominus virtutum deſcendere, quaſi per ſcalam rubricatam, & poſt paululum apparuit in medio altaris capellæ pontificalibus pręparamentis adornatus: & manibus tenens pixidem ad ſimilitudinem illarum, in quibus conſecrata hoſtia ſolet conſeruari. Et per totam Miſſam illam verſus ſacerdotem vſque ad præfationem ſedens permanſit. Et in obſequium ipſius tanta multitudo angelorum aderat, quòd tota capella in dextra parte domini, ſcilicet ad ſeptentrionē, plena videbatur: qui ſpeciale gaudium prætendēbant ex eo, quòd quaſi nimio affectu circumibant loca illa, in quibus à conciuibus ſuis ſcilicet à congregatione, ſæpius deuotæ orationes oblatæ fuiſſent. Ad ſiniſtram verò partem domini, ſcilicet ad meridiem, vnus tantum aſtitit chorus angelorum, quibus ſeorſum aderat chorus apoſtolorum, & ſeorſum ab his martyrū, hinc

Confidentiæ piæ vtilitas.

chorus confeſſorum, poſt quos chorus & virginum. Quod cùm illa cerneret, & admirans recoleret, quòd incorruptio ſecundum ſcripturam proximum facit eſſe Deo: intellexit, quòd inter dominum, & beatas virgines ſpecialis radiabat ſplendor niuei candoris, qui præ cæteris ſanctis virgines domino quadam ſuauiſsima blanditate & miræ iucunditatis familiaritate coniunxit. Intellexit etiam aliquos radios miri ſplendoris ad perſonas de congregatione protenſos, tanquam inter dominum & illas nullum eſſet obſtaculum: quamuis plures materiales parietes ipſas à capella, in qua videbatur, ſegregarent,

Virginum prærogatiua.

¶ Et cùm iſta his miro modo delectaretur, pro alijs etiam ſolicita, de congregatione dixit ad dominum: Cùm me domine largiflua pietas tua nunc tam incredibilis ſuauitatis donauerit gratia, quid etiam das his, qui forte nunc exterioribus inſudantes donis iſtis minus perfruuntur? Ad quod dominus: Ego eos balſamo perungo, quamuis quaſi dormitantes. Cuius virtutem cùm illa examinaret, & multum miraretur, quomodo tam æqualem fructum habere poſſent ſe in ſpiritalibus exercitantes & non exercitantes. Quia balſamum quod imputribilia reddit corpo-

ra peruncta, parum differt vtrum eo dormientes ſiue vigilantes perungantur. Etiam hanc intelligibiliorem ſimilitudinem accepit in exemplum, ſcilicet cùm homo comedit, à quo omne corpus in ſingulis membris confortatur: ſolum tamen os in ſapore cibi delectatur: ſic cùm electis ſpecialis gratia donatur, ex incontinenti pietate Dei omnibus membris, & ſpecialiter ad eandem congregationem pertinentibus, etiam meritum augmentatur, exceptis illis qui ſeipſos vel per inuidiã vel malam defraudant voluntatẽ. Inter hæc dum imponeretur: Gloria in excelſis, dominus Ieſus ſummus pontifex diuinum afflatum ad inſtar ardentis flammæ ad cæleſtia direxit in gloriam patris. Et in illo verbo: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, eundem afflatum in ſpecie niuei ſplendoris ad præſentes emiſit. Deinde ad Surſum corda, filius Dei exurgens quaſi per efficacem attractum omnium præſentium deſideria in ſe traxit. Hinc verſus orientem miniſterio innumerabilium angelorum vndique circunuallatus, eleuatis manibus ſtetit, & per verba præfationis Deo patri obtulit fidelium vota. Poſt hæc dum inciperetur Agnus Dei, dominus ſe ad altari cum tota potentia ſua eleuans, ad ſecun-

dum Agnus Dei, intima ſingulorum præſentium inſcrutabili ſapientia ſua influxit. Et ad tertium Agnus Dei, ſeſe ad ſumma colligens, omnium vota & deſideria in ſeipſo Deo patri offerendo præſentauit. Et ſic ex abundantia ſuauitatis omnibus ſanctis pręſentibus benedicto ore ſuo dans pacem, præ cæteris hoc priuilegium pręſtans cœtui virginum, vt poſt oſculum oris, etiam pectori earum infigeret oſculum prædulce. Et poſt hæc dominus quaſi totus melleo amore diuinitatis affluens, ſeipſum prębuit congregationi cum his verbis: Totus ſum veſter proprius. Ergo fruimini mę quilibet veſtrum pro deſiderio ſuo. Poſt hæc iſta dixit ad dominum: Quamuis domine nunc incredibili dulcedine ſim ſaciata: tamen tu in altari reſidens mihi remotior es viſus. Vnde pro benedictione iſtius miſſe talem in me operare effectum, vt anima mea ſentiat ſe tibi coniunctam. Quod dominus tali modo perfecit, vt illa ſentiret ſe per amplexus domini ad pectus ipſius tanto ſuauius quanto fortius preſſam per diuinam vnionem,

Virginum prærogatiua.

De digna præparatione ad ſumēdum corpus Chriſti. Et de alijs pijs exercitijs circa idem digniſſimum ſacramentum.

CA-

CAPVT. XVIII.

ACcedens quoque ad ſumendum viuificum ſacramentum, dum in Antiph. Gaude & lætare cantaretur: Sanctus, ſanctus, ſanctus, procidens ad terram in humilitate cordis exorabat dominum, vt ipſam præparare dignaretur, quo ad laudem ſuã & profectum vniuerſitatis, cæleſtibus epulis dignè poſſet participari. Ad quam filius Dei tanquam dulcis amator ſe repentè acclinans, & oſculum ſuauiſsimum animæ ipſius imprimens, dum cantaretur, Sanctus: Ecce in hoc, inquit, oſculo cum iſto Sanctus quod attribuitur perſonæ meæ, do tibi omnem ſanctitatem tam diuinitatis quàm humanitatis meæ, vt cùm illa ſatis dignè præparata accedas. Sequenti verò proximo die dominico, cùm pro iam dicto dono gratias Deo perſolueret: ecce filius Dei, præ milibus angelorum forma ſpecioſus, ſuſcipiens in brachia ſua quaſi glorians de ea, ipſam Deo patri in perfectione ſanctitatis illius, quam ipſe ſibi donauerat, ex perſona ſui iucundè præſentabat. Vnde & Deus pater per vnigenitum ſuum intantum ſibi complacuit in anima eius, quòd quaſi non valens ſe continere etiam ipſe cum ſpiritu ſancto ſuum ſibi Sanctus, largitus eſt, ad obtinendum plenam benedi-

ctionem totius ſanctitatis tam omnipotentiæ, quàm etiam ſapientiæ & benignitatis.

Communionem impedientia & promouentia.

Separati ab amicis, Christo magis coniunguntur.

ALtera vice dum communicatura videret plures propter diuerſa motiua impeditas à communione, gaudens in ſpiritu ex intimo cordis affectu, dixit ad dominum: Gratias tibi ago dulciſsime amator Deus meus, pro eo quod ad talem me ſtatum perduxiſti, quòd neque parentes mei, neque aliç cauſæ me à tui iucundiſsimi conuiuij participatione poſſunt impedire. Ad quod dominus ſecundum aſſuetam benignitatis ſuæ dulcedinē ſic reſpondit: Sicut tu nihil eſſe fateris, quod te impediat à me, ſi ſcias nihil omnino nec in cęlis nec in terris eſſe, imo neque iudiciū neque iuiſtitiam præualere, vt impediat ab hoc, quòd ſecundum diuini cordis mei delectamentum ſummum non benefaciam tibi. ¶ Item alia vice ad communionem accedens, dum multum deſideraret à domino dignè præparari, dulcis & pius dominus his verbis ipſi blandiebatur. Ecce iam induor te ad hoc, vt delicatum manum meam illæſam extēdere poſsim inter hiſpidos

dos peccatores, ad benefaciendum eis: & veſtio te meipſo ad hoc, vt omnes quos in tua memoria ad meam ducis præſentiam, imò omnes qui tibi ſimiles ſunt in natura, ad illam trahens dignitatem, vt eis ſecundũ meam regalem munificentiam benefacere poſsim.

Nota quanta ſit efficacia interceſſio Sanctorum & piorum.

Communionis præparatio notabilis.

DIe quoque alia diuinis participatura, dum recoleret Dei beneficia erga ſe, venit illi in mentem illud libri Regum: Quis ego ſum, aut quæ domus patris mei: Vnde reijciés illud quæ domus patris mei, quaſi illi fuiſſent homines qui ſecundum Dei ordinationem vixerunt tempore ſuo, ſeipſam conſiderabat quaſi plantulam paruam, quæ ex proximitate inextinguibilis ignis diuini cordis recipiens beneficia velut naturaliter in ſeipſa ignoſcens, & ex culpis negligentiarum ſuarum de hora in horam quaſi incinerando deficiens, & iam quaſi in nihilum redacta, iaceret ſimilis minimo carboni extincto, hinc cùm ad benignisſimum propitiatorem Ieſum Dei filium conuerteretur, orans vt ipſe eam qualemcunque Deo patri reconciliatam præſentare dignaretur: ipſe amantiſsimus Ieſus per vaporem amoris ſui vulnerati cor-

dis eam ſibi attrahere videbatur & abluere in aqua inde profluenti, deinde irrigare ipſam in ſanguine viuificante ſui cordis. Ad quod illa ex minutiſsimo carbone conualeſcens, creuit in viriditatem arboris, cuius rami in tres partes ad modum lilij diuidebantur: quam arborem filius Dei aſſumēs cum gratitudine & gloria ſemper venerandæ Trinitati præſentauit. Qua præſentata, tota beata trinitas tanta dignatione ſe ipſi acclinauit, quòd Deus pater ex diuina omnipotentia ſua in ſuperiores ramos illius poſuit omnem fructum, quem anima illa protuliſſe potuiſſet, ſi ſe debito modo diuinæ omnipotentiæ habilitaſſet. Similiter filius Dei atque ſpiritus ſanctus in cæteras duas partes ramorum videbantur ponere fructus ſapientiæ & benignitatis. Poſt hæc dum illa corpus Chriſti ſumpſiſſet, & (vt ſuprà dictum eſt) animam ſuam in ſimilitudine arboris conſpiceret radicem habere fixam in vulnere lateris Ieſu Chriſti, per ipſum vulnus tanquam per radicem, nouo quodam mirabili modo ſenſit ſe quaſi per ſingulos ramos ſimul & fructus atque folia penetrari à virtute humanitatis & diuinitatis, intantum, quòd fructus totius conuerſationis ipſius per ipſam nouum reddidit ſplendorem, ſicut aurum lucet per cry-

ſtallum. Vnde non ſolum beata trinitas, verùm omnes ſancti miræ iucunditatis ſuſceperunt delectamentum. In cuius reuerentiam omnes ſurgentes, & quaſi genua flectentes, ſinguli obtulerunt merita ſua in ſpecie coronarum, pendentes ea ſuper ramos arboris prædictæ, ad laudem & gloriam illius, qui per ipſam refulgens nouo delectamento eos dignabatur iucundare. Ipſa verò cùm oraret dominum, vt omnibus in cælo & in terra atque in purgatorio (qui omnes iure habuiſſent profectum de fructu operum ſuorum, ſi ipſa non neglexiſſet) ſaltem nunc daret profectum ex fructibus diuina benignitate ſibi collatis, cœperunt ſingula opera (in quorum ſpecie apparuit arboris fructus) efficaciſsimum liquorem deſudare, cuius pars defluens in ſuperiores, ipſis gaudium cumulauit, pars verò defluens in purgatorium pœnas eorum mitigauit, pars autem defluens in terras, iuſtis dulcedinem gratiæ, & peccatoribus amaritudinem pœnitentiæ augmentauit.

Quàm fructuoſum ſit audire Miſſam.

HOra quadam eleuationis hoſtiæ ſub Miſſa dum eandem hoſtiam ſacroſanctam offerret Deo patri in emendatio-

nem dignam omnium peccatorum, & in ſuppletionem omnium negligentiarũ ſuarum, cognouit animam ſuam conſpectui diuinæ maieſtatis præſentatam in beneplacito illo, quo Chriſtus Ieſus ſplẽdor & imago paternæ gloriæ agnus Dei ſine macula ſeipſum eadem hora obtulit Deo patri pro ſalute vniuerſitatis in altari. Quia per innocentiſsimum Ieſu Chriſti humanitatem reſpiciebat eam Deus pater ab omni peccato puram & immaculatam. Et per excellentiſsimam ipſius diuinitatem ditatam & ornatam omnigena virtute, qua ipſa glorioſa diuinitas floruit per ſanctiſsimam ipſius humanitatem. Cùm verò gratiárum actiones pro poſſe ſuo domino perſolueret, delectata in tam mira diuinę pietatis dignatione, hunc ab ipſo percepit intellectum, quòd quotieſcunque aliquis cum deuotione intereſt miſſæ, intendens Deo qui ſeipſum offert in ſacramento pro communi ſalute vniuerſitatis: Ille veraciter reſpicitur à Deo patre pro beneplacito hoſtiæ ſacroſanctæ ſibi oblatæ: ad ſimilitudinem, ſicut qui de tenebris calcat in radium luminis ſolaris, totus repente illuſtratur. Tunc illa requiſiuit à domino, dicens: Nunquid domine mi ſtatim vt quis in peccatum labitur, amittit etiam iſtam beatitudinem:

Quàm fructuoſum intereſſe ſacrificio altaris.

ſicut qui de lumine ſolis redit in tenebras perdit gratam lucis claritatem? Reſpondit dominus, Non, licet enim peccans aliqualiter lumen diuinæ placabilitatis ſibi obumbret: pietas tamen mea ſemper in eo veſtigium illius beatitudinis homini conſeruat in vitam æternam : quam totiens ſibi multiplicando accumulat, quotiens cum deuotione ſtudet miſſæ intereſſe & ſacramentis.

Qui ſermones impediant effectum ſacramenti.

POſt ſumptam communionem, die quodam dum reuolueret quanta diligentia os eſſet obſeruandum, quod præcipuè inter alia membra eſt receptaculum precioſorum Chriſti myſteriorum, hac ſimilitudine edocta eſt: Videlicet, ſi quis nõ obſeruans os ſuum à verbis vanis, falſis, turpibus, detractorijs, & ſimilibus, impœnitens ad ſanctã accedit communionem, tali modo ſuſcipit Chriſtum (quantum in ſe eſt) ſicut qui hoſpitem in ipſo ingreſſu lapidibus in ſuperliminari congregatis obrueret, vel vecte duro caput eius obtunderet. Hæc elegens alto compaſsionis ſingultu conſideret, quæ conuentio tantæ ſeri-

Oris cuſtodia.

feritati cum tanta benignitate, vt ille qui cum tanta manſuetudine venit ad humanam ſalutem, à ſaluandis tam crudeliter perſequitur. Et hoc idem ſentiri poteſt de quibuſlibet peccatis.

Veſtimenta delitioſa præparantia ad communionem,

Die quodam communicatura, cum ſe minus preparatam conſideraret, & tempus communicandi iam inſtarèt, taliter animam ſuam alloquitur: Ecce ſponſus iam vocat te, & quomodo procedes illi obuiam nullis, vt dignum eſſet, ornamentis meritorum preparata? Tunc illa magis indignitatem ſuam retractans, & ex ſeipſa omnino diffidens, ac ſpem ſuam in dei pietate ponens, dixit intra ſe: Quid valet retardare, cum etiamſi mille anni ſtudio meo relinquerentur, nequaquam tamen me decenter prepararem, cum ex me nihil omnino habere queam, quod aliquo modo valeat ad tam ſumptuoſam preparationem. Sed cum humilitate & fiducia procedam illi obuiam: & cum me de longe dominus meus viderit, amore proprio commotus potens eſt mihi in occurſum mittere, quo preparata digne valeam ipſi præſentari.

Eaque

Eaque intentione progrediens oculos cordis defixos tenuit in ſuam deformitatem & incompoſitionem. Et cum paululum proceſsiſſet, apparuit dominus, intuitu miſerationis imo dilectionis eam reſpiciens, & obuiam mittens illi ad decenter preparandam eam innocentiam ſuam, qua ipſam pro camiſia candida & molle veſtiuit. Et humilitatem ſuam, qua ipſe dignatur tam indignis ſociari, vt eam pro tunica violatica indueret. Spem quoque ſuam, qua ipſe anhelat & æſtuat in amplexus animæ, vt eam viridi colore decoraret. Amorem ſuum, quo in ſe afficitur circa animam, vt eam auricoloris amictu amiciret. Gaudiũ ſuum quo ipſe delectatur in anima, vt ipſi gemmatam coronam imponeret. Poſtremo confidentiam ſuam, qua ipſe dignatur vili figmento fragilis humanitatis inniti, ponens delitias ſuas eſſe cum filijs hominum vt eam calciaret: & ſic digne ſibi preſentaretur.

Quanto amore ſeipſum dominus dat in ſacramento.

POſt ſumptam communionem, dum ad intima ſe recollegiſſet, exhibuit ſe illi dominus in ſpecie pellicani: ſicut depingi ſolet,

ſolet,roſtro tranſfodiens cor ſuum. Quod cum illa admirans diceret: Quid mihi domine mi per hanc ſimilitudinem niteris perſuadere, dominus reſpondit Vt conſideres, quam inæſtimabilibus amoris ſtimulis propulſus hoc tam prænobile donum porrigo: quod ſi incongruum non eſſet ad dicendum, poſt hoc donum magis eligerem mortuus remanere, quam hoc donum ab amante anima continere. Inſuper etiam conſideres, quam excellenti modo anima tua ſumpto hoc dono viuificatur in vitam æternaliter permanentem: ſicut pullicu-lus pellicani viuificatur ex ſanguine cordis paterni.

Pietas Chriſti in ven. ſacramento.

De nimia pietate Dei in hoc ſacramento.

ITem cum die quodam in prædicatione ſermo de diuina iuſtitia protenderetur: illa eo modo intendebat, quod expaueſcēs trepidaret accedere ad diuina ſacramenta. Vnde à benignitate Dei his verbis eſt animata: Si negligis interioribus oculis benignitatem meam attendere tibi multiplicibus modis exhibitam, reſpice ſaltem corporalibus oculis. Intuere quam parua pixide concluſus tibi obuiam procedo: & ſcito

ſcito pro certo, quod rigor iuſtitiæ meæ ita plene circumcluſus eſt manſuetudine miſericordiæ meæ, quam in exhibitione huius ſecramenti erga genus humanum dignanter prætendo. ¶ Item vice alia hora ſimili nec diſsimili inductione, ad deguſtandam ſuæ ſuauitatis dulcedinem diuina pietas allexit eam his verbis: Attende minutam formulam ſubſtantiæ illius, in qua totam deitatem & humanitatem meã tibi exhibeo, & confer quantitatem illius cum quantitate humani corporis: & inde æſtima dignationem benignitatis meæ. Quia ſicut humanum corpus excedit in quantitate corpus meum, id eſt, quantita, tem ſpeciei panis, ſub qua eſt corpus meum: ſic miſericordia & charitas mea trahit me in hoc ſacramento vt ſinam amantem animam aliqualiter præualere mihi ſicut corpus humanum in quantitate corp⁹ meum. ¶ Die alio, dum porrigeretur ſalutaris hoſtia, dominus iterum adiecit cõmendare nimiam dignationem ſuam cum his verbis: Num conſideras ſacerdotem illum, qui porrigit hoſtiam, ornatũ illũ quẽ ob reuerentiã tractandi ſacramẽti geſtat retinere circa brachia & nudis manibus corp⁹ meũ tractare. Vnde intelligas, quod quamuis vt dignum eſt, pie reſpicio quæ

in

in gloriam meam exercentur:vt ſunt orationes,ieiunia.Vigiliæ & ſimilia:tamen (licet minus intelligentibus non videatur) maiori compaſsionis affectu aſſum electis meis,quando ſtimulis humanæ fragilitatis impulſi,ad miſericordiam meam confugiunt:ſicut ibi vides carneam manum ſacerdotis propriorem ſacramento, quam ornatum.

Humilitas Deo magis placet,quam deuotio.

Alia vice cum ad communionem cãpana pulſaretur & cantus imponeretur,iſta ſe ſentiens minus paratam iuſto,dixit ad dominum:Ecce iam domine mi venis ad me,& cur non vt bene præuales,premiſiſti mihi ornamenta deuotionis, quibus præparata tibi decentius obuiam procedere poſſem?Ad quod dominus: Sponſus quinque magis delectatur intueri collum purum & candens ſuæ ſponſæ,quam torque tectum, ac tornatiles manus illius mundas,quam chirothecis eas videre ornatas:Sic ego quandoque plus delector in virtute humilitatis,quam in gratia deuotionis. ¶ Quadam vice dum plures de congregatione impeditæ abſtinerent à cõmunione,& illa poſt ſuſcepta myſteria deuotionis

uotionis proinde gratias domino perſol, ueret, dicens: Inuitata ad conuiuium tuum veni gratias agens, Dominus blandiſsimis & ſuper mel & fauum ſuauiſsimis verbis ſubiunxit dicens: Scias, quod ego ex toto corde meo deſiderabam te. Tunc illa. Et quid domine diuinitas tua inde gloriæ cōſequi delectatur, quod indignis dentibus meis tua immaculata contero ſacramenta Ad quod dominus: Amor proprij cordis facit quod amici verba ſunt ſuauia, ſic ego ex meo proprio amore habeo quod in illis delector, quæ quandoque electis meis parum ſapiunt.

Corporis Chriſti ſuauitas non videndo, ſed guſtando percipitur.

ALia vice, dum inter diſtributionem ſacramenti valde deſideraret hoſtiam videre, & inde à frequentia accedentium impediretur: intellexit dominum blande ſe inuitantem & dicentem · Suaue ſecretū quod inter nos agitur, illis incognitum eſſe oportet, qui ſe à me elongant: ſed tu ſi ſcire delectaris, accede, & non videndo, ſed guſtando experire, quid ſapiat illud abſcōditum manna.

Reue

Reuerentiæ cauſa abſtinere non eſt malum.

CVm videret vnam ex ſororibus nimis trepidantem accedere ad ſacramenta viuifica ſumenda, & ab ea ſe præ tædio quaſi cum indignatione auerteret: dominus hoc pie in ea redarguit, dicens: Nonne cõſideras, quod non minus digne mihi debetur reuerentia honoris, quam dulcedo amoris: Sed cum defectus humanæ fragilitatis vno affectu nequeat vtrumque perficere, cum vos alterutrum adinuicem ſitis membra: dignum eſt, vt quod per ſe quælibet minus habet, recuperet per aliam Verbi gratia: Qui minus dulci amore affectus reuerentiæ minus obſequitur, pro ſe ſuppletum gaudeat ab illo qui magis intendit reuerentiæ & viciſsim deſideret illum obtinere ſolatia vnctionis diuinæ.

Sanctorum communio.

Seruire Deo proprijs expenſis, Quid ſit.

ALia etiam vice, dum ſimili de cauſa alteram expaueſcẽtem videret & pro ea oraret, dominus reſpondit: Vellem vt electi mei me tam crudelem non æſtimarent, ſed crederent quia pro bono imo pro opti-

optimo acceptarent, ſi ſuper expenſis ſuis mihi aliquod ſeruitium exhiberent. Verbi gratia: Super expenſis proprijs Deo ſacrificium perſoluit, qui cum non habet ſaporem deuotionis, nihil tamen minus ſeruit Deo in orationibus, genuflectionibus & & ſimilibus, & ſuper his confidit de benigna pietate Dei, quod tamen placite illud acceptet.

Communionis tempore quare gratia deuotionis ſubtrahatur.

ITem orans pro quadam quæ cauſabatur ſibi parcius infundi gratiam deuotionis illo die quo eſſet communicatura, quam quibuſdam etiam priuatis diebus dominus reſpondit: Nō caſu fit hoc, Sed diſpenſatiue: quia quando priuatis diebus & etiam improuiſis horis infundo gratiam deuotionis, per hoc cor hominis ad me nitor eleuare, ꝙ tunc forte remaneret in ſuo corpore. Cum vero in diebus feſtis ſeu hora communionis gratiam ſubtraho, electorum corda magis exercitantur per voluntatem deſideriorum, ſiue per humilitatem. Vnde tale ſtudium, taliſque contritio, magis lucratur ad eorum ſalutem, quā quandoque gratia deuotionis.

Cadere

Cadere Deus permittit propter humilitatem.

ORans etiam pro quadam quæ ſacramenta dominici corporis leui de cauſa intermiſerat ſuſcipere, ſcilicet ne aliqui videntes poſſent ſcandalizari, talis ſimilitudinis accepit reſponſum: Sicut homo qui manifeſtam maculam deprehendit in manu ſua, ſtatim manus ſuas lauat: ſed poſt lauationem mundatur non ſolum à manifeſta macula verumetiam totæ manus ipſius redduntur mundiores: Sic contingit cadere in aliquam leuem culpam, vt inde pœnitentes mihi ex humilitate magis placiti fiant. Sed quidam pro beneficio tali mihi cótrariantur, dum internã ſuam pulchritudinem, quam ego poſt pœnitentiam approbo, negligentes, ſtudent exteriori que in hominem iudicio pendet ſcilicet quando non curant omittere gratiam meam quam de ſuſceptione ſacramenti conſequi poſſent, ne apud homines infamiores reputétur, pro eo quod minus caute ſe ad ſuſceptionem ſacramenti videntur præparare.

Gratia communionis non temere propter homines negligenda.

Alia preparatio notabilis communionis.

Alia

ALia quoq; die communicatura, dum etiam ad hoc in interioribus ſuis à domino inuitaretur, eo modo quaſi eſſet in cęleſti palatio, Deo patri in regno gloriæ ſuę aſſeſſura, & ad tabulam menſæ eius cum ipſo commeſtura, & ad hoc ipſa ſe valdè imparatam & nimis incompoſitam videret, anxia ſe ſubtrahere nitebatur. Cui obuians filius Dei ad præparandam eam ad ſecrętiora videbatur deducere. Et primo quaſi lauans ei manus in remiſsionem peccatorum, ſuæ paſsionis tradidit ei emundationem. Deinde ornamenta ſua, ſcilicet torquem, armillas & annulos, quibus ipſe ornatus apparuit, ſoluens eidem appendit, præmonens eam, vt cum eis decenter procederet, & non ſicut fatua quæ ex indecentia & inconſuetudine incedere neſciens, magis per ridiculum contemptum ſibi acquirit, quàm ex verecundia honorem. Vnde per hæc verba intellexit, quòd illi quaſi fatui incedunt cum ornamẽtis domini, qui attendentes ſuam imperfectionem filium Dei exorant, vt pro ipſis ſuppleat: ſed poſt acceptum beneficiũ adhuc tam pauidi remanent, ſicut prius, eo quòd plenam confidentiam non habent de domini ſufficientiſsima ſuppletione. *Confidentia.*

Quæ gratia conferatur fidelibus ex corporis Chriſti digna perceptione.

DIe alia communicatur dũ hoſtiã do-minici corporis offerret domino pro remedio omnium purgandorum, cognouit exinde maximum releuamen animabus fidelium prouenire. Tunc multum admi-rans dixit ad dominum: Cùm tu benigniſ-ſime domine mi (quod ob gratiam tuam di co) licet heu ſim valde indigna, ſemper ta-mẽ me tua dignaris præſentia inuiſere, imo inhabitare. Vnde eſt hoc, quòd non ſemper per me talem operaris effectũ, qualẽ nunc experior poſt ſuſceptionem ſacratiſſimi corporis tui? Ad quod dominus: Sicut cùm rex aliquis habitat in palatio ſuo non omnibus facilis ad ipſum tribuitur ingreſ-ſus, ſed cum amore reginæ prope habitan-tis deuictus ad ipſam viſendam declinare dignatur de palatio in ciuitatem, omnes ci ues & incolæ ciuitatis illius ob gratiam reginæ liberalitate regiæ ipſius magnificen-tiæ facilius ac liberalius perfunguntur & ope lætantur: Sic ego cum propria beni-gnitate & dulcedine cordis mei deuictus, per viuificum altaris ſacramentum me cui-quam fideli (qui ſine peccato mortali eſt) inclino, omnibus cęligenis ſimulatque ter-rigenis

Inæſtimabilia beneficia præſtantur per ſacram communionẽ.

rigenis ac purpandis inæſtimabilibus beneficij præſto augmentum.

Corporis Chriſti ſuſceptione multi liberantur ex purgatorio.

DIe altero communicaturæ incidit deſiderium, vt ſe demergeret in profundiſsimam vallem humilitatis, vt in ea lateret ob reuerentiam dignationis illius, qua dominus precioſum corpus & ſanguinem ſuum communicat electis. Vnde patuit illi profũdiſsima illa humiliatio, qua filius Dei deſcendit ad lymbũm, vt ipſum euacuaret. Vnde in vnione deſcenſionis illius nitens, videbatur ſibi ad profundũ purgatorij deſcendiſſe. Et ibidem, inquantum potuit, ſe deprimens, intellexit dominum ſibi dicentem: In ſuſceptione ſacramenti te mihi ſic intraham, vt tecum pertrahas omnes ad quoſcunque peruenerit odor deſideriorum tuorum, qui inæſtimabilis eſt in veſtimentis tuis. Poſt hoc verò promiſſum cùm ad ſumptum ſacramentum deſideraret, vt ſibi dominus de purgatorio tot animas præſtaret, in quot partibus hoſtia in ore ipſius diuideretur, & ideo conaretur illam in plures partes diuidere: dominus dixit ad eam: Vt intelligas quoniam miſerationes meæ ſunt ſuper omnia opera

mea: & quia non ſit qui abyſſum pietatis meæ poſsit exhaurire: ecce præſto ſum, vt per precium iſtius viuifici ſacramenti multo plus accipias quàm orare pręſumis. ¶ Alia quoque die communicatura, dum frequentiore quàm ſolebat more propter indignitatẽ ſuam ſe ſubduceret, exorabat dominum, quatenus ipſe pro ſe hoſtiam ipſam ſacroſanctam in perſona ſua ſuſciperet, & ſibimet incorporaret. Ac deinde ex nobili ſpiramine ſuauiſsimi aflatus ſui ſingulis horis tantum ſibi aſpiraret, quantum exiguitati ſuæ congruere cognoſceret. Hinc cùm per moram in ſinu domini quaſi ſub vmbra brachiorum ipſius requieuiſſet, ità quòd latus ſuum ſiniſtrum benedicto lateri domini dextro applicatũ videretur, poſt modicum erigens ſe cognouit ex amatorio vulnere ſanctiſsimi lateris domini, ſe in ſiniſtra quaſi roſeam cicatricem contraxiſſe. Poſt hæc cùm ad ſuſcipiendũ corpus Chriſti accederet, ipſe dominus videbatur ore ſuo deifico in ſe ſuſcipere hoſtiam illã ſacroſanctam, quæ pertranſiens intima illius de vulnere ſacroſanctiſsimi lateris ipſius progrediebatur, & quaſi emplaſtrũ ſuper idem viuificum vulnus ſe coaptauit. Vnde dominus ait ad eam: Ecce hoſtia hæc coniunget te mihi eo modo, quòd ex vna parte

con-

contegat cicatricem tuam, & ex alia parte vulnus meum, vtriſq; nobis factum emplaſtrum. Quod tu ſingulis diebus quaſi tergendo cōmutes cum deuotione reuoluēdo hymnum: Ieſu noſtra redemptio, poſt hæc placuit ſibi vt quaſi pro incremento deſiderij ſui ſingulis diebus augmentaret deuotionē ſic, vt cùm vno die ſemel legerit prædictum hymnum, ſecundo die legeret bis, & tertio die ter, vſque ad diem quo iterum communicaret.

De oratione deuota ad matrem domini, & promptiſsimo glorioſæ virginis patrocinio.

CAPVT XIX.

HOra quadam orationis, dum ſe Deo exhibendo perquireret quid ei magis placeret, cui rei ab ea hora intenderet, dominus reſpondit: Matri meæ qui ad latus meum reſidet, aſta & eam ſtude collaudare. Tunc iſta deuotè Reginam cæli ſalutabat per hunc verſum: Paradyſus voluptatis, &c. collaudans eam, quòd ipſa fuit amœniſsima inhabitatio, quam Dei inſcrutabilis ſapientia (cui omnis creatura eſt cognita) inter delectationes paternarum delitiarum elegit ad inhabitandum, orans vt ob-

tineret ſibi cor tam amœnoſum varietate virtutum, vt Deus etiam in ipſo delectaretur habitare. Ad quod beata virgo videbatur inclinari, quaſi ad plantandū in corde hæc orantis varios flores virtutum, ſcilicet roſam charitatis, lilium caſtitatis, violā humilitatis, obſequium obedientiæ, & ſimilia. Per hoc dans intelligi, quàm parata ſit precibus eorum, qui inuocant eam aſsiſtere. Dumque procedendo iterum ſalutaret eam per verſum: Gaude morum diſciplina, &c. collaudans in ea, quòd præ omnibus hominibus, familiam affectionum, morum ac ſenſuum cæterorumq; motuum ſuorum tanta diligentia rexiſſet, quod domino in ea hoſpitanti decentiſsimum obſequium impendebatur, intantū quòd nunquam cogitatu, verbo, ſiue facto, aliquod indecens commiſit, orans, vt etiam ſibi idē obtineret: ad hoc virginea mater videbatur affectiones ſuas emittere in ſpecie delicatarum puellarum, quaſi mandans eis vt ſingulæ ſe ſingulis affectionibus hæc orantis adiungerent, & ad obſequendum domino cum ipſis excitarentur, ac ſupplere ſtuderent, ſi quid illæ minus exequerētur. Per hoc etiam dans virgo beata intelligi, quàm prompta ſit iuuare ſe inuocantes. Cùm verò mora hæc interrumperetur, illa dixit ad

D. Virginis benignitas.

do-

minum: Quoniam ad hoc frater mi factus es homo, vt omnes defectus humanos ſuppleas: nunc etiam pro me dignare matri tuæ beatiſsimæ ſupplere, ſi quid ego minus digne in laudibus eius perſolui. Ad quæ verba filius Dei reuerendiſsime aſſurgens & procedens coram matre ſua genua flexit, & motu capitis eam decentiſsime & amicabiliſsime ſalutauit, quòd ſibi merito gratum eſſe decet obſequium, cuius imperfectio per amantiſsimum filium tam copioſe ſuppletur.

Maria per lilium ſignificatur.

SEquenti die cum ſimiliter oraret, apparuit eadem virginea mater in præſentia ſemper venerandæ trinitatis, in ſimilitudine candidi lilij, quod fieri ſolet cum tribus folijs vno erecto & duobus demiſsis. Per quod dabatur intelligi quòd ipſa beata Dei genitrix inde merito dicitur candidum lilium trinitatis, quia pręomni creatura pleniſsime & digniſsime in ſe ſuſcepit virtutes colendæ trinitatis, quas nunquam vel minimo puluere peccati venialis commaculauit. Per erectum enim folium nõtãbatur Dei patris omnipotentia. Per duo verò demiſſa ſapientia, & benignitas filij & ſpiritus ſancti, quibus ipſa ſimili-

ma inuenitur. Vnde etiam intellexit à beata virgine, quòd ſi quis eam ſalutans deuotè diceret: Candidum lilium trinitatis, & cælicæ amœnitatis roſam præfulgidam: in ipſo ſe maxime oſtendere vellet, quid præualeret ex omnipotentia patris, & quantas adinuentiones ſciret ad ſalutem generis humani, ex ſapientia filij, quamq; inæſtimabiliter exuberet viſcerib us pietatis ex benignitate ſpiritusſancti. Adiecitq; beata virgo ad hęc: Etiam in exitu animæ ſuæ apparebo illi, qui taliter me ſalutat, in florentia tantæ venuſtatis, quòd ad miram conſolationem ſui, cælicam amœnitatem illi miniſtrabo. Vnde poſt decreuit, beatam virginem, ſiue etiam imaginem eius, his verbis ſalutare.

Quomodo ſalutanda virgo Maria.

Oratio breuis ad beatam virginem.

AVe candidum lilium fulgidę ſemperq́ue tranquillæ trinitatis. roſaq; præfulgida cælicæ amœnitatis, de qua naſci, & de cuius lacte paſci rex cælorum voluit: diuinis influxionibus animas noſtras paſce.

De priuilegiali affectu ad Deum, cum ſalutatione imaginis beatæ virginis Mariæ.

CAPVT XX.

Mori

MOris erat ſibi, ſicut amantium eſt, totū quod placet & ſapit, retorquere in amatum. Vnde quandocunq; aliquid audiebat legi vel cantari in laudem ſiue ſalutationem beatæ virginis, aut aliorū ſanctorum, quod ſuauius mouere potuit affectum: per hoc ſemper magis intēdebat ipſi Regi regum domino ſibi præ omnibus (vt iuſtiſsimum erat) vnice dilecto & electo, quàm ipſis ſanctis, quorum feſtum vel memoria recolebatur. Vnde & in feſto dominicæ annunciationis, dum beata virgo ſæpius in prædicatione extolleretur, & nulla fieret mentio de opere ſaluberrimo incarnationis domini: illa hoc moleſtè ferens, & à prædicatione rediens, dum pertranſiret coram altari generoſæ virginis ipſamq; ſalutando ſentiret ſe non pleniter ſuaui affectu erga ipſam matrem omnis gratiæ commoueri, ſed potius in omni ſalutatione ipſius ac laude ſemper ad Ieſum benedictum fructum ventris ſui affectuoſius intēdere: formidare cœpit, ſe ex hoc indignationē tam præpotentis reginæ incurſurā. Cuius trepidationem benignus cōſolator blandè remouit, dicēs: Ne timeas chariſsima, quia talis ſalutatio vel laus dilectæ genitricis meæ qua plus mihi intendis, quàm optimè ſapit ſibi. Sed tamen, quia conſcientia tua te ex

hoc grauat: ſtudeas de cætero coram altari imaginem intemeratæ matris meæ ſalutare deuotius, meam imaginem inſalutatã prætermittendo. Ad quod illa: Hoc abſit à me, inquit, o vnicum imo totum bonum meũ domine, quia in hoc cor meum nunquã poteſt cõſentire, vt à te quo pendet tota ſalus, imo vita animæ meç deſerto, poſsim ad aliquem affectum meum dirigere ſalutandũ. Cui dominus blandè reſpondit: Conſenti mihi nunc amica mea. Et quotienſcunque ſic matrem meam ſalutaueris me omiſſo, hoc ego acceptabo ſimul & remunerabo vice perfectionis illius, qua quis verè fidelis me omnium centuplorum centuplum prompto animo relinquit propter maiorem mei exaltationem.

Quàm grata ſit Chr. ſto veneratio virg. Mariæ.

Quomodo dominus excitari vult ab amanti anima.

CAPVT XXI.

DOminica prima poſt feſtũ Trinitatis apparuit ei dominus in horto quodã florigera amœnitate, viriditateque amœnoſo, & quaſi cubans in meridie, ſedenſq; in ſolio regali tanquam crapulatus à vino charitatis ſuauiter obdormiſſet. Cuius pedibus illa ſe prouoluens, cum ipſos mo-

re ſibi ſolito ſæpius deoſcularetur, varioque modo blandiretur dilecto:per triduum tamen nullam omnino pro vt conſueuerat, ipſius poterat obtinere fruitionem. Hinc die quarto intra miſſam ipſa non ſufferens vltra dilecti ſui dormitationem, ſurgens de pedibus in impetu feruoris irruit ſuper pectus eius, cuius vtique ardebat deſiderio, nitebatur vi amoris ipſius dilecti ſui interrumpere ſomnum. Deinde tanquã excitatus dominus vtriſque brachijs blande ipſam circumplectens, & fortiter ſibi aſtringens ait:Ecce quod concupiui, iam teneo. Quia quemadmodum vulpes aues capere cupiens in terra iacet reſupina velut mortua, ſuper quam auiculæ liberius volitantes cum ipſam diſcerpere incipiũt, mox ab ipſa capiuntur:Sic & ego amore tuo (vt humano more loquar) æſtuans hac ſimilitudine vſus ſum, quo te ex toto te mihi inferentem totam poſſiderem.

Quad infirmitas negligentias noſtras ſupplet.

CAPVT XXII.

VIce quadam à rigore ordinis cauſa infirmitatis impedita, cũ ad audiẽdas veſperas conſediſſet, ex deſiderio ſimul

&

& mœrore cordis dixit ad dominum: Nonne domine tibi laudabilius foret, quòd nūc inter conuentum in choro eſſem, ac orationibus vacarem, cæteriſq; regularibus exercitijs inſudarem: quàm quòd nunc iſta debilitate detenta, tantum tempus cōſumo negligenter? Ad quod dominus: Num tibi ſponſus videtur minus delectari in ſponſa, quando familiari eius cōuerſatione potitur in domo, quàm cùm gloriatur ipſam ornatam procedere ad ſpectaculum vulgi? Inter hæc illa intellexit, quòd tunc anima quaſi ornata procedit ad publicū, cùm in ſtudio bonorum operum exercetur ad gloriā Dei. Sed tunc quaſi in cōclaui cum ſponſo quieſcit, quādo à talibus ſtudijs corporali moleſtia impeditur. Quia tunc delectamentis propriorum ſenſuum priuata, ſoli diuinæ relinquitur voluntati. Et inde dominus in homine tanto magis delectatur, quāto minus homo ipſe ſibi in ſe inuenit, vnde poſſit vanè delectari vel gloriari.

Elegans ſimilitudo.

Infirmitas nos magis Chriſto coniungit.

De triplici benedictione ſub Kyrieeleiſon petenda.

CAPVT XXIII.

Cvm die quodam prout deuotius potuit, miſſæ intereſſet, & peruentum eſſet

ſet ad Kyrie eleiſon, videbatur angelus ſibi cuſtos à Deo poſitus ipſam in vlnas ſuas quaſi paruulam ſuſcipere, & ad benedicendum Deo patri præſentare, dicens: Benedic domine Deus pater filiolę tuę. Ad quod cùm Deus pater per moram conticeſceret, quaſi indignum duceret ꝙ tantillę benediceret: ipſa ad ſe reuerſa cum rubore cœpit vilitatem & indignitatem ſuã retractare. Vnde filius Dei aſſurgẽs, totam ſanctiſſimæ vitæ ſuæ conuerſationem illi tradidit in ſupplementum. Et inde videbatur tanquam ſplendidis & valdè ornatis veſtibus præparata creuiſſe in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Vnde & Deus pater benigniſsima placabilitate ei inclinatus, triplicem dedit illi benedictionẽ cum triplici remiſsione omnium peccatorum, quibus cogitatu, locutione, opere contra omnipotentiam ſuam deliquit. Hinc & illa pro gratiarum actione obtulit Deo patri omnẽ ſanctiſsimam conuerſationem vnigeniti ſui. Tunc ſingulæ gemmæ, quibus veſtimenta ſua videbantur ornata, inuicem commotæ ſuauiſsimum ac delectabiliſsimum melos reſonare videbantur in Dei patris laudem æternam. Per quod dabatur intelligi, quàm gratiſsimum ſit Deo patri, cùm quis ſibi offert perfectiſsimã filij ſui conuerſationem.

hæc iam dictus angelus ſimili modo eam præſentauit filio Dei, dicens: Benedic fili regis ſorori. A quo & triplici benedictione accepta in remiſsionem omnium quæ commiſit contra Dei ſapientiam: vltimo præſentauit eã ſpiritui ſancto dicens: Benedic o amator hominum ſubarratæ tuæ. A quo etiam triplici benedictione eſt donata in remiſsionem peccatorum omnium, quibus contra bonitatem Dei deliquit. Ergo cui libuerit, his nouem benedictionibus ad Kyrie eleeſon intendere poteſt.

De effectu intentionis in pſallendo.

CAPVT. XXIIII.

IN feſto cuiuſdam ſancti, dum intẽderet horas canonicas in laudem Dei eiuſdẽque ſancti deuotius decantare, apparuerũt omnia verba illa quæ canebat, in modum lanceæ præacutæ de corde ſuo ad cor Ieſu Chriſti, procedere, illudque medullitus penetrando inæſtimabiliter ſuauiſsima delectatione commouere, De ipſa enim lancea quaſi de ſuperiori latere, videbantur ſpargi radij ad modum lucidiſsime rutilãtium ſtellarum. qui ad ſingulos ſanctorum pertingentes miro eos nouæ gloriæ decore perornabant. Sed ſpecialiter ille ſanctus, cuius agebatur feſtum, mirabili gloria ſingula-

gularis ſplendoris apparebat exhilaratus. Ex inferiori vero latere eiuſdem lanceæ videbatur etiam omnibus viuentibus ſpecialis gratiæ augmentum, ac purgandis refrigerij ſubſidium in modum guttularũ repentine profluentium largiſſime miniſtrari.

De famulatu cordis diuini in ſuppletione defectuum noſtrorum.

CAPVT. XXV.

ALia vice, dum ſtuderet ſingulas notas & verba cum intentione proferre, & in hoc ex humana fragilitate ſæpius impediretur, mœſta ex hoc dixit intra ſe: Et quis ex tali ſtudio prouenire poterit profectus, cui tanta ineſt inſtabilitas? Cuius mœſtitiam dominus non ſufferens, præſentauit illi quaſi proprijs manibus ſuis cor ſuũ deificatum in ſimilitudine lãpadis ardentis, dicẽs: Ecce cor meum dulciſsimũ ſemper venerandæ trinitatis organũ oculis mentis tuæ prætendo, cui omnia quæ per te minus ſupplere ſufficis, fiducialiter pro te ſupplẽda commendabis. Et ſic omnia coram oculis meis apparebũt ſumme perfecta. Quia ad ſimilitudinẽ, ſicut ſeru⁹ fidelis qui domino ſuo ad queq; beneplacita paratus aſsiſtit ſic cor meum deinceps ſemper aderit tibi ad hoc, vt omnes negligentias tuas quali-

bet

A. ſimili. bet hora pro te ſuppleat. Quam inauditam dignationem domini iſta expaueſcendo ad mirans, valde incongruum iudicauit, vt cor domini ſui vnice digniſsimum, diuinitatis gazophylacium, omniſque boni contentiuum ſibi tantille, tanquam ſeruus domino, ad ſupplendas negligentias ſuas dignaretur âſtare. Cuius puſillanimitati dominus benigne obuians, hac ipſam ſimilitudine dignatus eſt animare: Quemadmodum ait, ſi tu haberes vocem multum ſonoram & valde flexibilem, & inſuper maximam haberes delectationem ad cantandum, ſi aſtares alicui male cantanti, qui valde grauem & diſſonam haberet vocem, intantũ quod vix cũ magno labore aliquid poſſet proferre certe indignareris quod tibi hoc optime prævalenti & prõptiſsimo ad cãtãdũ nõ cõmitteret, qđ ipſe tam difficulter proferret. Sic proculdubio diuinum cor meum humanã recognoſcens fragilitatẽ ſimiliter & inſtabilitatem, cum inæſtimabili ſemper deſiderio expectando optat, quouſque tu ſi non verbis ſaltem aliquo nutu committas ſibi ſupplendum pro te ac perficiendum, quidquid per te minus perficere potes. Illud autem ſicut ex omnipotenti virtute facilime prævalet, & inſcrutabili ſapientia optime ſcit: ſic ex naturaliter

mi-

mihi inſita benignitatis dulcedine beneuo lentiſsima hilaritate perſoluere ſummopere concupiſcit.

De abundantia animæ ex corde Dei.

CAPVT. XXVI.

POſt hæc die quadam, cum dictum donum tam magnificum per gratitudinem recolendo reuolueret, cum deſiderio requiſiuit à domino, quoadusque id ſibi dignaretur conſeruare Cui dominus: Interim quod tu illud deſideras reſeruare, nunquam à me tibi ſubtractum dolebis. Tunc illa: Qualiter, inquit, O inæſtimabilium effector operum Deus, fieri poteſt, ꝙ cor tuum deificum in ſimilitudine lapadis cognoſcam in medio cordis mei, licet heu indigniſsimi, pendere: & tamen quandocunque gratia tua fauente tibi appropinquare meruero, illud etiam intra te omniũ deliciarum mihi præbentem copiam me gaudeam inueniſſe? Ad quod dominus Quemadmodum tu volens apprehendere aliq̃ rẽ extẽdis manũ tuã & tamẽ apprehẽſo illo quod volebas retrahis eã ad te: Sic ego amore languens poſt te, cum tu ad exteriora conuerteris, ego cor meũ ad attrahendũ te mihi extendo. Et iterum, cum tu mihi conſentiendo in intimis ad intendendum mi-

mihi te recolis, ego denuo cor meum tecũ in me retrahendo ex ipſo præbeo tibi omnigenarum virtutum oblectamentum. Tunc illa tam gratuitam benignitatẽ Dei erga ſe cũ admiratione nimia ſimul & gratitudine retractãdo ſuorumq; defectuum multimodam vilitatem cõſiderando, cum maxima deiectione ſuijpſius demerſit ſe in profundiſsimam vallem ſibi agnitæ humilitatis, ac omni gratia indigniſsimam ſe reputabat. Vbi cum per moram ſe occultando latuiſſet, dominus (qui quãuis in altiſsimis habitet, humilibus tamen largiflue delectatur gratiã ſuã impartiri) demittere videbatur quaſi auream quandam fiſtulam de corde ſuo, quæ in ſimilitudine lãpadis apparuit dependere ſuper animã illam ſic in valle humilitatis ſeſe deprimentẽ: per q̃ fiſtulam mirabili modo influxit ei omniũ mirabilium affluentia. Verbi gratia: Si illa recolendo defectus ſuos humiliabatur, dominus protinus miſertus illius influebat ei de corde ſuo beatiſsimo diuinarum virtutum ſuarum florigeram vernantiam: quæ omnes defectus eius annihilans, nuſquam eos coram oculis pietatis ſuę diuinę ſinebat comparere. Similiter ſi deſiderabat quietẽ ornatũ, ſiue quæcunq; humano cordi deſiderabilia & amœna poſſunt excogitari,

Omnium bonorum abundantia nobis preſtatur ex corde Chriſti domini.

tari, ſtatim vniuerſa ſibi ſuauiſsime ac iucũ diſsime per fiſtulã prædictam influebant. Dum vero per aliquod tẽpus in talibus delitijs fuiſſent ſuauiter delectata, nec non cooperante ſibi gratia Dei omnib. virtutibus nõ tamen ſuis ſed dominij ſui, cõpareret decenter perornata ſummeq; perfecta, audiuit (ſicut auditur in corde) quandam vocem dulciſsimam, tanquam cythariſtæ ſuauiter demulcenti melodia cytharizantis in cythara ſua hæc verba: Veni mea ad me. Intra meum in me. Mane meus mecum. Vim vero carminis huius tali à domino melliſluo pcepit intellectu: Veni mea ad me, quià ego amans te, ſicut ſponſam præcordialiſsimam deſidero te mihi ſemper adeſſe: ergo voco te. Item, quia delitiæ meæ ſunt in te, deſidero te intrare in me: ſicut iuuenis delectationem cordis ſui deſiderat in ſe eſſe perfectam. Item cum ego amor Deus elegerim te, deſidero vt permaneas mecũ indiſſolubili vnione: ſicut homo inuitus amittit ſpiritum ſuũ, ſine quo nec ad horam viuere poſſet. Inter horam ſuauiſsimã delectationẽ illa ſenſit ſe inæſtimabiliter mirabili modo per eandem ſæpius dictã fiſtulã cordi dominica intrahi: & ſic inuenit ſe feliciter in intimis ſponſi & domini ſui. Vbi quid ſenſerit, qđ viderit, qđ audierit quid guſta-

Chriſto vniri iucũdiſſimũ.

guſtauerit, quidve contrectauerit de verbo vitæ, ipſi ſoli notum eſt ac illi, qui eam ad tam ſuperexcellenter ſublimem ſui vnionem admittere dignatus eſt, Ieſus ſponſus animæ amantis: qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.

De ſepultura domini in anima

CAPVT XXVII.

Piæ mentis deſiderium.

IN paraſceue, dum poſt officium ſepultura dominica celebraretur, & iſta exoraret dominum vt ipſe in anima eius dignaretur ad perpetuam in habitationem ſepeliri: Dominus benigne annuens dixit: Ego ipſe qui dicor petra, ero lapis ad oſtia omnium ſenſuum tuorum: Et pro cuſtodia ponam milites ſcilicet ipſas affectiones meas, quæ de cætero cuſtodiant cor tuum ob omnibus aduerſis affectionibus, & operabuntur in te ſecundum meam virtutem mihi in laudem æternam. ¶ Poſt hæc die quodam dum videret quoddam factum de vna perſona, quod durius iudicauerat (vt ipſa ſibi timebat) & inde compuncta diceret ad dominum: Domine tu locum cordis mei munieras militibus: ſed heu (vt timeo) locus vacat illis abſentibus, cum tam dure iudicauerim hoc proximi mei factum. Dominus

minus reſpondit: Et quomodo potes dicere quod locus vacet illis abſentibus, cum iam in iſto facto ipſorum perſenſeris virtutem. Qui enim mihi vult adhærere, quod mihi diſplicet, iure ipſi non debet placere.

De clauſtro animæ in corpore domini.

CAPVT XXVIII.

CVm ad veſperas cantaretur: Vidi aquam egredientem, dixit ad eam dominus: Reſpice ad cor meum, hoc manebit templum tuum: & nunc quære per cæteras mei corporis partes & elige tibi alias officinas, in quibus regulariter viuas, quia corpus meum de cætero erit tibi pro clauſtro. Ad quod illa: Domine nihil ſcio quærere amplius, nec eligere, quia tam ſuauem vbertatem in corde tuo dulciſsimo inueni, quod dignaris templum meum dicere, quod extra illud, nec quietem, nec refectionem admittere poſſum: quæ duo tamen neceſſaria videntur in clauſtro. Tunc dominus: Si tibi placet, optime iſta duo potes habere in corde meo, quia de aliquibus intellexiſti, quod de templo non recedebant intus commedentes etiam & aliqui dormientes, vt Dominicus. Elige tamen aliqua alia

Dominicus à templo non receſſit. alia, quæ clauſtro expedire vident. Tunc illa ad preceptum domini pro ambitu ſiue lauatorio elegit pedes domini pro operatorio manus domini. Os vero domini pro locutorio ſiue capitulo Oculos domini ꝑ ſcholis, in quib. legeret. Aures domini pro confeſſorio. Vnde & docuit eam dominus vt ad illud ſemper poſt omnē lapſum aſcen dere deberet, quaſi per quinque gradus humiliationis, qui notantur per has quinque dictiones: Ego vilis peccatrix, pauper, mala, indigna, & venio ad te ſupereffluentem abyſſum pietatis, vt lauer ab omni macula, & munder ab omni peccato, Amen.

Quomodo corpus domini eligendum in clauſtrū animæ.

Lapſis quid faciendum.

De adhæſione & ſalutatione domini.

CAPVT XXIX.

Recolens vice quadam diuerſos caſus inſtabilitatis, conuerſa ad dominum dixit: Mihi adherere tibi ſoli, dilecte mi, bonum eſt. Tunc dominus acclinatus circūplectebatur eam dicens: Et mihi adhærere tibi ſemper ſuaue eſt dilecta mea quod cū diceret, omnes ſancti aſſurgentes obtulerūt merita ſua ante thronū ob reuerentiam domini, vt inde tribueret animæ iſtius, vt vel ſic dignior ſibi habitatio fieret in ea. Vnde intellexit, q̄ faciliter dominus inclinatur ad animam & quam libenter ſanctorū

Chriſti & Sanctorum eius benignitas.

cœtus

cœtus ipſi ad hoc famulantur, quo ex ipſorum meritis indignitas animæ ſuppleatur. Hinc cum ex affectu deſideriorum diceret: Ego vilis homuntio, ſaluto te amantiſſime domine. Tale à dulciſsima pietate Dei accepit reſponſum: Et ego reſaluto te meam amantiſsimam. Per quod intellexit, quod quotieſcunque aliquis dicet Deo: Dilecte mi, vel Dulciſsime, vel Amantiſsime & ſimilia, cum intenta deuotione, frequenter ab ipſo tale accipit reſponſum, ex quo ipſe quaſi priuilegium ſpecialis gratiæ habebit in cœlis: ſicut Iohannes euangeliſta ſpecialem habet gloriam in terris ex eo quod vocatur diſcipulus quem diligebat Ieſus.

Quam vtile Chriſtum freꝗuenter pie & amanter Salutare.

De vtilitate voluntatis bonæ & oblatione cordis & aliis informationibus, quos in intellectu percepit ſuper nonnullis verbis diuini officij.

CAPVT. XXX.

SVb miſſa Veni & oſtéde, apparuit dominus quaſi totus melleus dulcedine diuinæ gratiæ, viuificũ atq; diuinũ de ſe dans ſpiramentũ dimittenſque de ſublimi ſolio imperialis gloriæ ſuæ influxũ ꝑ feſtum dulcifluі ſui natalis Tunc illa ꝓ ſibi cõmiſsis ora-

orauit,vt dominus ſingulos dotaret gratia potiori, & tale accepit reſponſum:Ego cuilibet donaui fiſtulam auream talis virtutis vt cum ea quilibet ſibi attrahere poſsit de intimis mei deificati cordis quæcunque deſiderat.Quam fiſtulam illa intellexit bonam eſſe voluntatem,per quam homo omne bonum ſpirituale,tam cœleſtium quam terreſtrium ſibi poteſt propriæ vendicare. Verbi gratia:Cum homo deſiderio accenſus vellet tantũ poſſe exhibere Deo laudis gratiarumactionis obſequij & fidelitatis, quantum aliquis ſanctorum ſibi exhibuit: hanc talem voluntatem acceptat immenſa Dei bonitas quaſi perfectam. Sed fiſtula exinde aureo colore nobilitatur, cum homo regratiatur Deo quod tam nobilem ſibi donauit voluntatem cum qua in infinitum plus lucrari poteſt, quam vniuerſus mundus totis virib⁹ perficere poſsit.Hinc intellexit ſingulas de congregatione domino circunſtantes. quaſi per fiſtulas ſibi collatas pro poſſe ſuo gratiam diuinam intrahere ſibi.Et alij quidem directe de intimis diuini cordis trahere videbantur, alijs vero pẽr manus domini procedebat quod accipiebant.Et ideo quanto remotius à corde trahebant,tanto difficilius obtinebant deſiderata. Et quanto propius

cordi dominico extrahere conati ſunt, tanto facilius dulciuſque & abundantius hauriebant Vnde per has, quæ directe & proxime de corde dominico hauriebant, notabantur hæ quæ ſe totas diuinæ voluntati conformant & ſubdunt, ſuper omnia deſiderantes, vt laudebiliſsima voluntas Dei circa ſe plenifsime perficiatur, tam in ſpiritualibus quam in corporalibus. Et hi tanta efficatia cor diuinum medullitùs commouens erga ſe, quod tempore à domino preordinato tanto copioſius ſuauiuſque ſuſcipient in ſe torrentem diuinæ ſuauitatis, quanto plenius ſe totos commiſerunt ipſius voluntati. Per illos vero qui per alia membra domini intrahere conabantur, ſignificabantur hi qui pro deſiderio ſuo quęlibet donà gratiarum, ſiue ſtudia virtutum ſecundum diſpoſitionem beneplaciti proprij conantur obtinere. Et hi tanto difficilius laborant pro deſideratis, quanto amplius proprię innitentes voluntati, diuinæ ſe prouidentiæ minus committunt.

Oblatio cordis & oratio.

ET cum iſta offerret domino cor ſuum per hæc verba: Ecce domine cor meũ abſtractum ab omni creatura integra voluntate offero tibi, orans vt abluas illud in

& mœrore cordis dixit ad dominum: Nonne domine tibi laudabilius foret, quòd nũc inter conuentum in choro eſſem, ac orationibus vacarem, cæteriſq; regularibus exercitijs inſudarem: quàm quòd nunc iſta debilitate detenta, tantum tempus cõſumo negligenter? Ad quod dominus: Num tibi ſponſus videtur minus delectari in ſponſa, quando familiari eius cõuerſatione potitur in domo, quàm cùm gloriatur ipſam ornatam procedere ad ſpectaculum vulgi? Inter hæc illa intellexit, quòd tunc anima quaſi ornata procedit ad publicũ, cùm in ſtudio bonorum operum exerceturad gloriã Dei. Sed tunc quaſi in cõclaui cum ſponſo quieſcit, quãdo à talibus ſtudijs corporali moleſtia impeditur. Quia tunc delectamentis propriorum ſenſuum priuata, ſoli diuinæ relinquitur voluntati. Et inde dominus in homine tanto magis delectatur, quãto minus homo ipſe ſibi in ſe inuenit, vnde poſſit vanè delectari vel gloriari.

Elegans ſimilitudo.

Infirmitas nos magis Chriſto coniungit.

De triplici benedictione ſub Kyrieeleiſon petenda.

CAPVT XXIII.

CVm die quodam prout deuotius potuit, miſſæ intereſſet, & peruentum eſſet

ſet ad Kyrie eleiſon, videbatur angelus ſibi cuſtos à Deo poſitus ipſam in vlnas ſuas quaſi paruulam ſuſcipere, & ad benedicendum Deo patri præſentare, dicens: Benedic domine Deus pater filiolę tuę. Ad quod cùm Deus pater per moram conticeſceret, quaſi indignum duceret q̄ tantillę benediceret: ipſa ad ſe reuerſa cum rubore cœpit vilitatem & indignitatem ſuā retractare. Vnde filius Dei aſſurgēs, totam ſanctiſſimæ vitæ ſuæ conuerſationem illi tradidit in ſupplementum. Et inde videbatur tanquam ſplendidis & valdè ornatis veſtibus præparata creuiſſe in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Vnde & Deus pater benigniſsima placabilitate ei inclinatus, triplicem dedit illi benedictionē cum triplici remiſsione omnium peccatorum, quibus cogitatu, locutione, opere contra omnipotentiam ſuam deliquit. Hinc & illa pro gratiarum actione obtulit Deo patri omnē ſanctiſsimam conuerſationem vnigeniti ſui. Tunc ſingulæ gemmæ, quibus veſtimenta ſua videbantur ornata, inuicem commotæ ſuauiſsimum ac delectabiliſsimum melos reſonare videbantur in Dei patris laudem æternam. Per quod dabatur intelligi, quàm gratiſsimum ſit Deo patri, cùm quis ſibi offert perfectiſsimā filij ſui conuerſationem.

hæc iam dictus angelus ſimili modo eam præſentauit filio Dei, dicens: Benedic fili regis ſorori. A quo & triplici benedictione accepta in remiſsionem omnium quæ com miſit contra Dei ſapientiam: vltimo præſentauit eã ſpiritui ſancto dicens: Benedic o amator hominum ſubarratæ tuæ. A quo etiam triplici benedictione eſt donata in re miſsionem peccatorum omnium, quibus contra bonitatem Dei deliquit. Ergo cui libuerit, his nouem benedictionibus ad Kyrie eleeſon intendere poteſt.

De effectu intentionis in pſallendo.

CAPVT. XXIIII.

IN feſto cuiuſdam ſancti, dum intẽderet horas canonicas in laudem Dei eiuſdẽque ſancti deuotius decantare, apparuerũt omnia verba illa quæ canebat, in modum lanceæ præacutæ de corde ſuo ad cor Ieſu Chriſti, procedere, illudque medullitus pe netrando inæſtimabiliter ſuauiſsima delectatione commouere, De ipſa enim lancea quaſi de ſuperiori latere, videbantur ſpargi radij ad modum lucidiſsime rutilã tium ſtellarum. qui ad ſingulos ſanctorum pertingentes miro eos nouæ gloriæ decore perornabant. Sed ſpecialiter ille ſanctus, cuius agebatur feſtum, mirabili gloria ſingula-

gularis ſplendoris apparebat exhilaratus. Ex inferiori vero latere eiuſdem lanceæ videbatur etiam omnibus viuentibus ſpecialis gratiæ augmentum, ac purgandis refrigerij ſubſidium in modum g uttularũ repentine profluentium largiſſue miniſtrari.

De famulatu cordis diuini in ſuppletione defectuum noſtrorum.

CAPVT. XXV.

ALia vice, dum ſtuderet ſingulas notas & verba cum intentione proferre, & in hoc ex humana fragilitate ſæpius impediretur, mœſta ex hoc dixit intra ſe: Et quis ex tali ſtudio prouenire poterit profectus, cui tanta ineſt inſtabilitas? Cuius mœſtitiam dominus non ſufferens, præſentauit illi quaſi proprijs manibus ſuis cor ſuũ deificatum in ſimilitudine lãpadis ardentis, dicẽs: Ecce cor meum dulciſsimũ ſemper venerandæ trinitatis organũ oculis mentis tuæ prætendo, cui omnia quæ per te minus ſupplere ſufficis, fiducialiter pro te ſupplẽda commendabis. Et ſic omnia coram oculis meis apparebũt ſumme perfecta. Quia ad ſimilitudinẽ, ſicut ſeru⁹ fidelis qui domino ſuo ad quecq; beneplacita paratus aſsiſtit ſic cor meum deinceps ſemper aderit tibi ad hoc, vt omnes negligentias tuas quali-

bet

A.ſimili. bet hora pro te ſuppleat. Quam inauditam dignationem domini iſta expaueſcendo ad mirans, valde incongruum iudicauit, vt cor domini ſui vnice digniſsimum, diuinitatis gazophylacium, omniſque boni continentiuum ſibi tantillę, tanquam ſeruus domino, ad ſupplendas negligentias ſuas dignaretur âſtare. Cuius puſillanimitati dominus benigne obuians, hac ipſam ſimilitudine dignatus eſt animare: Quemadmodum ait, ſi tu haberes vocem multum ſonoram & valde flexibilem, & inſuper maximam haberes delectationem ad cantandum, ſi aſtares alicui male cantanti, qui valde grauem & diſſonam haberet vocem, intantũ quod vix cũ magno labore aliquid poſſet proferre certe indignareris quod tibi hoc optime præualenti & prõptiſsimo ad cãtãdũ nõ cõmitteret, qđ ipſe tam difficulter proferret. Sic proculdubio diuinum cor meum humanã recognoſcens fragilitatẽ ſimiliter & inſtabilitatem, cum inæſtimabili ſemper deſiderio expectando optat, quouſque tu ſi non verbis ſaltem aliquo nutu committas ſibi ſupplendum pro te ac perficiendum, quidquid per te minus perficere potes. Illud autem ſicut ex omnipotenti virtute faciliime præualet, & inſcrutabili ſapientia optime ſcit: ſic ex naturaliter mi-

mihi inſita benignitatis dulcedine beneuo lentiſsima hilaritate perſoluere ſummopere concupiſcit.

De abundantia animæ ex corde Dei.

CAPVT. XXVI.

POſt hæc die quadam, cum dictum donum tam magnificum per gratitudinem recolendo reuolueret, cum deſiderio requiſiuit à domino, quoadusque id ſibi dignaretur conſeruare Cui dominus: Interim quod tu illud deſideras reſeruare, nunquam à me tibi ſubtractum dolebis. Tunc illa: Qualiter, inquit, O inæſtimabilium effector operum Deus, fieri poteſt, ꝙ cor tuum deificum in ſimilitudine lãpadis cognoſcam in medio cordis mei, licet heu indigniſsimi, pendere: & tamen quandocunque gratia tua fauente tibi appropinquare meruero, illud etiam intra te omniũ deliriarum mihi præbentem copiam me gaudeam inueniſſe? Ad quod dominus Quemadmodum tu volens apprehendere aliq̃ rẽ extẽdis manũ tuã & tamẽ apprehẽſo illo quod volebas retrahis eã ad te: Sic ego amore languens poſt te, cum tu ad exteriora conuerteris, ego cor meũ ad attrahendũ te mihi extendo. Et iterum, cum tu mihi conſentiendo in intimis ad intendendum mi-

mihi te recolis, ego denuo cor meum tecũ in me retrahendo ex ipſo præbeo tibi omnigenarum virtutum oblectamentum. Tunc illa tam gratuitam benignitatẽ Dei erga ſe cũ admiratione nimia ſimul & gratitudine retractãdo ſuorumq; defectuum multimodam vilitatem cõſiderando, cum maxima deiectione ſuijpſius demerſit ſe in profundiſsimam vallem ſibi agnitæ humilitatis, ac omni gratia indigniſsimam ſe reputabat. Vbi cum per moram ſe occultando latuiſſet, dominus (qui quãuis in altiſsimis habitet, humilibus tamen largiflue delectatur gratiã ſuã impartiri) demittere videbatur quaſi auream quandam fiſtulam de corde ſuo, quæ in ſimilitudine lãpadis apparuit dependere ſuper animã illam ſic in valle humilitatis ſeſe deprimentẽ: per q̃ fiſtulam mirabili modo influxit ei omniũ mirabilium affluentia. Verbi gratia: Si illa recolendo defectus ſuos humiliabatur, dominus protinus miſertus illius influebat ei de corde ſuo beatiſsimo diuinarum virtutum ſuarum florigeram vernantiam: quæ omnes defectus eius annihilans, nuſquam eos coram oculis pietatis ſuę diuinę ſinebat comparere. Similiter ſi deſiderabat quietẽ ornatũ, ſiue quæcunq; humano cordi deſiderabilia & amœna poſſunt excogitari,

Omnium bonorum abundantia nobis preſtatur ex corde Chriſti domini.

tari, ſtatim vniuerſa ſibi ſuauiſsime ac iucū diſsime per fiſtulā prædictam influebant. Dum vero per aliquod tēpus in talibus deliitijs fuiſſent ſuauiter delectata, nec non co operante ſibi gratia Dei omnib. virtutibus nō tamen ſuis ſed dominiq́ ſui, cōpareret decenter perornata ſummeq; perfecta, audiuit (ſicut auditur in corde) quandam vocem dulciſsimam, tanquam cythariſtæ ſuaui ter demulcenti melodia cytharizantis in cythara ſua hæc verba: Veni mea ad me. Intra meum in me. Mane meus mecum. Vim vero carminis huius tali à domino mellifluo pcepit intellectu: Veni mea ad me, qui à ego amans te, ſicut ſponſam præcordialiſsimam deſidero te mihi ſemper adeſſe: ergo voco te. Item, quia delitiæ meæ ſunt in te, deſidero te intrare in me: ſicut iuuenis delectationem cordis ſui deſiderat in ſe eſſe perfectam. Item cum ego amor Deus elegerim te, deſidero vt permaneas mecū indiſſolubili vnione: ſicut homo inuitus amittit ſpiritum ſuū, ſine quo nec ad horam viuere poſſet. Inter horam ſuauiſsimā delectationē illa ſenſit ſe inæſtimabiliter mirabili modo per eandem ſæpius dictā fiſtulā cordi dominica intrahi: & ſic inuenit ſe feliciter in intimis ſponſi & domini ſui. Vbi quid ſenſerit, qđ viderit, qđ audierit quid guſta-

Chriſto vniri iucūdiſsimū.

guſtauerit,quidve contrectauerit de verbo vitæ,ipſi ſoli notum eſt ac illi, qui eam ad tam ſuperexcellenter ſublimem ſui vnionem admittere dignatus eſt, Ieſus ſponſus animæ amantis : qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.

De ſepultura domini in anima
CAPVT XXVII.

Pia mentis deſiderium.

IN paraſceue,dum poſt officium ſepultura dominica celebraretur, & iſta exoraret dominum vt ipſe in anima eius dignaretur ad perpetuam in habitationem ſepeliri:Dominus benigne annuens dixit:Ego ipſe qui dicor petra,ero lapis ad oſtia omnium ſenſuum tuorum:Et pro cuſtodia ponam milites ſcilicet ipſas affectiones meas, quæ de cætero cuſtodiant cor tuum ob omnibus aduerſis affectionibus,& operabuntur in te ſecundum meam virtutem mihi in laudem æternam. ¶ Poſt hæc die quodam dum videret quoddam factum de vna perſona,quod durius iudicauerat(vt ipſa ſibi timebat)& inde compuncta diceret ad dominum:Domine tu locum cordis mei munieras militibus:ſed heu(vt timeo)locus vacat illis abſentibus , cum tam dure iudicauerim hoc proximi mei factum.Dominus

minus reſpondit: Et quomodo potes dicere quod locus vacet illis abſentibus, cum iam in iſto facto ipſorum perſenſeris virtutem. Qui enim mihi vult adhærere, quod mihi diſplicet, iure ipſi non debet placere.

De clauſtro animæ in corpore domini.

CAPVT XXVIII.

CVm ad veſperas cantaretur: Vidi aquam egredientem, dixit ad eam dominus: Reſpice ad cor meum, hoc manebit templum tuum: & nunc quære per cæteras mei corporis partes & elige tibi alias officinas, in quibus regulariter viuas, quia corpus meum de cætero erit tibi pro clauſtro. Ad quod illa: Domine nihil ſcio quærere amplius, nec eligere, quia tam ſuauem vbertatem in corde tuo dulciſsimo inueni, quod dignaris templum meum dicere, quod extra illud, nec quietem, nec refectionem admittere poſſum: quæ duo tamen neceſſaria videntur in clauſtro. Tunc dominus: Si tibi placet, optime iſta duo potes habere in corde meo, quia de aliquibus intellexiſti, quod de templo non recedebant intus commedentes etiam & aliqui dormientes, vt Dominicus. Elige tamen aliqua

alia

Dominicus à templo non receſſit.

Quomodo corpus domini eligendum in clauſtrū animæ.

Lapſis quid faciendum.

alia, quæ clauſtro expedire vident. Tunc illa ad preceptum domini pro ambitu ſiue lauatorio elegit pedes domini pro operatorio manus domini. Os vero domini pro locutorio ſiue capitulo Oculos domini ꝑ ſcholis, in quib. legeret. Aures domini pro confeſſorio. Vnde & docuit eam dominus vt ad illud ſemper poſt omnē lapſum aſcendere deberet, quaſi per quinque gradus humiliationis, qui notantur per has quinque dictiones: Ego vilis peccatrix, pauper, mala, indigna, & venio ad te ſupereffluentem abyſſum pietatis, vt lauer ab omni macula, & munder ab omni peccato, Amen.

De adhæſione & ſalutatione domini.

CAPVT XXIX.

Chriſti & Sanctorum eius benignitas.

Recolens vice quadam diuerſos caſus inſtabilitatis, conuerſa ad dominum dixit: Mihi adherere tibi ſoli, dilecte mi, bonum eſt. Tunc dominus acclinatus circūplectebatur eam dicens: Et mihi adhærere tibi ſemper ſuaue eſt dilecta mea quod cū diceret, omnes ſancti aſſurgentes obtulerūt merita ſua ante thronū obreuerentiam domini, vt inde tribueret animæ iſtius, vt vel ſic dignior ſibi habitatio fieret in ea. Vnde intellexit, q̄ faciliter dominus inclinatur ad animam & quam libenter ſanctorū

cœtus

cœtus ipſi ad hoc ſamulantur, quo ex ipſorum meritis indignitas animæ ſuppleatur. Hinc cum ex affectu deſideriorum diceret: Ego vilis homuntio, ſaluto te amantiſſime domine. Tale à dulciſsima pietate Dei accepit reſponſum: Et ego reſaluto te meam amantiſsimam. Per quod intellexit, quod quotieſcunque aliquis dicet Deo: Dilecte mi, vel Dulciſsime, vel Amantiſsime & ſimilia, cum intenta deuotione, frequenter ab ipſo tale accipit reſponſum, ex quo ipſe quaſi priuilegium ſpecialis gratiæ habebit in cœlis: ſicut Iohannes euangeliſta ſpecialem habet gloriam in terris ex eo quod vocatur diſcipulus quem diligebat Ieſus.

Quam vtile Chriſtum frequenter pie & amanter ſalutare.

De vtilitate voluntatis bonæ & oblatione cordis & alijs informationibus, quos in intellectu percepit ſuper nonnullis verbis diuini officij.

CAPVT. XXX.

SVb miſſa Veni & oſtẽde, apparuit dominus quaſi totus melleus dulcedine diuinæ gratiæ, viuificũ atq; diuinũ de ſe dans ſpiramentũ dimittenſque de ſublimi ſolio imperialis gloriæ ſuæ influxũ p feſtum dulciflui ſui natalis Tunc illa ꝓ ſibi cõmiſsis ora-

cordi dominico extrahere conati ſunt,tan to facilius dulciuſque & abundantius hauriebant Vnde per has,quæ directe & proxime de corde dominico hauriebant, notabantur hæ quæ ſe totas diuinæ voluntati conformant & ſubdunt,ſuper omnia deſiderantes,vt laudebiliſsima voluntas Dei circa ſe pleniſsime perficiatur,tam in ſpiritualibus quam in corporalibus. Et hi tanta efficatia cor diuinum medullitùs commouens erga ſe, quod tempore à domino preordinato tanto copioſius ſuauiuſque ſuſcipient in ſe torrentem diuinæ ſuauitatis,quanto plenius ſe totos commiſerunt ipſius voluntati.Per illos vero qui per alia membra domini intrahere conabantur,ſignificabantur hi qui pro deſiderio ſuo quęlibet donà gratiarum,ſiue ſtudia virtutum ſecundum diſpoſitionem beneplaciti proprij conantur obtinere.Et hi tanto difficilius laborant pro deſideratis, quanto amplius proprię innitentes voluntati,diuinæ ſe prouidentiæ minus committunt.

Oblatio cordis & oratio.

ET cum iſta offerret domino cor ſuum per hæc verba:Ecce domine cor meũ abſtractum ab omni creatura integra voluntate offero tibi,orans vt abluas illud in

Pia mentis oblatio & oratio.

virtuoſa aqua ſanctiſsimi lateris tui,& decentiſsime exornes illud in precioſo ſanguine dulciſsimi cordis tui,ac tibi conuenientiſsime coaptes illud in aromatico vapore diuini amoris tui: aperuit filius Dei, offerens illud Deo patri vnitum cordi ſuo diuino in ſimilitudine calicis, qui ex duabus partibus ceræ eſſet compactus. Quod illa videns ſupplici deuotione dixit ad dominũ: Præſta amãtiſsime Deus, vt cor meũ ſemp tibi aſsit ad ſimilitudinem flaſconũ, qui ad refectionẽ dominorũ deferũtur, vt ſemp ꝑ beneplacitu tuo illud habeas mũdum, ad infundendum & effundendum, qualicunq; hora volueris,, & quibuſcunq; tibi placuerit. Quod filius Dei benigne acceptans, dixit ad patrẽ: In tuã æternam laudẽ, ò pater ſancte, cor illud effundat, quæ cor meum diſpenſatiue continuit in mea humanitate. Vnde poſt hæc ſæpiꝰ cum cor ſuum domino per preſcripta verba offerret videbatur ſibi illud repleri quãdoq; eo modo, ꝙ tãtũmmodo effuſio illiꝰ ꝑ laudes gratiarum actiones cedebat cœleſtibꝰ in augmẽtũ gaudij, quãdoq; eo modo, qđ cõgrue bat etiam terreſtribus ad profectum, ſicut patet in conſequentibus. Nam extunc intellexit domino complacere, quod talia cõſcribi faceret ad plurimorum vtilitatem.

Miſe-

Miſericordiæ effectus.

IN aduentu per Reſponſorium: Ecce venit dominus ꝓtector noſter ſanctus Iſrael, intellexit, quod ſi quis integra voluntate diſponeret in corde ſuo deſiderare vt omnis modus vitæ ſuæ, tam in proſperis quā in aduerſis, ſecundum laudabiliſsimā Dei voluntatem regatur, cum tali cogitatione mediante gratia Dei templū honorē defert Deo, quantum honorem defert Imperatori qui coronam regni capiti ſuo imponit.

Voluntati diuinæ ſe committens ex toto quid lucretur.

ITem per verbum quod legitur in Iſaia: Eleuare, eleuare conſurge Ieruſalem, intellexit ꝑfectum qui militanti eccleſiæ prouenit ex deuotione electorum. Quia videlicet, cū vna amās anima toto corde cōuertitur ad dominū cū integra voluntate qđ ſi ꝓualereret libentiſsime ꝑſoluerat domino Deo omne danum in quo eſt detrimentum ſui honoris, & ſic interiorādum facib. amoris inardeſcens blanditur Deo intantum ipſum placat, ꝙ quinq; recōciliatus parcit toti mundo. Et hoc eſt ꝙ dicitur: Vſq; ad fundum calicis bibiſti. Quia per talem modum iuſtitiæ ſeueritas plene commutatur

ſerenitatem. Sed quod additur, potaſti vſque ad feces, ſubintelligitur quod damnatis, quibus ſex iuſtitiæ debetur, nulla redemptio fieri poteſt.

Continens ſe à verbis inutilibus & factis quid conſequatur.

ITem per verbum illud Iſaiæ: Glorificaberis, dum non facis vias tuas &c. intellexit, quia qui premeditando diſponit facta vel verba ſua, & cum nullam conſiderat in eis vtilitatem, continet ſe ab his quæ ei liberent, triplex conſequitur inde beneficium. Primum eſt, quod datur ſibi ſuauius delectari in Deo, ſicut dicitur: Delectaberis in domino. Secundum, ꝙ nociuæ cogitationes minus preualebũt cõtra illũ, ſicut dicitur: Suſtollam te ſuper altitudinẽ terræ. Tertium quod in æterna vita filius Dei plenius pre cæteris comunicat ipſi fructum ſanctiſsimæ conuerſationis ſuæ, qua ipſe nobili victoria omni tẽtationi reſtitit & glorioſe vicit, ſicut dicitur: Et cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Itẽ in illo verbo: Ecce merces eius cũ eo, intellexit quomodo domin⁹ ipſe in amore ſuo eſt præmium electorũ, tã ſuauiter ſe ingerens, ꝙ animus amãtis veriſsime aſſerere poteſt, ſe lõge ſupra omne meritum digniſsime remunera-

Multa bona cõſequitur qui ſe à verbis & factis inutilibus continet.

neratum. Et opus illius coram illo, id eſt, cum ſe totum diuinæ prouidentiæ committens, voluntatē Dei in omni facto ſuo deſiderat, iam per gratiam Dei perfectus apparet coram Deo.

Pœnitens veraciter velociſsime liberatur.

ITem per verbum illud: Sanctificamini filij Iſrael, intellexit quod ſi quis pœnitēdo velociter de omnibus commiſsis ſuis & omiſsis cum integro corde ſe inclinat ad obedientiam preceptorum Dei tam veraciter coram Deo ſanctificatur & paratus inuenitur, ſicut leproſus ille mundatus eſt cui dixit dominus: Volo, mundare. ¶ Itē per verbum illud: Cantate domino canticum nouum, intellexit quod canticum nouum cantat domino omnis, qui cantat cū intentione deuotionis, quia ex ipſo quod à Deo accipit gratiam qua illi intendere poteſt, iam nouus effectus erit Deo acceptus.

Fructus deuotionis in pſallendo.

Conterit Deus, vt poſsit mederi.

ITem per verbum illud: Spiritus domini ſuper me. Et infra: Vt mederer contritos corde, intellexit quod filivs Dei cum miſſus ſit à patre vt medeatur contritos cor-

Grauamina medentur defectibus animæ.

corde, electos ſuos ſoleat aliquo grauamine conterere quandoque paruo etiam de exterioribus, vt inde habeat occaſionem medendi eos. Sed cum hac occaſione diuerterit ad animam, grauamen illud quo forte cor contritum eſt, non medetur, quia minus nociuum eſt: ſed quicquid in anima inuenerit dãnoſum, hoc magis medetur. ¶ Item per verbum illud: In ſplendoribus ſanctorum intellexit, quod tanta & tam incompræhenſibilis eſt lux diuinitatis, quod quilibet ſanctorum ab Adam vſque ad nouiſsimum hominem, ſi ſingulus eorum ſingularem perciperet cognitionem tam lucidam, altam & dilatatam, ſicut vnquam aliqua creatura magis capere potuit: ita, quod nullus alij in ſua cognitione participaret: etiam ſi millies numeroſior eſſet turba ſanctorum amen adhuc in infinitum ſupra omnem intellectum remaneneret diuinitas inexhauſta. Et hoc eſt quod non dicitur, in ſplendore, ſed in ſplẽdoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.

Crux portanda poſt dominum.

ITem dum de vno martyre cantaretur: Qui vult venire poſt me, reſpexit dominum iter quoddam tranſeuntem amœnoſum

ſum quidẽ viriditate ac florum venuſtate, ſed anguſtum & aſperum ſpinarum denſitate. Cui conſpexit præcedere ſimilitudinem crucis, diuiſione ſpinarum ab inuicem iter commodoſe dilatantem: retroque verſum ſereno vultu ſuos poſt ſe inuitantem ac dicentem: Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me &c. Inter quæ intellexit cuique tentationem ſuam eſſe crucem ſuam. Verbi cauſa: Aliquibus erat crux, quod per obedientiæ ſtimulos ad aliqua ſibi contraria compellebantur. Alijs vero ꝙ per grauamina iufirmitatum à libitis impiedebantur. Et ſic alia alijs. Quam crucem ſic quilibet tollere debet, quod adhibeat voluntatem libenter patiendi ſibi contraria, & tamen quantumcunque poteſt perficere, nihil negligat eorum quæ ſcit laudabiliora Deo.

Correctio excedens culpam quid conferat.

CVm in pſalmo cantaretur verſus: Verba iniquorum &c. intellext quod cum aliquis ex humana fragilitate culpabilis effectus, pro culpa ſua corrigeretur, ſi quid amplius, verborum additur, miſericordiam, Dei prouocant, & cedunt

cedunt in augmentum meriti ipſi culpabili homini.

Miſericordia caſtigat electos.

CVm cantaretnr: Salue regina, & per verbum illud: Miſericordes oculos, optaret ſibi tribui corporis ſanitatem, dominus quaſi blande ſubridēs dixit: An neſcis, quia meo miſericordiſsimo intuitu te reſpicio, quando corpore caſtigaris, vel mente turbaris? ¶ Item in natali quorundam martyrum, dum cantaretur Glorioſum ſanguinem, intellexit quia quemadmodum ſanguis (qui in ſe eſt abominabilis) ex eo quod pro Chriſto funditur, in ſcriptura collaudatur: Sic illa negligentia religioſorum, que prouenit ex obedientia vel ex fraterna charitate, in tātum cōplacet Deo, quod digne appellari poteſt glorioſa ¶ Vice quadam intellexit, quod Deus occulto iudicio ſuo quinq; permittit ꝙ cum peruerſus quiſque doloſe tentando ab electis quærit alicuius ſecreti notitiam, tale quandoque accipit reſponſum quo magis in peruerſitate erroris fit obſtinatꝰ. Et hoc in malū ſuum, in probationem vero ꝓuenit electorum. Vnde in Ezech. Qui poſuerit in munditias in corde ſuo & ſcādalū iniquitatis ſuæ cōtra faciē ſuā, & venerit ad

pro-

prophetã, interrogãs eũ per me. Ego dominus reſpõdebo ei in multitudine immũditiarũ ſuarũ, vt capiatur in corde ſuo.

Committentes ſe Deo quid conſequantur etiamſi cadant.

PEr verba etiam quibus canitur de ſancto Iohan. Haurit virus hic letale, intellexit quod ſicut virtus fidei ſeruauit illæſum Ioh. à veneno: ſic conſenſus voluntatis contra peccatorum renitentis cõſeruat animam immaculatã, quantũcunq; ſit venenoſum quod cordi ingeritur cõtra volũtatẽ. ¶ Per verſiculũ: Dignare domine die iſto, intellexit, quod in quocunque ſe homo commendat Deo, orans ipſum à peccato cuſtodiat etiam ſi occulto Dei iudicio homini videatur, quod grauiter delinquerit in aliquo, nunquam tamen ſic delinquet, niſi gratia Dei velut baculus ſuſtentet eum, quod ſemper facilius ad pœnitentiam redibit.

Benedicere Deum quid ſit.

CVm cantaretur Reſponſo. Benedicens, ipſa quaſi in perſona Noe aſtitit domino, expoſtulans benedictionem. Quam cum eſſet conſecuta, dominus vice

verſa ab ea videbatur benedictionem poſtulare. Per quod intellexit, qd' homo tunc benedicit domino, quando in cogitatione ſe dicit pœnitere, quod vnquam creatorē ſuum offendit, & eius auxilium expoſtulat vt de cætero peccata caueat, Ad quam benedictionem dominus cœlorum gratanter profunde inclinans, oſtendit eam intantū ſibi foreacceptam, ac ſi tota ſalus ipſius per illam perficeretur. ¶ Item per verbum illud: Vbi eſt Abel frater tuus? intellexit, quod dominus à quolibet religioſo requirit qlibet factum à pximo ſuo cōtra religionē, cuius cautelam ipſe aliquo modo puenire poſſet, ſiue ipſum ammonendo, ſiue prælatis ſuggerēdo. Et quod illa excuſatio qua quidam dicunt (mihi non eſt mandatum, vt alios corrigam. Inſuper: Ego ipſe ſum peior quam ille) tam parum prodeſt apud Deum, ſicut Cayn profuit, qui dixit: Nūquid cuſtos fratris mei ſum ego? Vnuſquiſque enim tenetur coram Deo fratrem ſuum à malis retrahere, & ad bonnm promouere. Et quandocunque contra conſcientiam hoc negligit, contra Deum delinquit. Nec prodeſt ei quod ſibi non commiſſum prætendit, quia veraciter à Deo hoc ſibi commiſſum eſt ſecundum quod ei conſcientia ſua oſtendit. Et ſi negligit,

hoc Deus ab anima eius requiret, quandoque etiam magis quàm ab anima prælati qui non adeſt, vel ſi forſan præſens eſt, non aduertit. Vnde ſcriptura comminatur, dicens: Væ facienti, væ væ conſentienti. Conſentiens culpam incurrit, qui diſsimulat, cum manifeſtando poſſet laudem Dei promouere.

Iuſtitiam propugnans propter religionem, Deum veſtit.

PEr Reſp. Induit me dominus, intellexit quòd ille qui laborat verbo vel facto ad promouendam religionem, & rationabiliter propugnando iuſtitiam, quaſi veſtit dominum veſtimento ſalutari, ſimul & ornatiſsimo: & dominus remunerabit eum in vita æterna ſecundũ liberalitatẽ ſuæ regalis munificentiæ, circundando eum veſtimentis lætitiæ, & pro augmento præmij corona gloriæ ſpiritualis decorabit. Sed ſingulariter intellexit, quòd ille qui promouens bona vel religionem, aduerſa patitur, tanto gratior eſt Deo: ſicut acceptius eſt pauperi veſtimentum, quo calefit ſimul & veſtitur. Et ſi nihil profecerit ille qui promouet religionem, impedientibus alijs, omnino tamen non minuitur merces illius coram Deo. ¶ Cùm cantaretur Reſponſ. Vocauit angelus domini, intelle-

xit quomodo agmina angelorum, quorum ſubſidia plenè ſufficere poſſunt, circundāt electos ad protegendum eos. Sed dominus paterna prouidentia quandoque ſuſpendit eandem protectionem, vt permittat electos in aliquo tentari. Vndè glorioſius remunerentur, quanto magis ſibi ſubtracta angelica cúſtodia & protectione Dei ſua quaſi virtute triumphant.

Angeli circundant electos ad protegendum eos.

Subtractio protectionis angelicæ cedit electis in cumulū remunerationis.

Obedientiæ meritum.

ITtem per conſequens Reſponſ. quo canitur: Vocauit angelus domini Abrahā, intellexit quia ſicut Abraham extento brachio ad obedientiam perficiendam, vocari meruit ab angelo: ſic electus cùm ad aliquod opus ſibi difficile propter Deū mentem flectit integram adiungendo voluntatem, ſtatim in inſtanti arridenti ſibi ſuauitate diuinæ gratiæ, teſtimonio propriæ cōſcientiæ meretur conſolari. Et hoc eſt donatiuum, quo incontinentiſsima liberalitas Dei præuenit æternam mercedem, quo vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. ¶ Cùm quadā vice reuolueret aduerſitates præteritorum temporum ſuorū, requiſiuit à domino, cur tunc illam permiſit à quibuſdam moleſtari, reſpondit dominus: Cùm paterna manus vult

vult filium corrigere, virga reſiſtere nõ valet. Vnde vellem quòd electi mei nunquam imputarent hominibus per quos purgantur, ſed ſemper reſpicerent meum paternũ affectum, qui nequaquam paterer vel tenuiſsimam auram contra eos flare, ſi nõ aſpicerem eorum ſalutem æternam, quàm recipient in remuneratione. Ideo compatientur illis, qui quandoq; pro ipſorũ purgatione maculantur.

Electi Deo permittẽte ad ſuam ipſorum ſalutẽ, quandoque ab hominibus affliguntur.

Oblationis modus quis ſit magis acceptus.

ALia vice dum propter difficultatem cuiuſdam operis diceret pro Deo patri: Domine, hoc opus offero tibi per vnicum filium tuũ in virtute ſpiritusſancti in laudem æternam: per intellectũ ſenſit virtutem verbi illius, quòd ſcilicet ad talẽ intentionem mirificè ſuper humanã æſtimationem nobilitaretur, & gratum ſit Deo patri quicquid offertur. Ad ſimilitudinem, ſicut viride apparet, quicquid per viride videtur. Et ruſum apparet, quicquid per ruſum videtur. Et ſic de cõſimilibus: Sic per omnia placidiſsimum & acceptiſsimum eſt Deo patri, quicquid per vnigenitum ſuum offertur.

Elegans ſimile.

Deſiderium non exauditum plus valet exaudito.

CVm in oratione ſua perquireret à domino, quid proficeret amicis ſuis, quòd totiens pro eis oraret, dum orationis nullum in eis videret profectum: hac ſimilitudine inſtructa eſt à domino: Dum paruulus reducitur ab imperatore ditatus immenſis prædijs poſſeſsionum, quis intuentium ſtatim in forma pueri illius donationis videt aliquem fructum, cùm tamen teſtes nòn lateat qualis & quantus ſit futurus ex conceſsis diuitijs? Ergo non mireris, quòd corporaliter non cernis fructum orationum tuarum, quem ego ſecundum æternam ſapientiam diſpono ad vtiliorem profectum. Et quãto ſæpius pro aliquo oratur, tanto magis beatificatur, quia nulla fidelis oratio manebit ſine fructu, quamuis homines eius lateat modus.

Simile.

Nulla fidelis oratio ſine fructu.

Cogitationes ornant animam.

SCire deſiderans quis fructus eſſet in eo quòd cogitationes diriguntur ad Deũ, taliter inſtructa eſt, quòd cùm homo meditando ſiue intendendo cogitationes ſuas in Deum dirigit, ante thronum gloriæ præſentat Deo quaſi ſpeculum miræ ſplendoris, in quo dominus ſuijpſius imaginem iucundiſsime ſpeculatur, quia ipſe immiſſor eſt & director omnium bonorum. Cùm ho

mo

mo propter impedimenta quandoque difficilius in talibus laborat: quanto grauius borat, tanto delectabilius ſpeculum illud in conſpectu ſemper venerandæ trinitatis, omniumque ſanctorum ornatum apparet. Et hoc manebit æternaliter in gloria Dei, & animæ ipſius perennem exultationem.

Impedimenta quare permittantur feſtiuis diebus.

IN feſto quodã, dum vitio capitis in cantu impediretur, requiſiuit à domino, cur ſæpius in feſtis ſineret hoc ei euenire. Et ſuper hoc tale accepit reſponſum: Ne forte per delectationem modulationis eleuata, gratiæ minus idonea inueniaris. Et illa: Gratia tua domine poſſet in me hunc caſum præcauere. Et dominus: Ad meliorem profectum cedit homini, quòd ſibi occaſio caſus tollitur per depreſsionem grauaminis: quia inde duplex illi meritum creſcit, ſcilicet patientiæ & humilitatis.

Patientia & humilitas creſcunt in grauaminibus.

Voluntatis bonæ effectus bonus.

AFfectu nimio ducta die quodã, cùm diceret ad dominum: O vtinã domine haberem talem ignẽ, quo anima mea ad ſimilitudinem liquidiſsimæ ſubſtantiæ lique-

queſieri poſſet, quo ſubtilius eam totam tibi infundere poſſem. Dominus reſpondit: Voluntas tua talis tibi ignis eſt. Ex quibus verbis intellexit, quòd homo per voluntatem ſuam plenum effectum habet omnium deſideriorum illorum, quæ ſpectant ad Deum.

Efficacia bonæ voluntatis

Tentationis bonus effectus.

CVm ſæpius niteretur à domino precibus obtinere extirpationem vitiorum tam in ſe quàm in alijs, frequenter videbatur ſibi, quòd plenius id impetrari nó poſſet, quàm vt pietas Dei relaxaret neceſsitatem illam, quæ fit ex peruerſa conſuetudine: ſcilicet vt tam facile faceret illam reſiſtere vitio, quaſi nihil accreuiſſet difficultatis ex conſuetudine, quæ dicitur altera natura. Nam & in hoc recognouit admirabile conſilium diuinæ pietatis ſuper ſalutem generis humani, qua vt amplius homini accreſcat cumulus glorificationis æternæ, permittit eum pluribus vitijs grauius impugnari, vt eo felicius de triumpho valeat exultare.

Abſque amore Dei nemo ſaluatur.

IN prædicatione quadam cùm audiſſet recitatum ſermonem illum, quòd nullus homi-

hominum ſaluaretur ſine amore Dei, quin ad minus aliquid de eo habere deberet, vt ex amore Dei pœniteret & abſtineret à peccato: ipſa reuoluit in corde ſuo, quòd multi migrarent à ſeculo, qui plus viderentur pœnitere timore gehennæ quàm Dei amore. Reſpondit dominus dicens: Cùm videro illos agonizantes qui mei vnquam ſunt dulciter recordati, vel qui aliquid meritorij operis peregerunt, in ipſo mortis confinio exhibeo me eis benigna pietate ita amabilé, quòd ex intimis medullis cordis pœnitet eos me vnquá offendiſſe, vnde & per talem pœnitentiam tunc ſaluantur. Ergo pro dignatione illa vellem ab electis meis glorificari, vt ſcilicet inter generalia beneficia etiam pro iſto mihi agerent gratias. *Gratiarum actio Deo grata.*

Amor complacentiam facit.

MEditando quandoque cognoſcere cœpit interiorem deformitatem ſuam, & in ea tantum ſibimetipſi diſplicere, quòd quaſi anxiè vacillans, cogitabat quomodo vnquam Deo placere poſſet, qui tot maculas in ipſa conſpiceret. Quia vbi ipſa vnam perpenderet, ibi penetrans oculus diuinitatis conſpiceret infinitas. Super quo tali reſponſo diuinitus eſt conſolata: Amor

facit

Amor facit placentiam, vnde intellexit quòd ſi in terrenis hominibus amor tantū præualet, quòd quandoque deformes propter dilectionem placent eis à quibus diliguntur, & etiam interdum tantum placēt, quòd amatores per vim dilectionis deſiderent ſimilari amatis: quomodo tunc diffidendum eſt de eo, qui Deus charitas eſt, quòd ex vi amoris non poſsit placitos facere quos amat?

Deſiderium diſſoluendi propter Deum, quid mereatur.

ITem cùm valdè deſideraret ſecundum Apoſtolum diſſolui & eſſe cum Chriſto, & ſuper hoc multos de profundo cordis emitteret gemitus ad Deūm: vice quadam hoc reſponſo eſt conſolata, quòd quotiens cum integro corde deſiderium ſuum tranſmitteret, pro eo quòd vellet abſolui de carcere mortis huius, & tamen inſuper voluntatem ſuam in hoc ſtabiliret, quòd in corpore manere vellet quàm diu Deo placeret, totiens filius Dei adderet totam ſanctiſsimam conuerſationem ſuam conuerſationi ipſius, & inde miro modo perfecta appareret in conſpectu Dei patris.

Gra-

Gratiarum actio quandoque non requiritur pro donis datis.

REuoluens die quadam diuerſitatem multiplicium gratiarũ, ſibi ex largiflua Dei pietate infuſarum, miſeram ſe ac omni bono indignam reputauit pro eo, quòd tam innumerabilia dona à Deo accepta adeo negligenter deperdidiſſet, quòd nullum omnino fructum ex eis videretur reportaſſe, nec in ſeipſa perfruitionem ſeu per gratiarum actioné, nec in alijs, quibus ſi notum fuiſſet, poſſet ædificationis extitiſſe cauſa, vel diuinæ cognitionis promotio. Vnde & ſuper hoc tali eſt intellectu conſolata: Quia dominus quandoque tali modo non diffundit electis dona gratiarum, quod exigat à ſingulis dignos fructus reportare, cùm humana fragilitas hoc ſæpè impediat, ſed cùm ſupereffluens Dei largitas ſe continere nó poſsit, quamuis hominem ſciat in ſingulis non poſſe ex exerceri, tamen aſsiduè ſuperauget cumulum gratiarum, vt vel ſic appropriet homini cumulum beatitudinis in futuro. Sicut ſolet fieri per hæc terrena, quæ quandoq; conceduntur pãruulo, qui nullã inde ſcit ſperare vtilitaté, & poſtmodum adultus bonis abundet: Sic dominus cum electis ſuis confert gratiam in hac vita eis præparat

& ap-

& appropriat, de quorum æterna fruitione beatificabuntur in cælis.

Deſideria velle habere, quàm placitum ſit Deo.

VIce quadã dum querularetur in corde ſuo, quòd tantum deſiderium habere non poſſet quantum expediret ad laudem Dei, diuinitus edocta eſt, quòd Deo peroptime ſufficit in homine cùm plus habere non poteſt, quod cum volũntate habe ret, magnum deſiderium & quàm magnũ vellet habere, tam magnum habet coram Deo: Et quando cor continet tale deſiderium, ſcilicet voluntatem habendi deſiderium in hoc Deus magis delectatur habitare, quàm vnquam homo habitare poſſet in floribus vernalis amœnitatis. ¶ Corporali impediente infirmitate, dum vice quadam ſegnius Deo intendiſſet, tandem rediens ad ſe prægrauata cõſcientia humili deuotione hunc ſuum defectum ſtuduit domino confiteri. Et cùm timeret ſe per longam moram laboraturam, antequam ſuauitatem diuinæ gratiæ recuperaret, ſubito in inſtanti perſenſit ad ſe benignitatem Dei per blandiſsimum amplexum acclinatam & dicentem: Filia tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt. In quibus verbis intelle-

Sanctorũ deſideriorum ingens fructus.

tellexit, quòd quamuis homo quandoque ex humana fragilitate intentionem ſuam negligit ad Deum dirigere, pia tamen miſericordia Dei non negligit omnia opera noſtra æterna remuneratione reputare digna, ſi ſolummodo voluntas non auertatur à Deo, & homo frequentius pœniteat ab omnibus quæ cõſcientia remordet. ¶ Cùm ante feſtum quoddam ſentiret infirmitatem, deſiderauit à domino, vt eam vſque poſt feſtum ſanam ſeruaret, vel ſaltem infirmitatem ſic temperaret, ne à celebritate ipſius feſti impediretur, ſed tamen inſuper ſe totam diuini voluntati commiſit. Super quo à domino tale accepit reſponſum: Per hoc quod à me iſta quæris, & inſuper voluntati meæ committis: ducis me ad hortũ delitiarum areolis florum conſitum & mihi valdè amœnum. Sed ſcias, quòd ſi te exaudiero in hoc quod non impedieris à meo ſeruitio: tunc ego te ſequor ad areolam in qua tu magis delectaris. Si verò te non exaudiero, & tu in patientia perſeueraueris. tunc tu ſequeris me ad areolam in qua ego magis delector, quia plus amœnitatis inuenio in te, ſi habueris deſiderium cum grauamine, quàm ſi habueris cum delectatione deuotionem.

Pietas Dei erga homines bonæ voluntatis.

Deſiderium cum grauamine Deo gratias quã deuotio cum delectatione.

Dele-

Delectatio ſenſualis euacuat diuinam.

PErtractans aliquando, quo iudicio aliqui tanta ſpiritus pinguedine in ſeruitio Dei abundarent, alijs tam aridis remanentibus, hunc à Deo accepit intellectum: Quòd cor à Deo creatũ eſt ad continendas delectationes, ſicut vas quod cõtinet aquã. Si verò vas continens aquam eam emitteret per minuta foramina, vas tandem euacuari poſſet, intantum quòd etiam vas ſiccum remaneret: Sic cor humanum continens delectationem ſi eam emittit per ſenſus corporis, videndo ſcilicet & audiendo, vel etiam per alios ſenſus corporis perficiendo quæ libent, tantũ emittere poteſt, quod cor vacuum remanebit ad delectandum in Deo. Vnde & hoc quilibet in ſe poterit experiri. Cùm libuerit videre vel loqui verbum vnum, in quo paruus vel nullus eſt profectus, ſi hoc ſtatim perficit, pro nihilo reputat, quia ſicut aqua perfluit. Si verò propter Deum continere proponit, tantum creſcit in corde quod vix ſuperare præualet. Vnde cùm in talibus didicerit homo ſe ſuperare, aſſueſcit in Deo delectari, & quanto grauiori labore hoc perfecerit, tanto fructuoſius in Deo incipit delectari. ¶ In ſemetipſa de quadam re

Elegans ſimile.

Quanto quis ab inutilibus delectationibus ſe cõtinet, tanto magis in Deo delectari aſſueſcit.

re parua intolerabiliter grauata, talem ſuam deſolationem ad eleuationem hoſtiæ obtulit Deo in laudem æternam. Vnde dominus videbatur animam eius per hoſtiam illam ſacroſanctam attrahere ſibi quaſi per quendam cancellum & ſuper dominicum pectus ſuum ſuauiter reclinare, & blandè alloqui his verbis: Ecce in hoc reclinatorio reſpirabis ab omni moleſtia, ſed quotiens declinaueris, amaritudo cordis te rurſum appræhendet pro antidoto ſalutari.

Modus offerendi Deo noſtra grauamina.

Blanditur Deus animæ.

DVm ex defectu virium fatigata, quadam vice diceret ad dominum: Quid domine mi de me fieri debet, vel quid proponis facere mecum? dominus reſpondit: Sicut mater conſolatur filios ſuos, & ego conſolabor te. Et adiecit dominus: Num vidiſti aliquã matrem blandientẽ filio ſuo? Ad quod cùm illa reticeret, hoc non recordans, Dominus propoſuit illi quód pene ante dimidiũ annum viderat matrẽ quandam blandientem paruulo ſuo, & quaſi trium commonefecit eam, quę tunc videndo non aduerterat. Primo quód mater ſæpius oſculum à paruulo poſtulauit. Ad quod paruulus propter teneritudinem mem-

,, membrorum ſurgere eſt conatus. Subiun-
,, gens, quòd ſic eam cum magno labore o-
,, porteret eleuari per contemplationem ad
,, fruitionem ſui ſuauiſsimi amoris. Secun-
do, quòd mater tentauit paruuli volunta-
tem, dicens: Vis hoc & vis illud, & neutrũ
,, perfecit: Sic Deus tentat hominem quan-
,, doque immittens ſibi grauamina præuide-
,, re, quæ nunquam imminent: & tamen ex
,, hoc quòd homo ex voluntate conſentit,
,, Deo optime ſufficit, & facit eum dignum
æterna remuneratione. Tertio, quòd om-
nium præſentium nullus intellexit loque-
lam pueri nondum verba formare valẽtis,
excepta ſola genitrice: Sic ſolus Deus in-
,, telligit intentionem hominis & ſecundum
,, hanc ipſum iudicat, longè aliter quàm ho-
,, mines, qui tantummodo reſpiciunt exteri-
ora. ¶ Vice quadam dum memoria præ-
teritorum peccatorum in tantũ eam deie-
ciſſet, quòd latere omnino fatagebat, domi
nus cum tanta dignatione ſe illi inclinauit,
quòd tota cæleſtis curia eum renouare ni-
tebatur, quaſi cum admiratione. Ad quod
dominus reſpondit: Nullo modo poſſum
me continere, quin ſequar eam, quæ tam
efficacibus humilitatis tractibus cor me-
um diuinum intrahit ſibi.

Nota de patientia.

REquirens à domino, quid ſibi placeret cui illa hora intendere deberet. Dominus reſpondit: Volo vt addiſcas patientiam. Erat enim pro aliqua cauſa valde turbata. Ad quod illa: Et quomodo aut per quid addiſcere poſſem? Tunc dominus aſſumens eam ad ſe, ſicut benignus magiſter tenellum diſcipulũ ſuum in ſinu ſuo, quaſi per tres literas propoſuit ſibi tria quæ ipſam ad patientiã deberent animare, dicens: Ad primum perpende, quanta familiaritate noteturà rege, qui ſibi in omnibus præ alijs maxime aſsimilatur. Et inde æſtima, quantum affectus meus creſcat erga te, ex eo quòd propter me ſimilem mihi contumeliam pateris. Ad ſecundum verò dixit: Item perpende, quid familiariſsimus regis & in omnibus ſibi ſimilimus reuerentiæ obtineat à familia. Et inde æſtima, quid tibi gloriæ in cælis pro patientia præparetur. Ad tertium autem dixit: Conſidera, quid amico conferat ſolãtij fideliſsimi amici blandiens compaſsio, & inde æſtima, quàm ſuauiſsima blanditate egoipſe te ſim leniturus in cælo pro minimis etiam cogitationibus quæ te hic grauant.

Qui patiẽtes ſunt, ſimiles ſunt Chriſto.

De proceſsione, & placatione patris cum imagine Crucis.

CAPVT XXXI.

CVm proceſsio illa fieret, quæ ſtatuta fuit pro neceſsitate tempeſtatis, & reuertente conuentu in choro imago crucifixi præferretur, intellexit ex eadem imagine filium Dei dicentem: Ecce cùm exercitu meo aduenio ſupplicaturus tibi Deo patri in ea forma, qua omnem humanam creaturam reconciliaui. Quibus verbis perſenſit patrem cęleſtem tam benigniſſima placabilitate ſerenatum, ac ſi omnis humana culpa centupliciter ſupra condignumq́ ſibi eſſet emendata. Vnde etiam videbatur Deus pater imaginem crucis prædictæ in nubibus exaltare, cum his verbis: Hoc erit ſignum fœderis inter me & terram. ¶ Item alia vice dum auræ intemperies populum nimis affligeret, & ipſa cum alijs ſæpius ſuper hoc miſericordiã Dei inuocaret, nec aliquem ſentiret effectum: tandem dixit ad dominum: Et quomodo benigniſsime amator tam diu protrahere potes plurimorum deſideria, cùm ego quamuis indigna de tua pietate intantum confiſa ſim, quòd ſola miſericordiam tuam inflectere poſſem ad maiora? Et dominus:

Non eſſet mirandum, quòd pater permitteret filium à ſe petere nummũ, ſi totiens haberet filio reponere centum marcas: Sic nõ mireris, quod protraho in hac cauſa vos exaudire, quia quotiens pro ea me inuocatis, etiam minimis verbis vel cogitationibus, totiens de æternis bonis vobis longe ſupra centum marcas repono. *Deſiderium non exauditum plus valet exaudita.*

De frequenti deſiderio bono & moleſtia ſomniorum exprobatioeque hoſtis.

CAPVT XXXII.

IN miſſa pro defunctis dum cantaretur tractus Sicut ceruí. Et iſta in illo verbo: Sitiens anima mea, excitaret tepeditatem ſuam, dixit ad dominũ: Heu domine quòd tam tepida ſunt deſideria mea ad te verum bonum meum, vnde tam raro cõuenit mihi dicere tibi: Sitiuit anima mea ad te. Et dominus: Non raro ſed frequentius dicas mihi quòd me ſitiat anima tua, quia pietas amoris, qua humanam diligo ſaluté, compellit me vt quæcunque bona deſideret electus, ſemper reputem illũ me deſideraſſe, cùm in me lateat & ex me profluat omne bonum: Verbi gratia: Si homo deſiderat ſanitatem, ſecuritatem, commodum, ſa- *Pietas Chriſti in ſuſcipiendu electorũ deſiderÿs.*

pientiam & ſimilia, vt magis queam cumulare meritum retributionis, frequenter reputo eum deſideraſſe me. Excepto ſi deliberatiuè declinaret à me, vt ſcilicet ita deſideraret ſapientiam habere, vt inde poſsit ſuperbire: ſiue ſanitatem, vt malum perficere poſſet. Et adiecit dominus: Vnde ſpeciales meos valdè ſæpe ſoleo aggrauare infirmitate corporis, & deſolatione mentis & ſimilibus, vt dum deſiderant contraria bona obtinere, zelans amor cordis mei valeat eos ſecundum beneplacitum liberalitatis meæ copioſus remunerare. ¶ Simile huic etiam alia vice diuinitus inſpirata dixit. Intellexit, ſcilicet quod dominus cuius deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum, quandoque cùm nihil inueniat in homine quo placita ſibi dignatione eum adeſſe deceat, etiã tribulationes, ſiue moleſtias tam corporales quàm ſpirituales immittat, vt inde habeat opportunitatem manendi cum ipſo, quia veritatis ſcriptura dicit: Iuxta eſt dominus his, qui tribulato ſunt corde. Item: Cum ipſo ſum in tribulatione. Super horũ ſimiliumq; conſideratione diligens gratitudo humanæ exiguitatis totis præcordiorum affectibus clamare compellitur illud Apoſtoli: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incompræhenſibiles ſunt

Cur Chriſtus electis ſuis ſæpius immittat grauamina.

Chriſti deliciæ eſſe cum filijs hominũ.

ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius, quas inuenit pro ſalute generis humani? ¶ Nocte quadam ſopori dedita per ſomnũ à domino ſuauius viſitabatur, in tantum, quòd ex conſortio præſentiæ domini velut delicatoribus epulis ſibi referta videretur. Vnde euigilans domino grates perſoluit, dicens: Quid domine Deus, ego indigniſſima præ alijs merui qui ſæpius per ſomnia intantũ grauantur, quod etiam per clamores cæteris quandoq; incutiunt terrorem? Ad quod dominus reſpõdit: Quos mea paterna prouidentia diſponit per tolerantias ſanctificare, ſi vigilãtes corpori ſuo ſtudẽt commoda procurare, vnde ſe occaſionibus meritorum priuant: ego illis ex diuina pietate per ſomnia ingero grauamen, vt ſaltẽ ſic aliqua mereantur. Et illa: Num domine illis hoc poterit proficere ad meritũ, quòd ſine intentione & quaſi contra voluntatem patiuntur? Tunc dominus: Benignitas mea hoc perficit. Nam vt in ſecularibus videtur quidam ſe nitro ac cupro componentes ornati cernuntur, ſed qui auro & gemmis redimuntur, multo ditiores reputantur. Similiter etiam in illis fit.

Dæmones inſidiantur nobis maxime in orationibus.

HOras canonicas dum vice quadam legendo minus intẽtè perſolueret, adeſſe ſibi nouit humani generis antiquũ hoſtem, qui quaſi inſultando proſecutus eſt conſequẽtia pſalmi: Mirabilia teſtimo.&c. ſingula velut pro feſtinatione ſyncopãdo: & cùm compleſſet verſiculum, addidit: Benè expendit creator tuus, ſaluator tuus & amator, quod dedit tibi tam expeditam loquelam, quod tam decenter præuales facere ſermonem, quæcunque volueris, cùm ſibi loquendo tam abruptè proferas, quod iam in pſalmo iſto tot literas, tot ſyllabas & tot verba ſubtraxeris. Vnde intellexit, quòd ſi callidus hoſtis in pſalmo illo tam ſubtiliter numerauerat ſigillatim literas & ſyllabas, poſt mortem magnam accuſationem afferre poteſt aduerſus eos, qui feſtinanter & ſine intentione horas dicere conſueuerunt. ¶ Item dum fuſando feſtinans, paruos pilos lanæ proijceret à ſe, & inter hæc opus ſuum deuota intentione Deo commendaret: vidit dæmonem ipſos pilos recolligentem, quaſi in teſtimonium culpæ ipſius. Super quo dum dominum inuocaret, ipſe dæmonem expellens increpauit quòd operi ſibi in principio commiſſo ſe ingerere præſumpſiſſet.

Horæ deuote dicenda.

De fideli exauditione orationum noſtrarum.

CAPVT XXXIII.

MAiori quadam vice erga dominum æſtuans deſiderio dixit ad dominũ: Eia domine mi poſſum nunc orare? Cui benigniſsimus dominus reſpõdit blande: Ita domina regina, tu optime poteſt mihi imperare, quia voluntati tuę ac deſiderio in omnibus promptius obtemperabo, quàm vnquam miniſter aliquis dominæ ſuæ poſsit miniſtrare. Et iſta: Saluũ per omnia verbũ pijſsimæ dignationis tuę benigniſsime Deus. Attamen cùm tam promptum exhibere digneris te mihi indigniſsimæ, cur quæſo toties effectu caret oratio mea? Reſpondit dominus: Cùm regina dicit miniſtro ſuo, porrige mihi filum quod dependet retrorſum ſuper ſiniſtrã ſcapulam meam, putans ita eſſe cùm non poſsit retro ſe reſpicere, & ille quærens quod iuſſus eſt, cùm videt filum non ſuper ſiniſtram ſed ſuper dexterã dependere, tollit profecto quod comperit & porrigit dominæ ſuæ, conſultius exiſtimans hoc quàm vt extraheret filum vnum de tunica ſua ex parte ſiniſtra, vt ſic præceptum adimpleret. Similiter ego qui ſum ſapientia inſcrutabilis, ſi quandoque non exaudio

Eligans ſimile.

Deſideria noſtra quando non exaudiũtur, ad meliora diſponũtur à Deo.

audio preces tuas ad vota, proculdubio ſemper pro eis diſpono vtiliora, cùm tu humana fragilitate impedita non poſsis diſcernere meliora.

Quomodo dominus ac ſancti nos præparant ad communionem.

CAPVT XXXIIII.

CHriſti corpus ſumptura vice quadam dum ſe nimis imparatam doleret, orauit beatam virginem & omnes ſanctos, vt domino pro ſe offerrent omnem dignitatem, qua quilibet ipſorum paratus fuiſſet ad quamlibet gratiam recipiendam. Orauit inſuper dominum Ieſum Chriſtum, vt ipſe pro ea offerre dignaretur perfectionē illam qua in hora aſcenſionis paratus aſtitit Deo patri ad ſuſcipiendam glorificationem. Et poſt paululum dum inueſtigare niteretur quid per hanc orationem lucrata eſſet. Dominus reſpondit: Hoc lucrata es, quòd iam verè omnibus cælicolis appares in eo ornatu quem tibi petiſti. Et adiecit dominus: Quare diffidere velles de me omnipotenti & benigniſsimo Deo, quod perficere poteſt quilibet homo in terris, vt ſcilicet habent veſtimentum vel ornatum illo vel ſimili ſibi induere poſsit ami-

Benignitas Chriſti.

amicum ſuum, & inde præſtare vt amicus ſuus appareat glorioſus eodem ornatu quo ipſe fulgebat.

Communicans pro alio quid illi proſit.

DEinde cùm recoleret quod aliquibus deuouerat ſe ipſo die pro ipſis communicaturã, & deuotè oraret, vt dominus etiam ipſis iam dictum donum impertiretur, tale accepit reſponſum: Ego illud do eis, ſed libero arbitrio eorum committo, quando ipſo velint exornari. Cumque requireret quo ſtudio vellet eos exornari, dominus ſubintulit: Qualicunque hora poſt hæc purum cor & integram voluntatem ad me vertentes gratiam meam, etiam minimo verbo vel gemitu inuocãt, ſtatim mihi apparebunt in ornatu eodem, quem eis in orationibus tuis impetraſti. *Quàm promptus ſit Deus ad benefaciendum.*

De effectu corporis domini.

CAPVT XXXV.

ORans etiam dominum, vt in tempore obitus ſui prẹſtaret ſibi, vt vltimus cibus ſuus fieret viuificum ſacramentũ corporis Chriſti, hoc in ſpiritu accepit reſponſum, quòd in hoc non per omnia ſalubriter petiſſet. Effectus igitur ſacramẽti illius nul-

la corporali neceſsitate poteſt minui, ergo multo minus ex cibo illo quem in tam pœnali neceſsitate ſumit æger contra placitũ ſuum, tantummodo ad ſuſtentandũ vitam ſuam ad laudem Dei. Vnde ex perceptione ſacramenti illius per vnionem qua homo Deo vnitur, omnia bona ipſius nobilitantur. Sic etiam magis in illo tempore obitus cuiuslibet poſt ſuſceptionem ſacramenti, omnia quæ facit per puram intentionẽ meritoria fieri poſſunt, vt eſt patientia, cibus, potus, & ſimilia per vnionem corporis Chriſti creſcunt, in æternalem cumulum meritorum.

De vtilitate ſæpius communicandi.

CAPVT XXXVI.

ALiã etiam vice communicatura, dixit ad dominum: O domine, quid mihi daturus es? Dominus reſpondit: Meipſum totum cum omni diuina mea virtute: ſicut virginea mater mea me ſuſcepit. Tunc iſta: Quid inde amplius habebo præ illis, qui heſterna die te mecum ſuſceperunt, & hodie omittunt, cùm te totum des ſemper. Ad quod dominus: Si apud ſeculares qui bis conſulatum obtinuiſſet, in honore præcederet illum qui ſemel accepiſſet, quomodo non

A ſimili declarat vtilitatẽ ſæpius communicandi.

non multo maiori gloria excelleret in ęterna vita, qui ſæpius ſuſcepit me in terris: Tunc iſta ingemiſcens dicebat: O quanta gloria tunc me præcedens ſacerdotes, qui ex officio quotidie communicant? Et dominus: Gloria quidem magna fulgèbunt qui dignè accedunt: ſed tamen longe aliter ſentitur affectio delectàtis quâm gloria apparentis. Vnde eſt alia remuneratio his qui ex deſiderio & amore accedunt. Alia verò illis, qui cum timore & reuerentia ſumunt. Atque alia etiam illis, qui cum ſtudio exercitationum ad ſumendum præparantur. Quarum neutram recipiet ille qui ex vſu celebrat.

Quomodo dominus emendauit negligentias animæ.

CAPVT XXXVII.

IN feſto quodam B. virginis, dùm poſt ſuſcepta ſpecialia & mirifica dona ad ſe rediret, atque ingratitudinem & negligentiam ſuam conſiderans cum dilectione ſpiritus in animo reuolueret, quod vt ſibi videbatur tàm parum reuerentiæ matri domini exhibuiſſet, ſimulque cæteris ſanctis Dei, quos tamen pro ſuſcepto ſpeciali dono merito magis ipſo die glorifi-

caſſet: Dominus ſolita benignitate ipſam demulcens, ait matri ſuæ beatiſsimæ, cæteriſque ſanctis: Num videtur vobis me ſatis pro iſta emendaſſe vobis, cùm meipſum in meæ diuinitatis ſuauiflua delectatione cõmunicauero ipſi in præſentia veſtri? Ad quod illi reſponderunt: Verè longe ſupra condignum emendatum eſt nobis. Tunc dominus blandè conuerſus ad animam, dixit: Sufficitne tibi illa emendatio? Et illa: Optime mi domine ſufficeret mihi, ſi hoc vnum nòn deeſſet, quòd cùm emendaueris præteritas negligẽtias, ego ſtatim eo ſuperperaddere futuras, cùm non ignorem pronitatem meam ad lapſum. Cui dominus: Ego tali modo me tibi dabo, quòd non ſolùm præteritas, verumetiam futuras negligentias pro te plenè emendabo, tu autem tantummodo ſtude, vt poſt ſuſceptum ſacramentum à maculis peccatorum te conſerues illæſam. Et cùm iſta diceret: Heu domine, timeo quòd hoc ipſum non perficiã ſicut deceret. Vnde rogo, doceas me magiſtrorum benigniſsime, quomodo maculas abſtergere poſsim cùm contraxero. Dominus reſpondit: Nunquam per tempus ſinas eas durare in te, ſed cùm primo cognoſcis te maculatam, ſtatim deuoto corde dic verſum: ¶ Miſerere mei Deus, vel illum: O

Quomodo maculæ peccatorum ſint abſtergendæ.

O vnica ſalus mea Chriſte Ieſu, da vt per ſaluberrimam mortem tuam deleantur omnia mea delicta. Hinc accedēs dum ſumpſiſſet corpus Chriſti, recognouit animam ſuam velut cryſtallum niueo ſplendore perlucidam, & ſuſceptam in ſe Chriſti diuinitatem tanquam aurum miraculoſe incluſam, per cryſtallum ſplendere: quæ in ſeipſa tam mirabiles & ſupra quam æſtimari poteſt, delectabiles exercitabat operationes, quæ ſic venerandæ Trinitati omnibusque ſanctis tam amœnas exhibebat delitias, quòd iſta intellexit hoc eſſe quod legitur: Quia omnis ſpiritualis deperditio poſsit per dignam ſuſceptionem corporis Chriſti recuperari. Nam tam excellenter iucunda videbatur illa diuinitatis operatio, quòd tota cæleſtis curia viſa eſt atteſtari delitias ſuas eſſe, aſpicere animam in qua hæc operabantur. Quod etiam ſupra ſcriptum eſt dominum promiſiſſe, quòd futuras negligentias ipſius vellet emendare, ita intelligendum eſt. Quia ſicut per cryſtallum tam ex vna parte quàm ex altera parte apparet quod incluſum eſt, ſic per iſtam animam apparet iam dicta operatio diuina, tam illa intendente ſtudio bonorum operum quàm non intendente ex humana fragilitate, excepto dum peccatorum ne-

Digna ſuſceptio corporis Chriſti quàm efficax.

bulis obſcuratur, quia hoc ſolum impedit in anima hanc ſaluberrimam & verè digniſſimam operationem.

De effectu reſpectus diuini, & ſpirituali communicatione.

CAPVT XXXVIII.

HAbere ſolet hæc ſponſa deuotionem & deſiderium frequens ſuſcipiendi corpus Chriſti, & dum ſe vice quadam deuotius quàm præcedētibus diebus ad communionem præparaſſet, & nocte dominica tantum virium ſentiret defectum, quod videbatur ſibi non poſſe communicare, more ſibi ſolito cōſuluit dominum quid ſibi magis complaceret faciendum. Cui dominus benigne reſpondit: Sicut ſponſus diuerſis epulis ſatiatus plus delectatur quiete pauſare cum ſponſa quàm cū ea ſedere ad menſam: Sic ego delector hac vice vt propter diſcretionem omittas communionē quàm vt accedas. Ad quod illa: Et vnde amātiſſime domine mi, aſſerere dignaris te modo ſatiātum eſſe? Reſpondit dominus: Ex ſingulis continentijs verborū omniumq; ſenſuum tuorum. Nec non etiā ex quibuslibet deſiderijs, orationibus, & volūtatibus tuis, quibus intendiſti te ad ſuſceptionem ſacra-

Sancta deſideria & orationes noſtræ quantoperè Deo placeāt.

cratiſsimi corporis & ſanguinis mei preparando, fateor me velut exquiſitiſsimis diuerſarum epularum ferculis optime ſatiatum. Dum vero veniſſet ad miſſam debilis multum, & ad ſpiritualem communionem anhelaret, accidit vt rediret ſacerdos de villa, qui detulerat infirmo cuidam corpus Chriſti, quod iſta pulſu cãpanæ intelligens vehementi ſuccenſa deſiderio dixit ad dominũ: O quam libentiſsime te nunc o vita animæ meæ ſaltem ſpiritualiter ſuſciperem ſi tempus habuiſſem aliqualiter me preparandi. Cui dominus reſpondit: Reſpectꝰ diuinæ pietatis meæ te decentiſsime preparabit. Quo facto videbatur dominus reſpectum ſuum tanquã ſolares radios in animã illius dirigere dicens: Firmabo ſuper te oculos meos. In quibus verbis iſta intellexit triplicem effectũ quem reſpectus operatur in anima ad ſimilitudinem ſolis, & etiam triplicem modum quo ad illum obtinendum anima debeat preparari. Primo enim reſpectus diuinæ pietatis, ad inſtar ſolis cãdidam reddit animam & ab omnibus maculis purgatam, velut ſuper niuem dealbatam. Et ille effectus acquiritur per humilem propriorum defectuum recognitionẽ. Secũdo reſpectus diuinæ pietatis, mollificat animã & coaptat ad ſuſcipienda do-

na

dona ſpiritualia, quemadmodum cera molſ
litur à calore ſolis & aptatur ad imprimen
dum cuilibet ſigillo. Et hunc effectum ob-
tinet anima per deuotam intentionẽ. Ter,
tio reſpectus diuinæ pietatis fœcundat ani
mam vario flore virtutum, ſicut ſol fructi-
feram efficit terram, ad producendum di-
uerſorum generum fructus. Et hic effectus
obtinetur per fidelem confidentiam, qua
ſe homo totum Deo committens, fideliter
confidit de ſupereffluentia pietatis eius,
quod omnia tam aduerſa quam proſpera
ſibi cooperentur in bonum. Hinc ad vtraſ-
que miſſas dum conuentus comunicaret,
exhibuit ſe dominus tanta dignatione ad-
eſſe, quod videbatur ſingulis manu ſua ve-
neranda hoſtiam porrigere ſalutarem, ſa-
cerdote tamen quaſlibet hoſtias ſigno cru-
cis conſignante: Dominus autem Ieſus de
qualibet hoſtia quam alicui porrigebat, vi-
debatur huic effectiuam valde donare be-
nedictionem. At illa de hoc admirans ait:
Nunquid domine maiorem effectum ha-
bent quæ te iam ſacramentaliter ſuſcepe-
rũt aut ego que tot diuinis benedictionib⁹
tuis gratuite ſum preuenta? Reſpondit do-
minus: Nunquid ditior reputatur ille qui
gemmis & monilibus decoratur, ſiue ille
qui aurum obriſum multum in abſcondi-
to ha-

to habet reconditum. In quibus verbis domini dabatur intelligi, quod quamuis ille qui ſacramentaliter comunicat indubitanter effectum ſalutis conſequitur copioſum tam in corpore quam in anima ſecundum fidem eccleſiæ. Ille tamen qui pure ad laudem Dei ex virtute obedientiæ ſimul & diſcretionis omittit ſacramentaliter corpꝰ Chriſti ſuſcipere, & deſiderio ac amore Dei inflammatus ſpiritualiter communicat, talem meretur diuinæ dignationis benedictionem accipere, qualem ipſa tunc accepit, multo effectuoſiorem fructum cõſequitur apud Deum. Licet hoc humanũ lateat intellectum.

De vtilitate memoriæ paſsionis Chriſti.

CAPVT XXXIX.

RESpectu indignitatis ſuæ, dum quadam vice quaſi deficientibus viribus meritorum, in via qua in ſpiritu ad dominum properabat, decumbereret Dominus benigniſsima pietate ſua acclinatus ad eã dixit: Ex iure legis matrimonialis decet vt vbicunque regina decubuerit, rex ad eam viſendam properet. Per quæ verba intellexit, quod dominus ex pietate ſua videtur ſibi

ſibi tantum teneri animæ quæ paſsionis ſuæ memoriam cum deuotione pro modulo ſuo frequentat quantum rex tenetur reginæ lege matrimoniali. Nam cognouit ſe illam dignantiſsimam domini viſitationē proinde meruiſſe, quod in feria ſexta ſtudebat recolere dominicam paſsionem. Et intellexit quod quicunque tepeſceret in deuotione, ſemper tamen benignius reſpiceretur à domino, ſi paſsionis memoriam nō omitteret celebrare.

Quomodo filius Dei placat Deum patrem.

CAPVT. XL.

VIce alia dum eligere conaretur quid inter diuerſa quæ ſibi dominus largiflua pietate ex donis ſuis dignatus eſt impartiri, vtiliſsimū eſſet hominibus manifeſtari ad ſuum profectum: dominus ingerens ſe cogitationibus ac deſiderijs ipſius tale dedit reſponſum: Valde vtile eſt hominibus notificari quod vtiliſsimum foret eis ſemper memorari hoc ſcilicet, quod ego virginis filius pro ſalute generis humani aſto ante Deum patrem, & quandocunque ipſi ex humana fragilitate delinqunt corde ſuo: ego immacula-

latum cor meum pro ipſis Deo patri offero in emendationem. Cum vero delinquunt operè, ego perforatas manus meas exhibeo, & ſic in ſimilib. in quibuſcunque deliquerint, ſtatim innocentia mea placat Deum patrem, vt pœnitentes ſemper ſacilem obtineant indulgentiam Vnde vellem vt electi mei quotieſcunque petitam indulgentiam peccatorum obtinuerint, ſemper mihi agerent pro, eo quod eis tam facilem obtentum impetraui.

Gratiæ cur & quando Deo potiſſimũ agendæ

De reſpectu crucifixi.

CAPVT XLI.

FEria ſexta quadam cum dies iam declinaret ad veſperum, iſta reſpiciens imaginem crucifixi inde compuncta dixit ad dominum: Eia dulciſsime creator meus & amator, quanta & qualia tu pro ſalute mea hodie pertuliſti, quod ego in fideliſsima heu vilipendens ſic diem iſtum alijs occupata preterivi, quod hac die cum deuotione ad memoriam non reuocaui, quid tu æterna ſalus pro me ſis paſſus ſingulis horis, & tu vita viuificans omnia amore amoris mei ſis mortuus Ad quod dominus de cruce illi reſpõdit: quod tu neglexiſti hoc ego pro te ſup-

ſuppleui. Nam ſingulis horis ego collegi in cor meum quod tu debuiſti recoluiſſe in corde tuo, & exinde tam nimia plenitudine intumuit cor meum, quod cum magno deſiderio expectaui horam iſtam vt mihi fieret hæc intentio de te. Et cum illa iam offerre volo Deo patri meo totum quod ego per diem pro te ſuppleui, quia ſine tua intentione non poſſet tibi tam ſalutiferum eſſe. In hoc igitur notari poteſt fideliſsimus amor Dei erga hominem, qui per illam ſolam intentionem qua homo cogitat ſibi eſſe moleſtum quod neglexit, emendat Deo patri & ſupplet omnem defectum eius altiſsimo modo pro quo iure laudetq́ eũ omnis homo. ¶ Item cum tractaret imaginem crucifixi cum deuota intentione, intellexit quod ſi quis inſpicit imaginem crucis Chriſti cum deuota intentione, ille tã benigna miſericordia reſpicitùr à domino, quod anima ipſius tanquam lucidum ſpeculum ſuſcipit in ſe ex diuino amòre valde delectabilem imaginem, vnde tota cœleſtis curia delectatur in eo Et hoc erit illi æterna gloria in futuro quotieſcunque fecerit hoc in terris.

Reſpicere deuote imaginẽ crucifixi quã frugiferum.

Imago Chriſti inſpecta quid conferat.

Alia vice hanc percepit inſtructionē quod cum homo dirigit ſe ad crucifixum æſtimet in corde ſuo dominum Ieſum blanda ſibi voce dicentem: Ecce quomodo cauſa tui amoris pependi in cruce nudus & deſpectus, & toto corpore vulneratus, nec non per ſingula membra diſtentus. Et iam tali dulcore charitatis afficitur cor meum erga te, quod ſi ſaluti tuæ expediret & aliter ſaluari non poſſes, iam pro te ſolo vellem omnia tolerare, quæ vnquam æſtimare poſſes me toleraſſe pro toto mundo. Vnde per talem meditationem excitet homo cor ſuum ad gratitudinem quia veraciter nunquam prouidentia Dei contigit aliquem crucifixum videre. Ergo ſine culpa eſſe non poteſt, quod Chriſtianus tā ſumptuoſum ſalutis ſuæ precium quaſi ingratus vilipendit, quia nunquam eſt ſine fructu, quod quis intentione inſpicit Crucifixum. ¶ Item alia vice circa paſsionem dominicam mentem gerens occupatam, intellexit quod quando aliquis ruminat orationes vel lectiones de dominica paſsione, in infinitum hoc maioris virtutis eſſe, quā de cæteris exercitijs. Quia ſicut impoſſibile eſt aliquem tractare farinam & in puluerem nullum contrahere: ſic eſſe non poteſt, vt aliquis cum deuotione etiā parua

Reſpiciens imaginem crucifixi quid Cogitare debeat.

Vehemens amor Chriſti erga homines.

ua dominicæ intendat paſsioni, & nullum fructum inde percipiat. Et etiam cum aliquis legit aliqua de paſsione, ad minus habilitat animam ad ſuſcipiendum fructum, intantum, quod magis fructuoſa eſt intentio talis hominis, qui frequentat memoriã paſsionis Chriſti, quam plures intentiones alterius rei, cui nulla cura eſt de dominica paſsione. Ergo ſtudeamus frequentius aliqua de Chriſti paſsione ruminare, vt ipſa efficiatur nobis mel in ore, melos in aure, iubilus in corde.

De faſciculo myrrhæ.

CAPVT. XLII.

QVadam nocte dum ſecus lectum ſuum quandam crucis Chriſti imaginem haberet, & eadem imago quaſi caſura ad ipſam eſſet inclinata: illa imaginem erigens ſic blandiendo alloquebatur: O dulciſsime Ieſule, cur inclinas te? Cui ille protinus reſpondit: Amor diuini cordis mei attrahit me tibi. Tunc iſta aſſumens imaginem iſtam, & cordi ſuo impoſuit dulciter conſtringens eam, amplexibus & oſculis blandiendo, dixit: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Cui conſequentia dominus quaſi ab ore ſumens adiunxit dicens

dicens:Inter vbera hæc mea commorabitur.Per quod tali eam intellectu donauit, quod ſcilicet quilibet homo omnia aduerſa & grauamina, tam cordis quam corporis, diligenter inuoluere deberet ſuæ ſanctiſsimæ paſsioni, quaſi qui ſudem intruderet in medium faſciculi. Verbi gratia: Cũ homo grauatus aduerſis prouocatur ad impatientiam, recolat filij Dei admirandã patientiam, qui tanquam agnus manſuetiſſimus immolandum pro noſtra ſalute deductus, non aperuit os ſuum vel ad vnicũ impatientiæ verbum. Cum vero accidit homini, quod grauamina ſua in aliquo poſſet vindicare verbo vel facto, retractare ſtudeat ex quanta cordis dulcedine amator ſuus nequaquam malum pro malo reſtituens, ſe in nullo vindicauit verbo: ſed omnia quæ pertulit cum optimo recompenſauit, cum ipſos à quibus vſque ad mortem perſecutus eſt, ipſa ſua paſsione & morte redemit. Et ſic exemplo domini ſtudeat ſemper bona reſtituere pro malis. Item ſi aliquis accenditur odio aduerſus eos qui eum leſerunt, recordetur ſuauitatis illius exceſsiuæ, qua amantiſsimus filius Dei inter ipſos etiam indicibiles paſsionis dolores & pœnas mortis pro crucifixoribus ſuis rogauit, dicens:

In grauaminibus & aduerſitatib⁹ quid faciendum.

dicens:Pater ignoſce illis,&c.Et in vnione amoris illius orare ſtudeat pro aduerſarijs ſuis.Et addidit dominus:Quicunq; aduerſa & grauamina ſua faſciculo paſsionis meæ inſerendo inuoluerit, & exemplis paſsionis meę inſerendo ꝑ ſtudiũ imitationis ſe vndique conſtipauerit:ille eſt qui vere inter verba mea commorabitur:ita quod ego ſpeciali affectu omne quod per patientiam & cæteras virtutes meas ꝓmerui, illi in augmentũ meritorum ſuorum donabo. Tũc illa:Qualiter domine mi,acceptas ꝙ quidam tanto affectu erga crucis tuæ afficiũtur imaginem?Dominus reſpõdit Gratáter accepto:Sed tamẽ qui circa meã afficiuntur imaginem & paſsionis meæ exempla per imitationem nõ ſequũtur,hoc reſpicio ad ſimilitudinẽ ſicut iuuẽcula à matre ſua poſſet acceptare,quod eã diuerſimode veſtibus exornaret, ſecundum propriam placentiam ſuam & honorem : nec tamen hoc quod filia maxime deſideraret, perficeret,imò etiam quandoque durius denegaret.Quouſque enim mater differt quod filia deſiderat,cætera ſibi impenſa minus acceptat,quia cogitat quod mater alia ornamenta pro captu ꝓpriæ gloriæ ſibi imponat,& nõ ex dulci affectu ſui.Similiter omnis affectus, honor & reuerentia imagini cru-

crucis meæ exhibita, nunquam mihi plene ſapere poſſunt, interim quòd homo nõ ſtudet exempla paſsionis meæ imitari.

De imagine Crucifixi.

CAPVT XLIII.

MVltum quidem ſolicitabatur pro acquirẽda imagine ſanctæ crucis, quã crebrius ob amorem domini ſui poſſet reuereri. Sed & retrahebatur à ſua conſcientia, quia timebat quòd per talem occupationem à fruitione interiorum bonorũ Dei poſſet impediri. Vnde & ſuper hoc tale à domino accepit reſponſum: Noli timere chariſsima, quia nequaquam ob hoc poteris in ſpiritualibus impediri, cum ego ſum ſolus cauſa tuæ occupationis. Et etiam nõ mediocriter gratum mihi fateor ſtudiũ deuotionis, qua quis afficitur circa imaginẽ meæ crucifixionis. Et ſicut cõtingere ſolet, quòd rex aliquis habẽs ſponſam tenere ſibi dilectã, cum qua quia frequenter cõmorari non poteſt, quandoq; chariſsimum cognatum ſuum ſibi relinquit loco ſui: cui quicquid ſponſa blanditatis & amicitiæ exhibuerit, ſpõſus ſibi reputat impenſum, cùm ſciat ſponſus hoc facere non ex illicita amicitia illius alieni, ſed caſto zelo propter

Veneratio cruci exhibita quando Chriſto grata.

amorem ſuum. Similiter ego delector in exhibitione venerationis meæ crucis, quæ pure fit cauſa mei amoris. Niſi homo tantummodo delectetur in poſſeſsione crucis, & non ſtudeat per hoc recolere amorem & fidelitatem, qua propter eum ſubire dignatus ſum amaritudinem paſsionis, vel alio modo plus propriæ dilectioni intendēdo, quàm paſsionis meæ colenda exempla imitari ſtudendo.

Quomodo diuina ſuauitas trahit animam.

CAPVT XLIIII.

CVm quadam nocte circa dominicam paſsionem memoriam haberet deuotius occupatam, & inde quaſi effrènis in abyſſum deſideriorum ageretur, ſenſit ſecur ſuum præ nimio æſtu deſideriorum valdè ſuccenſum, & dixit ad dominum: Mi amator dulciſsime, ſi iſtud quod nunc ſentio, ſcirent homines, dicerent quòd iure à tali feruore abſtinere deberem propter recuperandam corporis ſanitatem: cùm tamen tibi occultorum meorum cognitori perſpicuè pateat, quòd omni conatu virium & ſenſuum meorum non poſſem me modò continuiſſe à tuæ ſuauitatis pertranſitiua cōmotione. Ad quod dominus reſpondit

dit: Quis niſi ſenſu carens neſciat, quòd inæſtimabiliter efficax dulcedo diuinitatis meæ incompræhenſibiliter longe excedat omnem humanam & carnalem delectationem, cùm omnis dulcedo corporea diuinæ dulcedini coæquata, ſit quaſi ſtilla roris exigua ad immenſum pelagus totius maris. Cùm tamen ſæpius homines tam efficaciter humana delectatione trahantur, quòd nullatenus ſe poſſunt continere ab aliquibus, vnde non ſolùm corporis, ſed etiam animæ ſe ſciunt periculum incurſuros æternum: Quantominus anima meæ diuinitatis dulcedine penetrata ſe poteſt ab amore meo continere, vnde ſibi ſcit æternam felicitatem prouenire? Et illa: Dicerent fortaſſe, quòd cùm in ordine cœnobitali fecerim profeſsionem, tenerer certè ſic feruorem deuotionis temperare, vt rigori ordinis regularis valerem deſeruire. Ad quod dominus hac ſimilitudine ipſam dignatus eſt docere: Sicut, inquiës, ſi ordinarentur aliqui camerarij coram menſe regis ſedulo ſeruituri ob reuerentiam regis, Rex verò ſenio confectus ſiue debilitatus, aduocaret vnum de aſtantibus, in cuius ſinũ delectaretur ſuſtẽtari per tempus pauſaturus: valde indecens eſſet, ſi camerarius ille ſuper quem rex eligeret repauſari, repètè ſur-

Magnitudo diuinæ dulcedinis.

gens ipſum cadere permitteret, eo quod ad ſtandum coram menſa ipſius quondā ordinatus fuiſſet: Similiter imo multo magis, incongruum eſt, vt ipſe quem ego gratuita pietate mea attraho ad fruitionem contemplationis, ſe ab illa retrahat propter ſequendum rigorem ordinis cuiuſcunque profeſſionis, cùm ego creator & reformator vniuerſitatis in infinitum magis delecter in vna amante anima, quàm in omni labore & exercitio corporali, quod vnquam ab aliquo peragi poteſt ſine amore & pura intentione. Et adiecit dominus: Si quis autem certitudinaliter non trahitur à ſpiritu meo ad quietem contemplationis, & tamē negligit ordinem ob ſtudiū concupiſcendæ contemplationis: ille quaſi non vocatus cum rege videtur ſe ad menſam ponere, cùm ante menſam ordinatus ſit regi miniſtrare. Vnde ſicut miniſter qui ſe menſæ regis apponit non inuitatus, parum cōſequitur honoris, ſed magis contemptum ſuæ irreuerentiæ acquirit: Sic ille, qui ordinē negligens, ſuo conamine nititur fruitionē diuinæ contemplationis obtinere, quam nullus ſine dono meo ſpeciali valet habere: quandoq; magis ex hoc damnum conſequitur, quàm profectum, dum nec in illo proficit, & tamen in eo ad quod tenetur, tepeſcit.

Amans anima quàm ſit Chriſto grata.

Qui

Qui verò propter commoda corporis(dum ſentit non adeſſe neceſsitatem)negligit ordinem,quęrendo delectationes exteriores: ille facit quodámodo ſicut faceret aliquis, qui cùm eſſet corā menſa regis ad ſeruiendum ipſi ordinatus,abiret ad ſtabųlū equi ſui purgando ſe turpiter inquinaret.

Quomodo dominus acceptat reuerentiam imagini crucifixi exhibitam.

CAPVT. XLV.

FEria quadam ſexta,dum totam noctem meditationibus & deſiderijs incēſa duxiſſet inſomnē, memor quo affectu clauos ferreos de quadā imagine crucifixi, quam prope ſe ſemper habebat,extraxerit,& pro ipſis gariofilos redolētes infixerit, dixit ad dominum : O dulciſsime amator, qualiter acceptas, quòd clauos ferreos dulcifluis vulneribus manuum pedumq́ue tuorū extrahendo gariofilos benè olentes cum affectu impoſui? Reſpondit dominus : Ego affectum illum intantum acceptaui, quòd pro eo omnibus vulneribus peccatorū tuorum balſamum nobiliſsimum meæ diuinitatis infudi. Vnde omnes ſancti æternaliter mirò modo delectabuntur,quia vulnera tua placebunt ex infuſione precioſi liquoris. *Officia pio animo facta quantumuis exilia, Deo tamē grata.*

quæris. Tunc iſta: Nũquid domine mi, ſimiliter omnibus facturus es, qui idem faciũt? Reſpõdit dominus: Non omnibus. Sed illis qui ſimili affectu hoc faciũt, ego ſimiliter benefaciã. Qui verò tuo exemplo incitati, idem faciũt deuotione qua poſſunt, illos ſecũdario ſufficiẽter remunerabo. ¶ Hinc iſta imaginem crucifixi accipiens, ipſam ſuauibus oſculis, arctiſque amplexibus demulcens, multimode blãdiebatur: poſt moram verò dum ſentiret defectum cordis ex vigilantia, deponens crucem ait: Vale dilecte mi, & habe bonam noctem, & permitte me dormire ad recuperandas vires, quas in meditatione tecum penè totaliter expendi. His dictis auertit ſe ab imagine volens dormire. Cumq; ſic repauſaret, extendens dominus dexteram ſuam quaſi de cruce ſuper collum eius, tanquam ad amplexandum eam, osq; ſuum roſeum auri eius applicans blando ſuſurrio ait illi: Audi mi dilecta mea, quia tibi nunc pro Feſcenninis amatoria decantabo, & inchoans dulciſona voce ſub modulatione qua cantatur hymnus: Rex Chriſte factor omnium, hunc verſiculum decantabat: Amor meus continuus, tibi languor aſsiduus, amor tuus ſuauiſsimus, mihi ſapor gratiſsimus. Quo finito ait: Adiunge tu nunc dilecta mea pro Kyrie-

rieeleiſon, quod per ſingulos verſus hymni Rex Chriſte adiungitur, petitioné quamcunque deſideras, & dabitur tibi. Tunc iſta deuotè pro quibuſdam cauſis exorans benignius eſt à domino exaudita. Poſt hæc dominus iterato verſiculum decantans, ipſoque finito iterum eam ad orandum incitans, eundemq́ue verſum alternatis vicibus ſæpius decantãdo repetens, nullatenus eam corporali ſomno quieſcere permittebat, donec omnibus penè viribus conſumptis refici oporteret. Et hinc tandem ante ortũ diei modicè obdormiuit: & ecce dominus Ieſus qui nunquam deeſt, ſed ſemper ſe diligentibus præſto eſt, apparuit ei per ſomnium, ipſamq́ue in ſinu ſuo delicatè confouens, quaſi in vulnere ſuauiſluo benedicti lateris ſui cœnaturam ſaporiſsimam ipſi confecit, & mira blanditate ſingulas offas manu ſua delicata ori ipſius ad reficiendum impoſuit. Vnde ipſa in ſomno ſuauius recreata euigilauit atque recuperaſſe ſe vires ſentiens, deuotas domino gratias referebat.

De vij. horis paßionis domini cum laude beatæ virginis.

CAPVT XLVI.

PEruigilans nocte quadam, ac in memoria dominicæ paſsionis laborās affectu cùm multum ex hoc laſſata eſſet, & matutinas nondum dixiſſet, ſentiretque ſe viribus nimis defeciſſe, dixit ad dominum: Eia mi domine, cùm ſcias humana fragilitas mea nullatenus poſsit nunc pauſatione carere, doce me nunc quid poſsim beatiſsimæ matri tuæ honoris vel obſequij exhibere, dum non valeā debitas horas ipſius perſoluere. Cui dominus: Laudā me, per cor meum dulciſonum in innocentia integerrimæ virginitatis illius, qua ipſa me virgo concepit, virgo peperit, & poſt partum virgo inuiolata permanſit: & imitata eſt meā innocentiam, qua ego hora matutina pro redemptione generis humani captus, ligatus, alapis & fuſtibus cæſus, diuerſiſq; contumelijs & opprobrijs miſerabiliter & immiſericorditer ſum affect⁹. Quod cùm iſta faceret, videbatur dominus cor ſuum deificum in ſimilitudine aurei cyphi matri ſuę virgineæ ad potandum præbere. Ex cuius mellea dulcedine illa ſuauiter potata & dulciter ſatiata, imò abundanter inebriata, medullitusque penetrata, viſa eſt delitioſe iucundari. Tunc iſta collaudans etiam virginem, dicebat: ¶ Laudo & ſaluto te mater beatitudinum digniſsimum ſpiritusſancti

Pia formula ſalutandi Chriſtum.

Pia formula laudandi virginem matrē.

tuſſancti ſacrarium, per dulciſsimũ cor Ieſu Chriſti Dei patris tuiq́; amãtiſsimi filij, orans vt in omnibus indigentijs & in hora mortis nobis ſuccurras, Amen. Vnde etiam intellexit, quòd quãdocunq; aliquis ſecundum quod præſcriptum eſt, laudaret dominum, & inſuper collaudando beatã virginẽ adijceret hunc verſum: Laudo & ſaluto te mater, vt ſuprà, totiens eidẽ virgineę matri videretur cor dulciſsimum Ieſu Chriſti ſui amantiſsimi filij ad potandum præbere: quod regia virgo magnoperè acceptaret, & ſecundum liberalitatem maternæ pietatis ſuæ benignè quemlibet remuneraret. ¶ Et adiecit dominus: Lauda me, inquiens, pro Prima, per cor meũ dulciſsimum in humilitate illa placidiſsima, qua intemerata virgo magis magisq́; habilitabatur ad me ſuſcipiendum, & imitata eſt meam humilitatem, qua ego iudex viuorum & mortuorũ hora prima coram gentili homine iudicandus aſtare humiliter ſum dignatus pro redemptione generis humani. ¶ Ad Tertiam: Lauda me in deſiderio illo feruentiſſimo, quo me filiũ Dei de ſinu patris ſummi traxit in vterum ſuum virginalem, & imitata eſt me in illo deſiderio feruentiſſimo, quo ego ſalutem humanam deſideraui, cum duris flagellis cæſus, ſpinis coronatus

Quomodo Chriſtus & virgo Maria ad ſeptem horas canonicas laudandi.

natus, & hora Tertia crucem ignominioſiſsimam meis feſsis cruentatisq; humeris cum ſumma manſuetudine & patientia dignatus ſum baiulare. ¶ Ad Sextam : Lauda me in ſpe illa ſecuriſsimá, qua cęlica virgo per bonam voluntatē & ſanctam intentionem ſemper ad laudem meam aſpirabat. Et imitata eſt me, qui in alta crucis arbore ſuſpenſus, inter ipſas amariſsimas mortis acerbitates totis viribus anhelabam ad humani generis redemptionem, vnde & clamabam : Sitio. In tantum, ſcilicet ſalutem animæ humanæ, quod ſi neceſſe fuiſſet, adhuc duriora & amariora ſupplicia pertuliſſem, meque ad vniuerſa pro redimendo homine gratis paratum obtuliſſem. ¶ Ad nonam : Lauda me in ardentiſsimo amore illo mutuo, ſcilicet diuini cordis ac intemeratæ virginis, quæ diuinitatem excellentiſsimam tenerrimè coniunxit ac inſeparabiliter conniuit humanitati in vtero virginali. Et imitata eſt me vitam viuentiū, hora nona in cruce præ amoris magnitudine morti amariſsimæ ſuccumbentē ob humanam redemptionē. ¶ Ad Veſperam : Lauda me in fide illa conſtantiſsima, qua beata virgo ſola tempore mortis meæ, recedentibus apoſtolis & deſperantibus vniuerſis, in vera fide perſtitit immobilis. Et imitata eſt

me,

me in fidelitate illa, qua iam mortuus de cruce poſitus ſubſecutus ſum hominem, etiam vſque ad limbum inferni. Vnde ipſum omnipotenti manu miſericordiæ meæ eripiens, tranſuexi ad gaudia paradiſi. ¶ Ad Complotorium: Lauda me in perſeuerantia illa laudabiliſsima, qua mater mea dulciſsima in omnibus bonis & virtutibus perſeuerauit vſque in finem. Et imitata eſt me tanta diligentia opus humanæ redemptionis peragentem, quòd etiam poſt obtétam amariſsima morte veram hominis liberationem, necdum omiſi corpus meum incorruptibile humano more tradere ſepulturę, vt demonſtrarem nihil omnino eſſe tam vile, quod pro ſaluatione hominis recuſarem.

Qualiter ab occupationibus reuertentes domino blandiamur.

CAPVT XLVII.

EX conſortio hominū dum ſæpius magno grauaretur tædio, vt aſſolet (quia amanti Deum, omne quod citra Deum reperitur, inconſolabilis dolor eſſe videtur) ſæpiſsimè repentè cōſurgens in feruore ſpiritus repetebat locū orationis, dicens: Ecce domine mi nūc tędet me omniū creaturarū

& tui ſolius mihi libet frui conſortio & alloquio. Ergo omni creaturæ valedicens, conuertor ad te vnicum & totum bonum ac gaudium cordis & animæ meæ. Sicque deoſculans quinq; vulnera domini roſea, quinquies legebat hunc verſiculũ: ¶ Aue Ieſu ſponſe floride, cum delectamento diuinitatis tuæ ex affectu totius vniuerſitatis ſalutans amplector te, & ſic in vulnus amoris deoſculor te. Vt quaſi cum ipſo verſu ad vulnera domini omne tædium ſuum euaporando per delectamenta deuotionis recreatur. Quod dũ ſæpius faceret, die quadam requiſiuit à domino, qualiter hoc acceptaret, cùm tamen quandoque modico tempore eiſdem intenderet. Reſpondit dominus: Quotienſcunq; tali intentione ad me conuerteris, ego taliter accepto ſicut amicus ab amico ſuo acceptaret, quod ipſum per diem vnum hoſpitaretur, & omnẽ amicitiã, quam tam verbis quàm factis & etiã exemplis exhibere poſſet, alacri benignitate ac mira impenderet blanditate. Vnde ſicut inter tales exhibitiones blanditatũ hoſpes ſæpius mente retractaret, quomodo amico ſuo condignam vicem rependere poſſet, cùm eum apud ſe hoſpitari contingeret: ſic ego ſine intermiſsione in corde meo diuino dulciter retracto, & diligenter

Blanda & pia Christi ſalutatio.

Quàm gratanter Chriſtus ſuſcipiat ſuorum amicorum pias blanditias.

ter diſpono, qualiter tibi ſingulas vices quibus mihi blandiris in terris, in æterna vita ſecundum regalem Liberalitatem omnipotentiæ, ſapientiæ & benignitatis meæ centupliciter milleplicata blanditate & amicabilitate recompenſem.

De effectu tribulationis & orationis.

CAPVT XLVIII.

CVm Conuentus timeret à facie inimicorum, qui dicebãtur fortiter armati prope cœnobiũ aducturi, & pro tali neceſſitate in communi perſoluerentur pſalterium diſtinctum cum verſu: O lux beatiſſima, & antipho. Veni ſancte ſpiritus. & iſta deuotè cum alijs orationi intenderet: intellexit in ſpiritu, quòd dominus per talem orationem compungeret corda quorundam ſpiritu ſancto, ad cognoſcendum proprias negligentias & pœnitendum cum voluntate libenter emendandi & de cætero pro poſſe eas cauendi. Cumq; ſic compungerentur, vidit de cordibus ſingularũ taliter per ſpirtum compunctarum, quaſi vaporem quendam efflare, qui clauſtrum & vicina circundans, procul ab eis pellebat omnes aduerſarios: & ſecundum quod cuiuslibet cor erat magis compunctum, & *Vis orationis.* *Efficacia cõpunctionis.*

ad bonam voluntatem acclinatum, eo efficacior vapor ex illo efflans omnem contrariam poteſtatem remotius propellebat. Vnde & intellexit, quod dominus per talem timorem & grauamen aduerſariorum maxime intendebat ad ſe retrahere corda ſibi electæ congregationis, vt dum tribulationibus quaſſatæ, & ab omnibus negligentijs purgatæ, ad paternam ipſius defenſionem confugerent, diuinæ conſolationis ſubſidiū effectuoſius inuenirent. Hęc dum percepiſſet, dixit ad dominum: Cur amantiſsime domine frequentius ea, quę gratuita pietate tua mihi dignaris reuelare, ab aliorum reuelationibus ſunt tam differētia, quòd ex hoc ſæpius contingit ea ab aliquibus diſcerni, cùm ego malim ea celari, quā manifeſtari. Dominus reſpondit: Sicut ſi magiſter aliquis interrogaretur á pluribus diuerſarum linguarum hominibus, & omnibus reſponderet vnius tántum linguę interpretatione: non expediret quidem nec acceptaretur à quoquam, ſed ſi cuilibet ſecundum interpretatiónē linguæ ſuæ reſpōderet, ſcilicet latino latinè, græco græcè: tantò eius ſapientia elegantior probaretur, quanto cuilibet ſecundum linguam ſuam conueniētius reſponderet. Similiter quanto ego differentius dona mea cuilibet commu-

Tribulationū effectus.

Nota ſimile.

munico, eo clarius patet profunditas inueſtigabilis ſapientiæ meæ, qua ſecundum conuenientiam intellectus ſui cuilibet reſpondeo, & quæ voluero reuelo ſecundum capacitatem ſenſus cuiuſlibet, quem ipſis donaui: ſcilicet ſimplicioribus per magis corporeas ſimilitudines quæque demonſtrando: capacioribus vero intellectus occultiores & obſcuriores adumbrationes proponendo.

Oratio breuis quæ domino placuit.

CAPVT XLIX.

ALia vice, cum pro eadē neceſsitate à cōuentu legeretur Pſalm. Benedicite omnia opera, cum orationibus per ſingulos verſus ad hoc deputatis, & ipſa cum alijs deuotius intereſſet: apparuit ei dominus quaſi totus floridus & amœnus, qui ad quemlibet verſum cum conuentus veniā peteret ſuper terram, velut in obuiā huic eleuato brachio ſiniſtro præbuit dulciſsimum, vulnus ſanctiſsimi lateris ſui, ad oſculandum, quod dum crebrius ipſa deoſcularetur, dominus ſe hoc ab ea, mirifice demonſtrauit, acceptare. Tunc illa dixit ad dominum: Cum te amantiſ-

amantiſsimum dominum meum ſentiam iſta valde affectuoſe gratificantem, peto vt aliquā breuē orationē me doceas, quā ſimili dignatione pietas acceptet, à quocuncunque homine cum deuotione proferatur. Tunc diuinitus inſpirata, intellexit quod quicunque deuota intentione quinquies diceret hos verſus, ſcilicet: ¶ Ieſu ſaluator mundi exaudi eos, cui nihil eſt impoſsibile, niſi tantummodo non poſſe miſeris miſereri. Et: Qui per crucem tuā mūdum redemiſti Chriſte, audi nos. Et: Aue Ieſu ſponſe mellıflue cum delectamento diuinitatıs tuæ, ex effectu totius vniuerſitatis ſalutans amplector te, & ſic in vulnus amoris deoſculor te. Et: Fortitudo & laus mea dominus, & factus eſt mihi in ſalutem, &c. in honorem quinque vulnerum domini, & eadem roſea vulnera domini deuotius deoſculando, adiungeret quaſcunque vellet collectas, vel orationes: & hoc per Ieſu Chriſti cor dulciſsimum ſanctæ trinitatis organum commendaret, hoc dominus acceptare dignaretur pro oratione quantumuis laborioſe perfecta. ¶ Item alia vice dū idem pſalmus repeteretur, apparuit dominus Ieſus quaſi de vulneribus imaginis crucifixi cuiuſdam, qui more ſolito eleuabatur coram congregatione, tanquam flam-

ſlammas ardentes emittere ad Deum patrem pro congregatione, demonſtrans quodammodo incontinentiam ardentiſſimi deſiderij & amoris, quo cor eius afficiebatur erga Deum patrem pro ſalute cõgregationis.

De delectatione ſenſuum domini in anima.

CAPVT L.

PRæoccupata infirmitate, dum die quadam communicatura ſentiret magnũ virium defectũ ac exinde minorem habere poſſet deuotionem, dixit ad dominum: O dulcor animæ meæ, cum (heu) nimis ſciam me indignam ad tui ſacratiſsimi corporis & ſanguinis ſuſceptionem, ſi in aliqua creatura extra te poſſem alicuius delectationis inuenire alleuiationem, omitterem hac vice communionem ſanctam. Sed quia ab oriente vſq; ad occidẽtem, à meridie vſque ad ſeptentrionem, nihil omnino recognoſcere poſſum, in quo delectando aliquod ſentiam refrigerium, tam corporis quam animæ, præterquam in te. Ergo eſtuans & anhelans & currens in ſiti deſideriorum, venio ad te fontem viuum. Quod dominus ſecundum benignitatem

ſuam

ſuam dignanter acceptans, talem ipſi viciſſitudinem amatoriæ blanditatis recompenſans, reſpondit: Sicut tu certe affirmas, te in nulla creatura delectari poſſe extra me: ſic & ego in diuina virtute mea confirmo quod nunquam in vlla creatura delectari volo extra te. Illa vero in corde ſuo reuoluente, quod quamuis dominus ex benignitate ſua dicerê dignaretur, ſe nolle in aliqua creatura extra ſe delectari: tamen id aliquando mutari poſſet: Dominus ſe ingerens cogitationibus ipſius, reſpondit: Velle meum idem eſt quod poſſe, & ideo nihil aliud poſſum quam quod volo. Et illa: Et quid ô amator dignantiſsime, inuenire poteſt in me omnium creaturarum Peripſemate, in quo vtcunq; delecteris? Reſpondit dominus: Viſus diuinitatis meæ inæſtimabili modo delectatur inſpicere te, quam mihi tam acceptabilem per omnia in tam diuerſis & multis donis gratiarum creaui. Auditus etiam meus diuinus, quaſi quibuſdam ſuauiſsimis muſicis inſtrumentis afficitur in omnibus & ex omnibus verbis oris tui, quibus mihi blandiris, ſiue pro peccatoribus, ſiue pro animabus purgandis orando, ſiue aliquos corripiendo, aut inſtruendo, aut qualicunq; modo ad laudem meam verbum aliquod profe-

ferendo Ex quo licet etiam nulla vtilitas in aliquo homine vel cauſa ſequatur, tamẽ hoc ex bona voluntate & ad me directa intentione tua ſuauiſone inſonat auribus meis, ac medullitus commouet intima cordis mei diuini. Spes quoque tua, qua, iugiter ad me anhelas, aſpirat olfactui meo ſuauiſsimi odoris delectamentum. Omnes quoque gemitus & deſideria tua dulciter ſapiunt mihi ſuper omnia aromata Amor quoque tuus præſtat mihi delectamentum ſuauiſsimi amplexus. Tunc illa deſiderare cœpit, vt dominus eam quantotius reſtituere dignaretur priſtinæ ſanitati, ad hoc vt rigori ordinis deuotius poſſet inſiſtere, cui dominus benigne reſpondit: Et quare, inquiens, vellet mihi ſpõſa mea moleſta eſſe, ſi voluntati meæ contra veniret? Ad quod illa: Nũquid domine hoc deſiderium meum iudicas tibi contrarium, in quo (vt mihi videtur) pure laudẽ tuam quæro? Reſpondit Dominus: Quod ſermonem de hoc moues, quaſi puellarem morem diſſimulo, ſed ſi impertunius inſtares, hoc vtique non acceptarem. In quibus verbis domini intellexit, quod qui deſiderat eſſe ſanus ad hoc tantũ vt Deo ſeruiat bene quidẽ facit. Sed longe perfectius eſt, vt homo ſe totum diuinæ voluntati committens,

Deſiderium ſanitatis ad laudem Dei ac Deo gratum.

mittens,

mittens, credat Deo, quod quicquid circa ipſum ordinet, ſiue proſperum, ſiue aduerſum, hoc ſibi ſaluberrimnm eſſe.

De pulſibus cordis domini Ieſu.

CAPVT. LI.

CVm videret cæteros ad ſermonem properare, querula mente dixit ad dominũ: Tu ſcis amantiſsime, ꝙ nunc ex corde libenter audirem prædicationem, ſi infirmitate non detinerer. Cui dominus: Viſne chariſsima vt ego tibi predicem? At illa: Libentiſsime. Tunc reclinauit eam dominus ſuper cor ſuum, ita quod animæ cordi ſuo diuino applicabatur. Cumque ibi anima per moram dulciter requieuiſſet, ſenſit in corde domini duos mirabiles & valde ſuaues pulſus. Et ait dominus ad eam. Quilibet iſtorum duorum pulſuum tribus modis ſalutem hominis operatur. Primus quidem pulſus operatur ſalutem peccatorum. Secundus iuſtorum. Per primum enim pulſum primo modo ſine intermiſsione alloquor Deum patrem, ipſum peccatoribus digne placando, & ad miſericordiam inclinando. Secundo alloquor omnes ſanctos meos, coram ipſis peccatores fraterna fidelitate excuſando, & eos ad orandum

dum pro peccatoribus inſtigando. Tertio alloquor ipſum peccatorem, eum miſericorditer ad penitentiam reuocando, ac cũ ineffabili deſiderio conuerſionem ipſius expectando. Per ſecundum pulſum primo modo alloquor Deum patrem ad congratulandum mihi, pro eo quod precium ſanguinis mei tam vtiliter expendi pro redemptione iuſtorum, in quorum cordibus nunc delector tam diuerſas habere delitias. Secundo alloquor totam cœleſtẽ militiam ad collaudandum laudabilem cõuerſationem iuſtorum, vt regratientur mihi pro omnibus beneficijs illis impenſis ac deinceps impendendis. Tertio alloquor ipſos iuſtos diuerſimode ipſis ſalubriter blandiendo: & vt de die in diem de hora in horã proficiant, fideliter admonendo. Et ſicut pulſus humani cordis non impeditur ex viſu & auditu, aut quocunque opere manuum, quin ſemper ſuum motum habere poſsit ita nec cœli, nec terræ, nec totius vniuerſitatis gubernatio aut diſpoſitio hos binos pulſus in corde meo diuino vnquam vel ad modicum poterit vſque in finem ſeculi ſedare, aut temperare, aut aliquatenus impedire.

De

De modo ſomnum à domino po-ſtulandi.

CAPVT. LII.

POſt hæc noctem quandam pene totam duxit in ſomnem, ex quo dum intantum debilitaretur, quod iam omnibus viribus deſtitueretur: hunc defectum virium ſuarum more ſibi ſolito, obtulit domino in laudem æternam, ad ſalutem totius vniuerſitatis. Cui dominus benigne compatiens docuit eam, vt his verbis eum inuocaret. ¶ Per tranquilliſsimam ſuauitatem, qua ab æterno in ſinu Dei patris accubuiſti: & per amœniſsimam pauſationem in vtero virginali, qua nouem menſibus quieuiſti: & per iucundiſsimam delectationem, qua vnquam in aliqua amante anima dignatus es delitiari: rogo te miſericordiſsime Deus: vt non ad meum commodum, ſed ad æternam laudem tuam, mihi concedere digneris aliquantam requiem, qua laſſata membra corporis, vſui exercitationis reſtituantur Et cum iſta verba diceret, videbatur ſibi quod per ea quaſi quibuſdam gradibus aſcendendo, appropinquaret domino. Tunc oſtendit illi dominus ad dexteram ſuam quandam valde amœnoſam ſeſsionem

præ-

præparatam, dicens illi: Veni electa mea re-pauſa ſuper cor meum & proba vtrum inquietus amor meus te quieſcere ſinat. Cumque ſic ſuper cor domini melliflu-um reclinaſſet, & ſuauiſſimos pulſus eiuſdem efficacius perſentiret, dixit ad dominum: O amator dulciſſime, quid modo pulſus iſti loquuntur mihi? Reſpondit dominus: Hoc inquam, quandocunque aliquis per vigilantiam laſſatus & viribus deſtitutus, rogat me per verba tria quæ modo tibi inſpiraui dicenda, vt ipſi ad laudē meam & ad reparandas vires quietem concedam: & ego ipſum tunc non exaudiero, ſi tunc patientiam amplectendo humiliter talem ſuum ſupportat mihi defectum: hęc diuina ſuauitas mea & benignitas tanto ſuauius acceptat ab illo: Sicut amicus multo gratius acceptaret ab amico ſuo ſpeciali quem valde ſomnolentum de ſuaui ſomno excitaret ad hoc ſolummodo, quod ipſi delectaretur cō-fabulari cum eo, ſi ad hoc alacri velocitate cōſurgeret, vt ipſi DELECTATIONI ſatiſfaceret, & ſemetipſum multum inquietaret: quam ſi amicorum ſuorum alius quis ſecundum morem ſibi conſuetum totam noctem peruigilans vtriuſque, ſcilicet tam propriæ quā amici ſui deſer-

deſeruiret vtilitati. Quia in infinitum acceptius eſt mihi, cum quis in infirmitate ſua poſt conſumptas per vigilantiam vires defectum illum humiliter & patienter ſufferendo mihi offert: quam cum alius ſanus corpore totam noctem in oratione peruigilaret cum bene poſſet vigilare.

De perfecta reſignatione ſui in diuinam voluntatem.

CAPVT. LIII.

INfirmitate detenta, quandoque poſt ſudorem febris inualeſcebat, quandoque decreſcebat. Vnde cum nocte quadam ſudore madeſceret, anxia cœpit cogitare, vtrum ex ipſo infirmitas in peius, ſiue in melius mutari deberet. Et apparuit illi dominus Ieſus totus ad inſtar floris amœnus in dextra ſua ferens ſanitatem & in ſiniſtra infirmitatem, præbuitque ei vtraſque manus, vt eligeret quicquid magis optaret. Illa vero vtraſque reſpuens, ac inter vtraſque manus domini procedens in feruore ſpiritus, accedebat ad cor illud dulciſsimum, in quo ſciebat reconditam totius boni copiam, ipſius laudabiliſsimam inquirens voluntatem. Quam dominus blande ſuſcipiens & leniter circumplectẽs, ipſam

ſuper

ſuper cor ſuum pauſaturum reclinauit. At illa faciem ſuam protinus auertens à domino, & à tergo caput reclinans ſuper pectus domini, ait: Ecce nunc domine faciem tuã auerto à te, toto corde deſiderans, vt non meam reſpicias voluntatem, ſed tuam in omnibus circa me laudabilisſimam placentiã perficias. Per quod notari poteſt, quòd fidelis anima, tam ſecura confidentia ſe totam & omnia ſua diuinæ committere debet diſpoſitioni, quod etiam delectatur neſcire, quid circa ipſam dominus agat, vt eo purius diuinæ voluntatis complacitum in ſe ſciat eſſe perfectũ. Tunc dominus ex vtraq; parte dulciflui cordis ſui tanquam ducillis à cupa plena extractis, emiſit duos riuulos inundantes in ſinum eius, dicens: Ex quo omnino propriæ renunciando voluntati, ſic auertiſti faciem tuam à me, ego omnem dulcedinem, & delectationem diuini cordis mei emittẽdo, dirigo ad te. Ad quod iſta: Cùm tu amator meus dulciſsime, totiens mihi deificum cor tuum donaueris diuerſis modis, vellem nunc ſcire quem fructum inde conſequi debeam, quòd iterum illud mihi tam liberè concedis? Qui reſpondit: Nonne fides habet catholica, quòd qui ſemel communicat, huic ego meipſum tribuam ad ſalutem cum omnibus bonis quæ con-

Committere nos debem⁹ diuinæ diſpoſitioni, ſecura confidentia.

Fructus frequentis communionis.

continentur in theſauris meæ diuinitatis pariter & humanitatis. Et quanto tamen homo ſæpius communicauerit, tanto magis cumulus eius beatitudinis multiplicatur & augetur.

De ſenſuali delectatione in Deo.

CAPVT LIIII.

CVm ſibi à pluribus conſuleretur, vt ſe contemplationi ſubtraheret, quouſq; priſtinæ reſtitueretur ſanitati: ipſa ſecundũ morem ſuum, quo ſemper ſenſui aliorũ magis quàm ſuo credebat, etiam iſtorum monitionibus acquieſcendo, talem præbuit cõſenſum, quòd admittebat exteriores delectationes in exornandis imaginibus crucis Chriſti, vt cum talibus quaſi ludẽdo abſtraheretur quidem ab interiori ſtudio contemplationis, & tamen per exteriorẽ imaginis Chriſti repræſentationem iugem poſſet habere memoriam ſui vnici amatoris. Vnde nocte quadam cùm occuparetur, cogitando qualiter crucifixo ſepulchrum delectabile de palijs præpararet, in quo cum feria ſexta ad veſperam conderet in memoriam dominicæ paſſionis: benignus dominus (qui potius intentionem reſpicit, quàm opus amantis) tali occupationi ſ

ni ſe ingerens, dixit ad eam: Delectare in do- *Pſal.36.*
mino chariſsima, & dabit tibi petitiones
cordis tui. In quibus verbis intellexit,
quòd quando aliquis propter Deum quæ-
rit delectationes in rebus conſimilibus, tũc
dominus delectatur in corde ipſius: ſicut
aliquis paterfamilias delectatur in habili-
tate luſoris conuiuarum ſuorum, cùm ipſe
in luſu ſuo delectatur. Et hæc eſt petitio
cordis, quæ datur homini ſic propter De-
um in exterioribus innocenter delectanti:
quia cor hominis naturaliter petit, id eſt,
deſiderat, vt Deus delectetur in ipſo. Tunc
iſta dixit: Et quid amantiſsime Deus ex ta-
li delectatione poteris habere, quæ magis
ſenſualitati deſeruit, quàm ſpiritui? Re-
ſpondit dominus: Sicut vſurarius auarus,
inuitus negligeret, ſi ſaltem vnum denariũ
lucrari poſſet: ſic ego qui delitias meas ſta-
tui habere in te, multo inuitius permitte-
rem mihi vnum cogitatum ſiue motum ex-
tremi digiti tui propter me factum ſic pe-
rire, quòd ipſum non in ſummam laudem
meam conuerterem, ad tuam ſalutẽ ęternã.
Et iſta: Si immenſa bonitas tua tantum de-
lectari dignatur in iſtis, quantũ tunc dele-
ctaris in carmine illo, quod ex dictis ſan-
ctorum compoſui ad laudem tuam, in quo
tota tua commemoratur paſsio venerãda?

Reſpondit dominus: Sicut aliquis delectaretur in eo, quòd amicus ſuus inter ſuaues amplexus deduceret eum in hortũ quendã amœniſsimũ, quo aſpiraret eum odor ſuauiſsimus auræ lenioris, ac mirificè delectaretur in grata vernantia florum diuerſorũ, & alliceretur demulcẽti harmonia ſuauiſſimi ſoni, necnon reficeretur dulciſsimo ſapore optimi fructus. Et hanc delectationẽ recompenſabo tibi, & etiam idem carmen cum deuotione frequentanti in via illa anguſta, quæ ducit ad vitam æternam.

De languore amoris.

CAPVT LV

POſt hæc paruo temporis interuallo, dum ſeptima vice decumbens, nocte quadam domino intenderet: ipſe dignantiſsima blanditate ſe ad eam inclinans, dixit: Nuncia mihi amica mea, quòd amore mei langueas. Ad quod iſta: Et qualiter ego indigna hoc dicere præſumerem, quòd ſcilicet amore tuo languerem? Dominus reſpondit: Omnis qui voluntatem ſuam ad aliquod grauamen cauſa mei perferendum ſponte mihi offert, ille veraciter poteſt gloriari, & gloriando nunciare quòd amore mei langueat, dum in grauamine patiens & mihi intendens perſeuerat. Tunc iſta: Et

Quis amore Dei lãgueat.

Et quid (inquit) tu amãtiſsime ex tali nuncio lucrari poteris? Reſpondit dominus: Talis nuncius eſt delectatio meæ diuinitatis, honor humanitatis, amœnitas oculorum, & laus aurium mearum. Et adiecit dominus: Nuncius ille cuiuſcunque fecerit legationem, copioſam recipiet conſolationem. Inſuper vnctio amoris mei tam efficaciter commouetur, quòd violenter cogit me mederi contritos corde, id eſt, qui deſiderant gratiam, prædicare captiuis, id eſt, peccatoribus indulgentiam: clauſis apertionem, id eſt, animabus purgandis redemptionem. ¶ Hinc iſta dixit ad dominum: Nunquid pater miſericordiarum, tandem poſt hanc ſeptimam infirmitatem priſtinæ me reſtituere dignaris ſanitati? Reſpondit dominus: Si in prima infirmitate intimaſſem tibi, quod ſepties decumbere debuiſſes, forſan ex humana infirmitate expaueſcens, ad impatientiam lapſa fuiſſes. Similiter ſi modò promitterem tibi, quòd ex hac infirmitate nunc vltimo laborare deberes, certè cum ſpe ad finẽ illius tenderes, & inde meritũ tuum minueretur. Itaq; paterna prouidentia increatæ ſapiẽtiæ meæ vtiliter diſponit, te vtrunq; ignorare, vt ſemper coneris ad me toto corde anhelare: & omnia tam interiora quàm exteriora grauamina

Cur Deus velit nos futura grauamina ignorare.

tua fiducialiter mihi commendare,qui tam dulci te reſpicio fidelitate, & ſolicitus ſum pro te,quòd nullatenus permitto te grauari ſupra quàm poſſis ſuſtinere,cùm benè nouerim teneritudinē delicatæ patiētiæ tuæ. Quod liquidè perpendere potes in hoc, quòd grauiorem poſt primam infirmitatē ſenſiſti debilitatem, quàm nunc in hac ſeptima perſentias. Quamuis hoc velut impoſsibile iudicet ratio humana, ſed tamen præualet omnipotentia mea diuina.

De eo quod pro eodem ſibi fuerit viuere & mori.

CAPVT LVI.

NOcte quadam dum multis modis domino blandiretur, inter alia requiſiuit ab eo, vnde hoc eſſet, quòd quáuis iam longo tempore ægrotaſſet, omnino tamen ſcire non deſideraſſet, an infirmitas ipſius morte aut ſanitate terminari deberet: ſed potius pro eodem ſibi eſſet mors & vita? Reſpondit dominus: Cùm ſponſus deducit ſponſam ad roſetum vnde colligat flores roſarum ad connectēdum ſibi ſertum, ſponſa tantoperè delectatur in dulce confabulatione ſponſi, quòd nunquam perquirit qualem ſponſus velit carpere roſam: ſed cùm

Elegāti ſimilitudine docet quomodo anima fidelis totam ſe committet voluntati diuinæ.

cùm ad roſetum peruenerint, tunc quamcunque roſam ſponſus decerpſerit, & ſponſæ ad annectendum ſerto porrexerit, illam ſponſa ſine omni dijudicatione alacri promptitudine connectit: Similiter anima fidelis, cuius ſumma iucunditas eſt voluntas mea, & in ea delectatur quaſi in roſeto, illa certè pro eodem acceptat, ſi mihi placet ipſam reſtituere ſanitati ſiue vitam finire præſentem. Quia nimirum plena fidelitate, ſe meæ committit paternitati.

Quòd dæmon exhorruit diſcretam recreationem.

CAPVT LVII.

ALia quoq; nocte, cùm ex multimoda consolatione præſentię domini & ſpiritualium intellectum exercitatione nimis eſſet debilitata, accipiens vuas recreauit ſe tali intentione, quòd ipſum dominũ in ſemetipſa reficeret. Quod dominus magnifice acceptans, ait: Modo fateor mihi recompenſatam amaritudinem illam, quam de ſpongia in cruce pro amore tuo bibi, quoniam pro ipſa iam de corde tuo indicibilẽ dulcedinẽ ſugo. Et quanto tu purius ad laudem meam corpus tuũ recreaueris, eo ſua-

Quomodo refectio corporis reddatur in nobis ad modum meritoria.

uius ego me profiteor in anima tua refectũ. Hinc cùm iſta pelliculas & acinos vuarum in manu congregatas, in medium domus proijceret, affuit & Satan omnis boni perſecutor, qui hoc quod iſta abiecerat, recolligere conabatur quaſi ad teſtificandũ culpam infirmæ, quia ante matutinas contra religionem commediſſet. Cumque vnam de eiſdem pelliculis velut duobus digitis vix atrigiſſet, ilicò intolerabilis cruciatus ardore combuſtus, terribiles emittendo latratus de domo concitus proſilijt: diligentiſsime obſeruare ſtudens, ne aliquam vltra pede contingeret, ex cuius tactu cruciatũ perſenſerat tam intolerabilis pœnæ.

De vtilitate defectuum.

CAPVT LVIII.

QVadam etiam nocte cor ſuum apud ſe diſcutiens, & illum in ſe defectum recognoſcens, quòd ſcilicet ex vſu ſæpius dicere ſolebat: Deus ſcit, ſine intentione vel neceſsitate, & ſeipſam pro hoc repræhendens, deſiderauit à domino, vt hunc defectum in ea penitus emendaret, & hoc ſibi dono donaret, ne vnquam melliſluum nomen ſuum in vanum nominaret. Cui benignus dominus blandè reſpondit:

Et.

Et quare velles, vt ego priuarer honore il-lo, & tu infinito fraudareris præmio, quòd lucraris quotienſcunque illum defectum vel ſimilem recognoſcens, de cætero ca-uendum proponis? Nam quandocunque aliquis ſtudet pro amore meo defectus ſuos deuincere, tantum mihi exhibet honoris & fidelitatis, quantum miles aliquis domi-no ſuo exhiberet, ſi ſtrenuè ſe in bello con-tra inimicos opponens, omnes manu forti viriliter expugnaret, ac proſterneret. Hinc cùm videretur ſibi in ſinu domini repauſā-ſare, & ſentiret magnum cordis defectum, dixit ad dominum: Ecce amantiſsime do-mine, offero tibi debile cor meum, cum o-mnibus affectionibus & voluntatibus meis ad delectandum in eo ſecundum omne be-neplacitum tuum. Cui dominus reſpōdit: Tuum debile cor tali affectu mihi oblatum tanto gratius accepto, quàm alterius cor forte: ſicut magis acceptatur beſtia multa venatione agitata, quā domeſtica, eo quòd carnes illius teneriores ſunt ac ſuauiores ad veſcendum.

Certare contra proprios defectus, quæſit homini vtile & Deo honorificum.

De commodo per infirmam domino impenſo.

CAPVT LIX.

CVm ex infirmitate chorum frequentare non poſſet, ſæpius tamen ibat ad horas audiendas, vt vel ſic in ſeruitio Dei corpus ſuum exerceret. Et cùm perpenderet ſe Deo tam ſtudioſa deuotione non intēdere, vt deſiderabat, frequēter hoc domino conquerebatur, cum deiectione ſpir tus dicēs: Quid amantiſsime domine mi, tu nunc habes honoris ex eo, quòd ego negligens & inutilis hic ſedens, vix in vno vel duobus verbis vel notis tibi intendo? Ad quod dominus tandem vice quadam ſic reſpondit: Et quid tu haberes ex eo, quòd amicus tuus vna vice vel bis porrigeret tibi hauſtum dulciſsimi & recentiſsimi medonis, de quo ſperares te multum confortari. Multo ergo maiorem delectationem ſcias me habere de verbis ſingulis & neumis, quibus vnquam laudi meæ intendis. Sub miſſa verò, cùm deficientibus viribus eam ad euangelium ſurgere pigeret, & pro hoc ſemetipſam argueret, quia neſciret qualis profectus in tali diſcretione eſſet, ſi ab hoc labore ſibi parceret, cùm nō ſperaret priſtinam ſe recepturam ſanitatem: more ſolito requiſiuit à domino, quid ſibi laudabile foret. Dominus reſpondit: Quando cum difficultate ſupra poſſe tuum aliquid facis ad laudem meam: ego accepto illud à te, ſicut neceſ-

Attentio ſub diuinis quàm ſit Deo grata

Et labor & quies corporis piè ſemper intentione ad Deum dirigenda.

neceſſario indiguiſſem eo ad profectum ho noris mei. Cùm verò alia omittens commoda corporis admittis cum intentione ad me directa: hoc ego accepto ac ſi ego ipſe infirmus commodo illo nullatenus poſſem caruiſſe. Sicque vtrunque pro gloria meæ diuinæ magnificentiæ, in te remunerabo.

De renouatione Sacramentorum in anima.

CAPVT LX.

DIſcutiens die quodam cor ſuum, & reperiens aliqua quæ libenter fuiſſet confeſſa. Et dum confeſſorem habere non poſſet, confugit more ſolito ad vnicum ſolatium dominum Ieſum Chriſtum, & querulando expoſuit ei tale ſuum impedimentum. Cui dominus reſpondit, dicens: Quid turbaris dilecta? Nam quotieſcunque id à me deſideras, ego ipſe ſummus ſacerdos & verus pontifex, tibi adero & ſingulis vicibus ſimul ſeptem ſacramenta efficacius in arima tua renouabo, quàm vllus ſacerdos vel pontifex ſeptem vicibus perficere poſſet. Ego enim te precioſo ſanguine meo baptizabo, in virtute victoriæ meæ te confirmabo, in fide amoris mei te

mihi deſponſabo, in perfectione ſanctiſsimæ conuerſationis meæ te conſecrabo, in pietate miſericordiæ meæ te ab omni vinculo peccatorum abſoluam, in ſupereffluentiá charitatis meæ te meipſo cibabo, teq; fruẽdo ſatiabor. Et in ſuauitate ſpiritus mei omnia interiora tua tam efficaci vnctione penetrabo, quòd per omnes ſenſus & motus tuos ſtillabit adeps deuotionis, vnde ſine intermiſsione habilitaberis & ſanctificaberis ad vitam æternam.

De effectu Charitatis fraternæ.

CAPVT LXI.

ALia vice, dum valde debilis ad matutinas conſurgẽs, iam vnum compleſſet nocturnum, & ſuperueniente alia infirma iterato in charitate, cùm illa matutinas relegiſſet valdè religioſe, intermiſſam dum deuotius intenderet domino, recognouit animam ſuam valde mirandis ornatibus, & miro modo corruſcantibus gemmis precioſis honorificè decoratam. Intellexitque diuinitus inſtructa, ſe talem ornatum inde meruiſſe, quòd in charitate humiliter cum iuniore iterato legerat partem matutinarum ante lectam, vnde & tot ornatibus pręſulgebat, quot verba relegerat. Tunc memor-

mor quarundam negligétiarum, quas nondum côfeſſa fuerat abſencia confeſſoris impediente, hoc voce querula domino propo nebat. Cui dominus reſpôdit: Et quid cauſaris pro tuis negligentijs, quæ veſte charitatis (quæ multitudinem peccatorum operit) tam glorioſe circundaris? Ad quod illa: Et quomodo ex hoc côſolari poſſum, quòd charitas operit culpas meas, quibus tamen recognoſco me maculatam? Ad quod dominus: Charitas, inquit, non ſolùm peccata operit, imò etiam inſtar ſolaris caloris in ſe conſumit & annihilat omnes negligentias peccatorum venialium, & inſuper co n fert cumulum meritorum.

Charitas non ſolum operit, ſed & conſumit peccata.

De correptione fraterna & patientia.

CAPVT LXII.

VIdens aliquando vnam perſonam in quibuſdam obſeruátijs regularibus negligentius agentem, cùm timeret ſe corâ Deo culpam incurrere, ſi ipſam cùm ſciret negligeret ad meliora promouere, ſimulq; ex humana fragilitate metueret, quod quędam blâdiores dictura eſſent, quòd ſe pluſquàm neceſſe eſſet, occuparet, minora promouendo: more ſibi ſolito obtulit hoc in laudem æternam domino. Quod benignus

dominus multum gratanter ſe acceptare
Pſal. 54. demonſtrans, ait: Quotieſcunque hoc verbum vel ſimile pro amore meo ſupportaueris, totiens ego te firmiſsimè circummuniam & vndique circumuallabo ab omnibus occupationibus, quæ te in aliquo à me poſſent impedire: ad ſimilitudinem ſicut vrbs præmunitur vallibus & muro: & inſuper ad cumulum meritorum tuorum ſuperaddam omne meritum, quod quilibet lucrari poſſet, ſi humiliter monitis tuis ad laudem meam deuotis ſtudijs obaudierit.

De fidelitate in ſolo Deo quærenda, & fructu patientiæ.

CAPVT LXIII.

SIcut euenire ſolet, quòd quis grauius tolerat iniurias ſibi ab amico ſuo illatas, quàm ab inimico, ſecundũ illud: Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique &c. cùm iſta intellexiſſet, quòd quædam perſona ad cuius ſalutẽ animæ plus ſtudij & fidelitatis adhibuerat, non reſponderet ſibi debita fidelitate, imo etiam quædam ſibi ab ipſa impenſa quaſi contemnendo inuerteret: turbata ex hoc confugit ad dominum. Quam dominus benignè cõſolando ait: Noli contriſtari

ſtari filia, qua ego permiſi iſta ad tuam ſummam ſalutem. Nimium enim conſortio ac commanſione tua ſedula delector, vt ea crebrius frui poſſem: quemadmodum mater habens puerulum tenerrime ſibi dilectum, quem ſemper ſibi deſiderans adeſſe, cum puer ad contubernales gratia colluſionis vult diſcurrere, circa quælibet vicina laruas vel aliqua apponit horrenda, vnde puer territus currat in ſinum ſuum: Sic ego deſiderans te lateri meo nunquam deeſſe, permitto, vt amici tui tibi in aliquo contrarientur: vt dum in nulla creatura plenam fidelitatem reperis, eo ardentius ad me recurras, quanto apud me omnium delectationum & fidelitatum abundantiam ſtabiliorem recognoſcis. Hinc aſſumpſit eam dominus in ſinum ſuum, quaſi tenellum infantulum & multis modis ipſi blandiebatur, apponenſque os ſuum deificum auri eius & diuerſimode ipſam demulcens, ait: Sicut mater benigna tenello infantulo per oſcula lenire ſolet quæque ſibi aduerſa: ſic ego per blandiſsimum ſuſurrium amatoriorum verborum lenire tibi deſidero vniuerſa grauamina tua & contrarietates. Cumq; ſic per morã in ſinu domini infinitis diuinarũ cõſolationũ bläditijs multipliciter fuiſſet delectata pre-

A ſimili docet cur Deus permittat ſuos quandoq; ab hominib' impugnari.

Perfecta fidelitas in ſolo Deo quærẽda.

prebuit ipſi dominus cor ſuum, dicens: Perſpice nunc dilecta mea omnia cordis mei interiora, & perpende diligenter quã fideliter omnia, in quibus mihi vnquam intendiſti, diſpoſui & ornaui ad vtiliſsimũ & ſaluberrimum animæ tuæ profectum: & conſidera, ſi vel ſaltem vnius verbi contra me cauſari poteſt infidelitatem. Quod cum iſta feciſſet, videbatur eam dominus eodem grauamine, de quo predictum eſt, quaſi aureis floribus mirifice ſplendentibus perornare. Tunc iſta memor quarundam perſonarum, quas ſciebat aliis grauaminibus appreſſas, dixit ad dominum: O quanto dignioribus præmijs merentur recompenſari, & precioſioribus ornamentis decorari à pietatẽ tua miſericors pater, quę tam ponderoſa ſufferentes grauamina, nullis talibus aut ſimilibus alleuiantur conſolationibus, qualibus ego, licet (heu valde indigna) frequentius ſubleuor, nec tamen digna patientia quecunque mihi euenientia ſupporto. Ad ꝙ dominus: In his ſicut & in omnibus delicatam curam tenerrimæ dilectionis erga te demonſtro, tanquam mater tenellum amans infantulum, cum ipſum libenter ornaret argento & auro, & tamen ſciat ipſum non poſſe pondus ornamenti ferre tenuioribus floribus ipſum

per-

perornat, qui pondere non grauantes, ſplẽdorem tamen adminiſtrent: Sic & ego tem pero grauamina tua, ne eorum pondere ſuccumbas, & tamen patientiæ merito non careas. Hinc illa conſiderans altitudinem diuinæ pietatis erga ſalutem ſuam, ex nimia gratitudine in deuotas laudes prorupit. Tunc intellexit, quod ornamenta illa quæ ſibi pro grauamine ſuo preoſtenſa erant in ſimilitudine florum tenuium, ſed ſplendentium, per gratitudinem illam qua Deo pro aduerſitate ſua laudes decantabat quaſi ſpiſsiores reddebantur. Et inde etiã intellexit, quod gratia illa, qua Deo donante in aduerſis ipſum laudare potuit, nobiliori modo ſuppleat pondus grauaminum ad ſimilitudinem, ſicut precioſius eſt ornamentum ex puro auro, quam ornamentum argenteum, quod tantum in ſuperficie deauratur. *Quam vtile Deo pro aduerſitatibus laudes dicere.*

De fructu bonæ voluntatis.

CAPVT LXIIII.

LEgatio domini cum perueniſſet ad cõuentum pro aſſumendis quibuſdam perſonis ex congregatione noſtra ad inſtituendum religionem in alio quodam monaſterio, & idem ſermo deueniſſet ad iſtam

ipſa

ipſa ſecundum quod erat optimæ volun-tatis & ſemper prompta ad omne benepla cum Dei:licet viribus corporis eſſet deſti-tuta:zelo tamen laudis diuinæ inſtigata, coram quadam imagine crucifixi in feruore SPIRITVS obtulit Deo cor ſuum in laudem æternam, ad perficiendum corpore & anima omne beneplacitum eius. Ad quam oblationem dominus tam medullitus complacatus videbatur, ꝙ quaſi ingenti gaudio & amiciſsima blanditate ſe de patibulo crucis demittens in amplexus ſuauiſsimos, eam ſuſcepit, ineffabiliter exultans: ſicut infirmus iam pene deſperatus, lætatur ad oblationem medicamenti diu deſiderati & optati, vnde ſperat ad plenum ſe priſtinam recepturum ſanitatem, eamque blande vulneri lateris ſui ſanctiſſimi applicans ait: Bene venias mihi chariſſima, vulnerum meorum emplaſtrum leniſsimum, omniumque dolorum meorum releuamen ſuauiſsimum. ¶ In quibus verbis intellexit, quod quando aliquis offert integram voluntatē ſuam ad omne beneplacitum Dei, quantumuis etiam ſciret ſibi aduerſitates imminere: hoc dominus tali modo acceptat, quaſi homo ille tempore paſsionis eius omnibus vulneribus ſuis leniſsima adhibuiſſet emplaſtra. Hinc orationi

Bona volūtas quam Deo grata.

tioni inſiſtens,dũ diſponeret plura in corde ſuo in quibus ſi eam proficiſci contingeret,laudem Dei & augmentum religionis pro poſſe ſuo promouere vellet ac tenere: & inter hæc diuerſæ cogitationes ſe cordi eius ingererent:tandem ad ſe reuerſa ſemet ipſam de his redarguit,quaſi inutiliter talia cogitando tempus contereret,de quib⁹ fortaſſe nullus ſequitur effectus, cum ipſa tam debilis eſſet,quod potius morti quam profectioni videtur approximare. Et inſuper,ſi proficiſci deberet,adhuc ſatis temporis de talibus diſponẽdi ſupereſſet. Tũc apparuit ei dominus Ieſus,quaſi in medio animæ eius,in magna gloria, circundatus vernantibus floribus roſarum & liliorum atque ad eam:Attende, qualiter glorificor ex diſpoſitione bonæ voluntatis tuæ, tanquam ſplendoribus rutilantium ſtellarum & candelabrorum aureorum,ſecundum ꝙ Iohan.in Apocalyp.legitur ſimilem vidiſſe filio hominis in medio candelabrorum aureorum,habentem in dextra ſua ſeptem ſtellas. Et ex reliquijs cogitationum diuerſarum ſe cordi tuo ingerentium afficior tanquam amœnitate ſimul & dulcedine viuarum roſarum & liliorum. Tunc illa dixit:Eia Deus cordis mei,quid tam diuerſis voluntatibus intricas mentem meam

ſine

ſine effectu? Nam preteritis paucorum die rum curriculis, induxiſti mentem meam & incitaſti deſiderium meum, ad accelerandum vnctionis ſacramentum. Circa quod dum diuerſimode occuparer, multis me conſolationibus ſuper hoc lætificaſti. Et nunc econtrario prouocas deſiderium meum ad inſtitutionem religionis alterius loci, cum tamen adhuc tam inualida ſim viribus, quod vix vias neceſſarias perambulare poſſum? Reſpondit dominus: Ideo, inquam quoniam ſecundum quod in principio huius libri prædixi, ponere te diſpoſui in lucem gentium, id eſt multorum illuminationem, oportet vt in libro tuo diuerſi, diuerſia ſibi competentia inueniant ad eruditionem & conſolationem ſui. Delectat etiam ſæpe amicos adinuicem confabulari de multis, ex quibus nullus ſequitur effectus. Et etiam amicus ſæpe diſponit cũ amico quæque difficilia, vt per hoc amici ſui erga ſe quodammodo probet fidelitatem, & magnopere acceptat bonæ voluntatis eius erga ſe benignitatem. ¶ Similiter & ego delector cum electis meis diſponere de diuerſis, quæ nunquam euenient: vt ipſorum erga me comprobem dilectionem ac fidelitatem. Et vt pro infinitis meritis ipſos remunerem, quæ nunquam opere

Vtilitas huius libri.

Cur De⁹ pius diuerſarum voluntatum deſideriis quãdoque hominem patiatur inuolui.

re

re perficere poſſent, quia omnem eorum voluntatem reſpicio quaſi perfecta. Ego enim quodammodo prouocaui mentem tuam ad deſiderium mortis,& hinc ad accelerationem vnctionis.Vnde & omnia quæ deuotio tua tam voluntate quam opere in præparatione talium perfecit, ego adhuc in intimis cordis mei diuini reſeruaui tibi in ſalutem æternam.Vnde ſciēdum, quod dicitur:Iuſtus ſi morte preoccupatus fuerit,in refrigerio erit,ſi contingeret te qualicunque interueniente occaſione repentina præoccupari morte,& ſacramento priuari,aut ſine intellectu & ſenſu vnctionis ſacramentum ſuſcipere(quod plerumque valde electis accidere ſolet)ex hoc nullum detrimentum habebis:cum omnia quibus ante aliquos annos te ad mortem præparaueras,in immarceſsibili æternitatis meæ vernantia ex virtute diuinæ cooperationis meæ vireant,floreant & fructum tibi ſalutis æternæ producant.

Quibus ſtudijs obtinere poſſumus merita aliorum.

CAPVT. LXV.

ROgata à quadam perſona, dū offerret domino cuncta quæ gratuita ſua pietate

pietate in ea dignatus eſſet operari, vt in ſalutem cederent ſe rogitantis, ſtatim apparuit illi perſona pro qua orabat, ſtans coram domino, qui ſedens in throno gloriæ habebat in ſinu ſuo veſtem quãdam valde mirabiliter ornatam, quam prætendit coram perſona illa. Nec tamen ipſam veſtiuit ea. Quod iſta multum mirans dixit ad dominum: Cum ante paucos dies ad ſimilem oblationem meam animam paupérculæ cuiuſdam perſonæ, pro qua tunc orabam, ad tam ſublimia cœli gaudia prouexeris ſine mora: cur modo benigniſsime Deus, de eiſdem beneficijs tuis mihi in digniſsimæ collatis, etiam iſtam quæ vehementer deſiderat, veſte hac quam ipſi prætendis, nõ exornas? Reſpõdit dominus Cũ in charitate offertur mihi aliquid pro animabus fideliũ defunctorũ, ego ex ingenita mihi pietate, qua propriũ eſt mihi miſereri ſemper & parcere, cũ ſciã quod ſe vlterius in nullo poſsint ipſi iuuare, eorum inopiam miſertus, ſtatim id quod pro eis offertur, do eis in remedium abſolutionis vel alleuiationis, aut etiam ad cumulum æternæ beatitudinis, ſecundum cuiuslibet ſtatũ aut meritũ. Cũ vero pro viuentibus ſimilia mihi offerũtur, ſeruo ipſis certe ad ſalutem. Sed quomodo adhuc ipſi poſſunt

iuſtis

iuſtis operibus deſiderio & bona volũtate, ꝓpriam augere ſalutẽ, decet, vt ea quæ ex aliorũ meritis conſequi deſiderant, proprijs laboribus ſtudeant promereri. ¶ Vnde ſi iſta pro qũa oras, veſte beneficiorum à me tibi collatorum exornari deſiderat, ſpiritualiter ad tria ſtudeat. Primo inclinet ſe humilitate & gratitudine ad accipiendam veſtem, id eſt, fateatur humiliter ſe aliorũ meritis indigere, & grates mihi cũ effectu referat pro eo, quod indigentiã ipſius per aliorum abundantiam dignor ſupplere. Secundo, leuet ipſam veſtem cum ſpe & fiducia, id eſt, ſperando de bonitate mea, confidat ſe ex hoc apud me magnum profectum ſalutis conſecuturam in anima. Tertio, induat eandem in charitate, cæteriſque virtutibus ſe exercitando. Similiter etiam faciat quicunque deſiderat aliorum beneficijs & virtutũ meritis participare: tunc exinde poterit profectum conſequi.

Merita aliorum quomodo poſsimus obtinere.

Oratio deuota, qua ipſa dominum laudauit, quam dominus approbauit.

CAPVT LXVI.

CVm quodam tempore ante Ieiunium venam incidiſſet, verbis ipſius ſæpius interciderunt hæc verba: O regum

rex

rex excellentiſsime, princeps illuſtriſsime & cætera huiuſmodi. Et cum quodam mane loco orationis ſe recolleg. ſſet, dixit ad dominum: O amantiſsime domine, quid de verbis illis, quæ tam crebro ſe menti & ori meo ingerunt fieri vis? At ille tenẽs manu monile aureum ex quatuor partibus compactum, oſtendit illi. Qua hæſitante, quid per quatuor partes notaretur diuinitus inſpiratum eſt ei quod per primam partem ſignaretur diuinitas Chriſti, per alteram vero partem anima Chriſti, per tertiã autem partem anima cuiuslibet fidelis, quam ſibi proprio ſanguine deſponſauit, atque per quartam partem corpus Chriſti immaculatum. Per hoc etiam, quod in hoc monili anima fidelis animæ & corpori Chriſti interpoſita videbatur, dabatur intelligi indiſſolubilis conglutinatio amoris, qua dominus fidelem animam etiam proprio corpori, & animæ ſuæ conferret. Et ecce ſubito ex reſpectu præfati monilis efficaci impetuoſitate infuſa ſunt ei hæc verba: Tu animæ meæ vita tecum ſit affectio cordis mei vnita, vi amatorij ardoris conflata. In omni ad quod ſine te tendit, reddatur examinata. Quia tu es amœnitas omnium colorum, dulcor omnium ſaporum, fragrantia omnium odorum, delectatio

Formula pie & deuote Deum laudãdi.

ctatio omnium ſonorum, ſuauis amnœnitas amplexuum intimorum. In te voluptas delitioſa, ex te ſupereffluentia copioſa, ad te allicientia amœnoſa, per te influentia affectuoſa Tu ſupereffluens abyſſus diuinitatis. O regũ rex digniſsime. Imperator excellentiſsime, princeps illuſtriſsime, dominator mitiſsime, tutor validiſsime. Tu viuificans gemma humanæ nobilitatis. Opifex artificioſiſſime, inſtructor manſuetiſſime, conſultor ſapientiſſime, adiutor benigniſsime, amice fideliſſime. Tu ſaporoſa vnio intimæ ſuauitatis. O blanditor delicatiſſime, affector leniſſime, amator ardentiſſime, ſponſe dulciſſime, zelator caſtiſſime. Tu vernans flos ingenuæ venuſtatis. O frater amabiliſsime, iuuenis floridiſſime, comes iucundiſſime, hoſpes liberaliſſime, miniſtrator curialiſſime. Tẽ omni creaturæ præeligo, propter te omni delectationi abrenuncio, pro te omni aduerſitati obuio. In his omnibus te vnicum laudatorem requiro. Te vegetatorem horum omniumq; bonorum corde & ore conteſtor. In virtute tui feruoris adiungo intentionem meæ deuotionis efficaciæ tuæ orationis, vt per integritatem diuinæ vnionis ducar ad apicem ſummæ perfectionis, cõſumpto omni motu rebellionis. Quæ ſingula diſtinctim

CAPVT LXVII.

APparuit illi vice quadam dominus Ieſus, expoſcens ab ea cor ſuum, dicẽs: Præbe dilecta cor tuum mihi. Quod cùm illa gratanter faceret, videbatur ſibi quòd dominus illud in ſimilitudine carnalis cuiuſdam cordi ſuo diuino applicaret, & ſic vſq; ad terram demitteret: per quod emiſſionem ſuæ incontinẽtis pietatis largè diffundebat, dicens: Ecce corde tuo deinceps ſemper vti delector, quaſi pro carnali, per quod omnibus ſe ad ſuſcipiendum niſum illius infuſionis coaptantibus, id eſt, cum humilitate & fiducia à te quærentibus diuinæ conſolationis larga fluenta de torrente melliflui cordis mei profundam. Quorum verborum gratioſus effectus in ſequentibus ex parte patebit.

De humilitate ſub flagello Dei & oratione pro hoſtibus.

CAPVT LXVIII.

ORans itaque die quadam pro quibuſdam qui cœnobium deprædando læſerunt, & inſuper nimis grauabant, oſtendit ſe illi pius & miſericors dominus in tali forma, quaſi dolebat brachium vnũ intantum retrorſum recuruatum, quòd penè

videretur neruis ſolutum. Et ait dominus: Perpende quo dolore me cruciaret, ſi quis me nunc pugnis ſuper brachium iſtud impeteret, & ſimili modo æſtima me grauari ab omnibus qui nequiter ſine compaſsione damni animarum (quod incurrunt hi qui vos infeſtant) ſæpius recitant defectus eorum, & iniurias ſibi illatas: non recordantes, quoniam & ipſi ſint membra mea. Omnes verò qui pia compaſsione commoti clementiam meam implorant, vt eos miſericorditer ab errore conuertam ad vitã meliorem: hi quaſi quibuſdam leniſsimis vngentis, brachium meum deliniunt. Qui autem benignè conſilijs & admonitionibus ſuis eos ad reconciliationem & emendationem inducunt: hi profectò tanquam medici probatiſsimi, brachium meum blandè contrectando in locum debitum reinflectunt. Tunc illa ineffabilem benignitatem domini admirans ait: Et quo iudicio pijſſime Deus brachiũ tuum dici poſſunt tam indigni? Et dominus: Quia ſunt, inquit, de corpore eccleſiæ, cuius ego me caput eſſe glorior. At illa: Domine mi, ecce iam ſeparati ſunt à corpore eccleſiæ per excommunicationem, quia propter illatas cœnobio meo iniurias excommunicati publicè denunciantur. Ad quod dominus: Tamen quo-

Alienam malitiã ſine pia compaſsione commemorare, quàm Deo ingratum.

Orare pro errantibus Deo valdè gratũ.

Errantes ad emendationẽ inducere Deo gratiſsimum.

Excommunicati adhuc aliquo modo ſunt de corpore Christi.

quoniam adhuc poſſunt per abſolutionem eccleſiæ reconciliari, ego, propria pietate coactus, curam ipſorum agens cum incredibili deſiderio eos per pœnitentiam ad me conuerti exopto. Tunc iſta orauit, vt congregationem ab inſidijs eorum paterna protectione ſua cuſtodire dignaretur.

Peccatorum pœnitentiam Deus deſideranter expetat.

Cui dominus: ¶ Si, inquit, ſub potenti manu mea humiliamini, recognoſcentes, coram me in cordibus veſtris, quoniã exigentibus negligentijs veſtris, meremini caſtigari, paterna miſericordia mea vos ab omni incurſu inimicorum conſeruabit illæſos. Si autem per ſuperbiã nequiter contra eos, qui vos infeſtant eleuamini, optantes vel imprecantes illis malum pro malo: iuſtitia mea iuſto iudicio permittente, ipſi aduerſum vos prçualebunt in pluribus vos lædendo moleſtantes.

Deo per malignos homines nos corripiẽte quid agendũ.

De acceptatione exteriorum laborum à domino.

CAPVT LXIX.

ANno quodam dum congregatio eſſet multum grauata quodam debito, iſta deuotius inſtabat, dominum deprecando, vt ſua pietate prouiſores clauſtri promoueret, vt perſoluere poſſent, quod debebant,

bant, dominus leniter blandiendo reſpondit: Et quid inde ego lucrarer, ſi ipſos in hoc iuuarem? Et illa, vt ſtudioſius & deuotius poſt hoc in ſpiritualibus exercitijs vacarent. Et dominus: Et quem ego fructum inde conſequar, cùm ego bonorum veſtrorum non egeam, & pro eodem mihi ſit, vos vacare ſpiritualibus & exterioribus laboribus inſudare, cùm tantummodo voluntas libera intentione pro me dirigatur? Nam ſi ſolummodo in ſpiritualibus exercitijs delectarer, vtique naturam humanam poſt lapſum denuo reformaſſem, non indigentem victu vel veſtitu alijsque, pro quibus humana deſudat induſtria conquirendis & conficiendis vitæ neceſſarijs. Sed ſicut Imperator aliquis præpotens, non ſolùm delectatur in palatio ſuo habere puellas delicatas & ornatas, ſed etiam ordinat principes, duces & milites, alioſque diuerſis operibus aptos miniſtros, quos ſingulos in palatio ſuo ſemper habeat ad diuerſa negocia paratos: Ita & ego non ſolum delector, in interioribus delitijs cõtemplatiuorum, ſed etiam diuerſis exercitijs vtilium negociorum, quæ fiunt cauſa mei honoris & amoris, allicior ad commanendum & delitioſe conuiuandum cum filijs hominum, quia talibus magis exercẽtur in charitate,

Etiam exteriores labores noſtri Deo ſunt accepti.

ritate,

ritate, patientia, & humilitate, cæteriſque virtutibus. Hinc vidit illum, cui maior cura incumbebat coram domino reſidentem, quaſi ſiniſtro latere innitentem, qui ſępius incommodoſe erigens ſe domino cum manu ſiniſtra, cui incumbebat, aureum nummum gemmā precioſa inſignitū offerebat. ❡ Et ait dominus ad eam: Ecce ſi ego huic grauamen pro quo oras alleuiarem, tunc ego tam nobili gemmā quæ mihi placet, in nummis iſtis carerem, & ipſe ea in remuneratione fraudaretur, quia tunc cum dextra manu tantummodo nummum offerret mihi ſine gemma. Ille enim offert quaſi ſimplicem nummum, qui ſine aduerſitate, & tamen de volūtate diuina in omnibus operibus ſuis Deo intendit: ſed ille qui in ſingulis operibus ſuis præmitur aduerſitate, & tamen de diuina voluntate non diſcordat, ille offert Deo aureum nummum cum probatiſsima gemma. Cùm verò illa non deſiſteret, ſed inſtantius dominū exoraret, vt pro uiſoribus clauſtri prędictum grauamen alleuiaret. Dominus reſpondit: Cur tibi durum videtur, ſi aliquis cauſa mei grauamina ſuffert, cùm ego ſim ſolus ille verus amicus, in quo fidelitas nunquā veteraſcit? Nam cùm homo omni humano iā deſtitutus auxilio & ſolatio vergit ad extre-

Aduerſitas quomodo exornet opera noſtra.

ma, ſi quis tunc alicuius fidelitatis ab ipſo exhibitæ meminerit, cum ingenti amaritudine hoc facit. Sed ego ſolus verus amicus in illa anxia neceſsitate venio ad deſolatam animam, cum vernanti florentia omnium operum bonorum, quibus vnquam cogitatu, verbo vel opere ſe exercitauit homo ille in hac vita, quæ omnia ad inſtar roſarum & liliorum in veſtimentis meis florẽt. Et ex illa viuida vernantia meæ diuinę pręſentiæ reuireſcit anima in ſpem vitæ æternæ, ad quam ſe agnoſcit inuitari, & pro ſingulis operibus ſuis remunerari. Et inde per delectamentum ſuſcipit anima mea habilitatem, qua ſoluta carne, poſsit etiam recipere æternam felicitatem, vt gaudens veraciter & in laudes prorumpens poſsit dicere illud Geneſ. Ecce odor dilecti mei, ſicut odor agri pleni. Nam ſicut corpus conſtat compaginatum diuerſis membris, ſic anima conſtat ex affectionibus, quæ ſunt, timor, dolor, gaudium, amor, ſpes, odium & pudor. In quibus ſingulis inquantum ſe homo exercuit ad laudem meam, tantum tunc in me inueniet inęſtimabilis & ineffabilis iucunditatis & ſecuritatis delectamentum, vnde præparata coaptatur æternæ beatitudini. In reſurrectione futura enim quando corpus hoc mortale induet incorruptio-

Quomodo Deus in agone mortis pios conſoletur.

ruptionem, tunc ſingula membra humana recipient ſingula præmia meritorum pro ſingulis laboribus & exercitationibus in meo nomine & pro amore mei peractis. Sed anima accipiet incomparabiliter digniotis excellentiæ nobilitatem pro ſingulis exercitationibus affectionum ſanctarum, quibus vnquam cauſa amoris mei eſt commota, vel compuncta, vel etiam corpus vegetauit. ¶ Hinc iterũ fideliori prouiſori Clauſtri compatiens, dum multum oraret dominum, vt ſcilicet difficiles labores, quos ſæpè in negotijs congregationis perferret, ipſi piè reſtitueret. Dominus reſpondit: Corpus illius quod totiens talibus laboribus pro me laſſeſcitur, eſt mihi quaſi quoddam theſaurarium, in quo tot dragmas argenteas repono, quotiens ipſe aliquod membrum commouit ad neceſſaria ſibi commiſsis acquirenda, & cor ipſius eſt mihi quaſi arca. In qua tot aureas dragmas reconditas mihi habere gaudeo, quot ipſe recogitationibus inſtigatur, ſubditis ſolicitè prouidere ad laudem meam. Tunc illa cum admiratione dixit ad dominum: Domine non videtur mihi homo iſte tam perfectus eſſe, quòd omnia opera ſua ita purè aggrediatur ad laudem tuam: ſed credo quòd ſæpè etiam aliæ cauſę inſtigent eum,

Præmia meritorum & laborum.

vt eſt lucrum temporale & per conſequẽs commodum corporale. Et quomodo tunc tu impermixta dulcedo Deus tales, vt aſſeris, in corde & corpore eius poteris habere delitias? Ad quod dominus valdè dignanter reſpondit: Quoniam voluntas eius ſic adaptata eſt meæ diuinæ voluntati, quòd ego ſemper ſum ſumma cauſa omnium operum eius. Ergo in ſingulis cogitationibus verbis & operibus ſuis, inæſtimabilem fructum lucratur. Attamen ſi puriori & deuotiori ſtuderet intentioni in ſingulis negulis negocijs, tunc tanto amplius omnia negocia ſua & opera nobilitaret, quanto aurum præponderat argento. Item ſi in cogitationes & ſolicitudines etiam puriori deuotiorique intentione ad me dirigere ſtuderet, inde etiam tantum nobilitarentur, quantum aurum optimum ad purum examinatum præualet auro vetuſto & obſcurato.

Deus debet eſſe ſumma cauſa omniũ operum noſtrorum.

De merito patientiæ.

CAPVT LXX.

ACcidit quadam vice vnam perſonam inquodam labore improuiſe lædi & magno dolore cruciari. Cui iſta compatiens cùm oraret pro ea dominum, ne mem-

brum iuſto labore læſum periclitari permitteret, dominus benigne reſpondit: Nequaquam periclitabitur, ſed pro dolore illo incomparabile præmium mercabitur. Omnia etiam membra quæ mota ſunt ad obſequendum illi membro ad hoc vt dolorem ipſius alleuient & ſanent, ſimiliter ex hoc præmium perpetuum obtinebunt. Ad ſimilitudinem, ſicut cùm intingitur pannus vnus in croco, ſi quid aliud inciderit, ſimiliter cum eo colorabitur: Sic cùm patitur vnum membrum, cætera omnia membra quæ illi obſequuntur, ſimul cum illo æterna gloria remunerabuntur. Tunc illa: Domine mi, inquit, quomodo tantum promereri poſſunt membra inuicem ſibi ſeruientia, cùm hoc non ideo faciant vt membrũ læſum pro tuo amore amplius aut patiẽtius ſuſtineat, ſed tantummodo ad hoc vt dolorem ſuum alleuient. Ad quod dominus inæſtimabilis conſolationis dedit reſpõſum: dicens: Illam paſsionẽ, qua homo poſt adhibitum dolori ſuo remedium, patienter tolerat pro amore meo, hoc quod nequit lenire ſtudio ſuo, ego ſic ſanctificaui in verbo illo, quo in extremæ neceſsitatis meę articulo patrem oraui dicens: Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, quòd homo incomparabile præmium & meritum *Patientiæ meritum.*

Per illam lucratur. ¶ Et illa: Nonne magis tibi placet, Deus meus, quòd aliquis patienter ſufferat quodcunque ſibi euenerit, quàm quòd tunc patiés eſt, cùm nullo poteſt modo euadere? Reſpondit dominus: Hoc in abyſſo diuinorum iudiciorum meorum latet & excedit omnem humanum intellectum, ſed ſecundum quod humano iudicio diſcerni poteſt, inter illa duo eſt ſicut inter duos elegantes colores, qui vtrique tantæ venuſtatis ab hominibus iudicētur, quòd difficulter poſsit diſcerni quis eorum alteri dignè præferatur. Tunc illa deſiderauit à domino, vt perſonæ illi daret effectiuam conſolationē in his verbis, cùm ipſi panderentur. Ad quod dominus: Non, ſed ſcias me occulta diſpenſatione diuinæ ſapientiæ meæ hoc omittere, vt ſcilicet ipſa perſona amplius probetur, & ſpecialiter in tribus virtutibus commendetur, ſcilicet patientia, fide & humilitate. In patientia, quia ſi ipſa talem effectum conſolationis ſentiret ex his verbis, qualem tu iam ſentis, omne grauamen eius leniretur, intantum quòd etiam meritum patientiæ minueretur. In fide, vt ſcilicet magis alteri credat quod ipſa non ſentit. Quia fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. In humilitate, vt credat alium

Cur Deus ſuā quādoq; ſubtrahat homini conſolationem.

ſium in hoc ſe præcellere, quòd ille per diuinam inſpirationem cognoſcit, quod ipſa cognoſcere non meretur.

De profeſſione beneficiorum Dei.

CAPVT LXXI.

CVm oraret pro quadam perſona, miſerans quòd eam audiſſet verbũ quoddam impatienter loqui, ſcilicet quare ſibi Deus tales moleſtias immitteret, quæ ipſi non conuenirent. Dominus dixit ad eam: Interroga illam perſonam quales moleſtiæ ſibi conueniant. Et dic illi: Ex quo ſine aliqua ſaltem moleſtia non poſsit obtinere regnum cæleſte, quòd ipſa nunc ſibi eligat quæ ſibi videantur inter moleſtias congruere. Et cùm hæc ſibi euenerint, quod nunc conſeruet patientiam. In quibus verbis domini intellexit periculoſiſsimum genus impatiētiæ hoc eſſe, cùm alicui videtur, quòd in alijs cauſis vellet benè patiens eſſe, ſed in his quæ ſibi Deus immittit, non poſsit: cùm econtrario homo ſemper confidere debet, hoc ſibi magis vtile eſſe quod Deus immittit, & quando in hoc negligeret patientiam conſeruare, inde deberet humiliari. ¶ Et ſubiunxit dominus quaſi amatoriè blandiendo: Et quid tibi videtur de

Regnum Dei ſine moleſtia non obtinetur

Periculoſiſſimum impatientiæ genus.

te? Num etiam incongruentia grauamina tibi immitto? Ad quod illa: Nequaquam domine mi. Sed fateor verè, & fatebor quouſque ſpiritum trahere valeo, quod tam in corpore quàm in anima, & in omnibus tam proſperis quàm aduerſis, ita congruentiſſimo modo mihi prouidiſti, quod hoc nulla vnquam ſapientia ab initio ſeculi vſque ad finem præualuiſſet, niſi tu ſola ſapientia increata, dulciſsime Deus meus, attingens à fine vſque ad finem, fortiter & ſuauiter diſponens omnia. Tunc filius blandè aſſumens eam, duxit ad Deum patrem, requirens ab ea quid ei profiteretur. Tunc illa: Gratias tibi ago ſancte pater, vtcunq; præualeo, per eum qui ſedet ad dextram tuam, quòd tam premagnifica dona à tua largitate accepi: quod certo recognoſco nullam vnquam potentiam hoc præualuiſſe, niſi ſolummodo tuam diuinam potentiam, quę omnia creata ſua vegetat virtute. Hinc duxit eam ad ſpiritum ſanctum, vt etiam profiteretur ipſius bonitati. Tunc illa: Gratias ago tibi ſpiritus alme paraclete, per eum qui te cooperante humanatus eſt in vtero virginali: quod ita ſuauiter in benedictionibus tuæ gratuitæ dulcedinis in omnibus me indignam præueniſti, quod certa ſum, nullam hoc vnquam

Gratiarum actio ad Deum patrem.

Gratiarum actio ad ſpiritum ſanctũ.

beni-

benignitatem perfeciſſe, niſi ſolummodo tuam ineffabilem dulcedinem, in qua latet à qua procedit, & cum qua ſimul accipitur omne bonum. Tunc filius Dei amiciſſimè complectens eam, & deoſculans dixit: Ergo poſt hanc profeſsionem ego ſuſcipiam te in ſpecialem curam meam ſupra omnem creaturam, qua cuiquam debeo iure creationis, & iure redemptionis, ac iure ſpecialis electionis. Hinc intellexit, quod quando aliquis ſimiliter profitetur bonitati diuinæ, confidens & cum gratitudine ſe prouidentiæ ipſius committens: tunc dominus in ſpecialem curam ſuſcipit eum: Sicut aliquis prælatus tenetur amplius poſt profeſsionem ſubdito ſuo prouidere.

Qui Dei erga ſe bonitatem profitentur eique totos ſe committunt in ſpecialem curam à Deo ſuſcipiuntur.

De affectu petitionis pro alijs.

CAPVT. LXXII.

VIce alia orans pro ſibi commendatis, & memor præ cæteris maiori affectu vnius perſonæ, dixit ad dominum: Exaudi me benigniſsime domine ſecundũ dulcedinem paterni affectus tui pro ea orantem. Cui dominus reſpondit: Ego frequẽter exaudio, quãdocũq; oras pro ea. Et illa: Quare tunc toties inclamat me cum

tam dubijs verbis,quaſi nunquam aliquã conſolationem a te recipiat, ſemper recolens vilitatem ſuam. Ad quod dominus: Hic eſt delicatiſsimus geſtus in ſponſa mea cum quo per maxime commouet affectum meum erga ſe,& conuenientiſsimus ornatus,in quo mihi placet quia ipſa ſibi in ſuo ſtatu diſplicet. Et hoc ſibi tanto plus augmentatur,quãto plus oras pro ea. ¶ Item altera vice cum oraret pro ea,adiuncta ſibi altera quadam perſona, dominus reſpondit:Propius mihi eam attraxi. Vnde magis expedit eam grauaminibus purgari ad ſimilitudinem delicatioris filiæ, quæ ob teneriorem dilectionem matri ſuæ vult aſsidere ſuper ſede matri adæquata, quam incommodoſius oportet ſedere, quam reliquas filias,quæ ſibi prope matrem proprias eligunt ſedes. Nec etiam in ipſam tam directe dirigi poterit maternæ blanditatis aſpectus, quam in eas , quæ ſedent ex aduerſo.

Sibi diſplicere eſt Deo placere.

De profectu orationis pro alijs.

CAPVT. LXXIII.

ORatura quadam vice pro pluribus perſonis diuerſiſque cauſis ſibi com miſsis,ad pedes domini Ieſu deuote ſe pro ſtrauit,& illis ſaluberrimis vulneribus pro

vt

vt deuotiſsime potuit, efficaciſsima oſcula cum feruenti deſiderio imprimens, perſonas & cauſas ſibi commiſſas domino commendauit. Quod cum faceret, vidit quaſi riuulum erumpentem de corde ipſius filij dei, & totum in circuitu locum copioſe infundentem. Vnde intellexit, quod dominus per riuulum iſtum effudit ſibi omnes effectus petitionum, quas ipſi ad pedes cõmendauerat, & dixit ad dominum: Quid tunc domine mi prodeſt illis, pro quibus oraui: cum ipſi non ſentiant effectum petitionum mearum, & ideo non credant, nec aliquam inde conſolationem recipiant? Ad quod dominus hanc ſimilitudinem adiunxit: Cum rex, inquit poſt longam guerram pacem incidit, hoc ſtatim longe manentibus non poteſt eſſe notum, vſque dum opportuno tempore eis nuncietur: Sic hi qui longius mihi manent per diffidentiam ſeu alios defectus, non poſſunt ſentire, cum pro eis oratur. At illa: Domine ſunt aliqui inter iſtos, pro quibus nunc oraui, quos, te teſte ſcio tibi non longe manere. Ad quod dominus: Verum habes ſed tamen cui rex non per nuncium, ſed per ſemetipſum ſtatuta ſua notificare voluerit, illum oportet expectare quouſque regi opportunum tẽpus videatur: Sic per memetipſum diſpo-

no

no notificare effectum orationum tuarum tempore eis magis opportuno. Hinc orauit ſpecialius pro quadam perſona, quæ ipſam aliquando moleſtauerat. Ad quod tale accepit reſponſum: Sicut impoſsibile eſt alicuius pedes tranſuulnerari ſine compaſſione proprij cordis: ſic omnino impoſsibile eſt paternæ pietati meæ effectibus miſericordiæ non reſpicere eum, qui quamuis proprijs grauatus exceſsibus, recognoſcit ſe diuinæ indulgentiæ medicamento indigere, cũ affectu charitatis ductus pro ſalute proximorum non deſinit ſupplicare.

Quàm vtile ex affectu charitatis pro alijs orare.

¶ Cũ humanũ ſit pro infirmis ſæpius orare quandoque oratura pro quodam infirmo requiſiuit à domino, quid ſibi magis placeret vt oraret pro ipſo. Ad quod dominus: Duo tantum verba deuoto corde dic pro illo. Primo ora, vt conſeruem illi patientiam. Secundo ora, vt ſingula momenta per quæ paſſurus eſt, perducam ad gratiorẽ laudem meam & ad viliorem profectum infirmi, ſecundum quod charitas ab æterno præordinauit in corde meo paterno ad ſalutem ipſius infirmi. Et adiunxit dominus Quotiens hæc verba replicaueris, totiens augebitur meritum tam tuum quam infirmi. Sicut cum pictor iterato linit picturam eo clarius lucet color ſuperlinitus.

Quomodo pro infirmis orandum.

Quomodo vtendum prælatura.

Orãs pro alio vtriuſque meritum auget.

Præ-

Prælatorum qualis debeat eſſe intentio.

ITem orans pro quibuſdam officiatis,intellexit ſæpius hoc domino magis placere in officiatis illis quibus adeſt dignitas prælaturæ,vt ſcilicet habētes ſint quaſi nō habontes,id eſt, vt poteſtate prælationis vtantur velut re ad diem vel ad horam cōceſſa,ſemper parati ſingulis horis eam reſignare:& tamen frequenter ſoliciti ſint pro vtilitate operum, quomodo laudem Dei nimis pro poſſe ſuo lucrentur, quaſi ſemper dicentes in corde ſuo: Eia feſtina, vt hoc in laudem Dei promouere non negligas,& tunc libere onus officij deponas, cum pro poſſe tuo omnia perfeceris, quæ Deo, laudabilia & proximo vtilia noueris.

Prælati ſategent vt laudē Dei & ſalutē proximi promoueant.

Orari qui pro ſe petit,effectum habet.& ſi ille neglıgit.

ORans etiam pro quodam, qui ſe orationibus ſuis tam per internuncios, quam etiam per ſeipſum nimis humiliter commendauerat & deuote, vidit dominum ſe ad ipſum, dignantiſsime inclinantem,eumque totum quodam cœleſtis hominis ſplendore circundantem, & in ipſo

ipſo lumine gratioſe infundentem ſibi omnia quæ ipſe ſperabat ſe poſſe per merita orationum iſtius obtinere. Sicque edocta eſt à domino, quod quandocunque aliquis ſe alterius orationi committit, plene confidens quod per eius merita diuinam poſsit obtinere gratiam, pius dominus indubitāter ſecundum, deſiderium & fidem ſuam benefacit ipſi, etiam ſi ille cui ſe cōmittit, neglexerit deuote orare pro ipſo.

Quid conferat alterius orationi ſe fidenter committere.

Inſtructiones pro diuerſis ſtatibus quomodo quilibet in ſua vocatione Deo placere poteſt & ſaluus fieri. Et primo de eo, qui comparatur aui nobili.

CAPVT. LXXIIII.

CVm oraret pro quodam magnum deſiderium habente, tale accepit reſpōſum: Dicas ei ex parte mei, quod ſi deſideret mihi familiaris amoris vnione coniungi, ſtudeat ad ſimilitudinem nobilis auis ad pedes meos conſtruere ſibi nidum ex racemis propriæ vilitatis & palmitibus meæ dignitatis. In quo quieſcat per iugem memoriam ſuæ vilitatis, quia homo mortalis per ſe ſemper pronus eſt ad malum, & tardus ad bonum, niſi gratia præueniatur. Mi-

Miſericordiam quoque meā crebrius pertractat, recolendo, quam paterne paratus ſim ſuſcipere poſt lapſum ad me per pœnitentiam reuertentem. Cum vero à nido ad paſcua libuerit euolare, in ſinum meum progrediatur, vbi per gratitudinem amatoriam recolat diuerſa beneficia quæ ſibi ex ſuperabundantia pietatis meæ gratis impendo. Si vero adhuc longius ſpaciando pennas deſideriorum ad altiora extendere delectatus fuerit, eleuet ſe tanquam velox aquila ſupra ſe per contemplationem cœleſtium, volitando contra faciem meā, aliſque Seraphim, auſu charitatis ſubleuatus, regem in decore ſuo ſpeculetur claris obtutibus mentis. Sed quoniam nō eſt præſentis temporis diu poſſe perſiſtere in acumine contemplationis, quæ hic vix adipiſcitur, rara hora, parua mora, preſsis iterum alis per recordationem propriæ vilitatis cō tinuo ſe demittat in nidum ſuum, ibique moretur pauſans, quouſque rurſus euolare per gratiarum actionem ad paſcua delectetur amœna, & per conſequens tanquam in exceſſu mentis culmen attingat diuinæ contemplationis. Et ſic crebro his vicibus alternatis, ſiue ingrediatur per conſiderationem propriæ fragilitatis, ſiue egrediatur per beneficiorum acceptationem, ſiue

etiam

etiam ſubleuetur per cœleſtium contemplationem: ſemper delectationes inueniat cœleſtium gaudiorum.

Inſtructio de alio, qui per tres digitos domini attrahitur.

MEmor etiam cuiuſdam ſibi deuotius commendati, qui poſt conſumptum primæuæ iuuentutis florem, tanquam ſeculo abrenuntians, ſe deinceps deuouerat domino ſub religionis habitu ſeruiturum: conuerſa ad dominum exhibuit illi cor ſuum, deſiderans vt per amorem quo illi promiſerat, ſicut in præcedentibus patet, quod beneficia diuinarum conſolationum ſuarum, quibuslibet ab ea humiliter quærentibus velut per carnalē diffundere vellet, etiam hoc nunc dignaretur perficere ad ſui metipſius ſummam laudem & prędictæ perſonæ conſolationem & vtilitatē. Statimque conſpexit cor ſuum in ſpecie cuiuſdam canalis exigi & apponi mellifluo cordi amantiſsimi Ieſu filij Dei, qui apparuit ei ſedens in ſuo regali. Tunc vidit illam perſonam, pro qua orabat, aduenientem coram domino reuerenter genua flectentem. Ad quam dominus benigne manum ſiniſtram extendens ait: Ego ſuſcipiā

illum

illum in meam incomprehenſibilem om-nipotentiam & inſcrutabilē ſapientiā dulciſsimamque benignitatem. Sicque in his verbis videbatur dominus perſonæ illi prebere tres digitos manus ſuæ ſiniſtræ ſcilicet indicē mediū & annularem. Cui illa perſona viceuerſa eoſdē digitos ſuæ ſiniſtræ manus apertæ ſuperponens, annularē ſcilicet ſuū annulari domini mediū medio, ac indicem indici domini pulchre coaptauit, quo facto dominus manū ſuā benedictā circū-uertit, ita quod digiti perſonæ prædictæ apparebant infra ſuique apparebāt eſſe ſupra. Per hoc das intelligi tres modos, per quos ſæpedicta perſona conuerſationem ſuam componere ſtudere deberet. Primo vt quādocunq; aliquod opus aggredi vellet, ſemper cum humilitate cordis diuinæ omnipotentiæ aptando applicaret profitendo ſe ſeruum inutilem: vtpote qui iuuētutis ſuæ vigorem inutiliter conſumpſiſſet, ipſi domino Deo creatori minus intendendo, deſiderans & orans, vt ex diuina omnipotentia miniſtretur ſibi virtus ad bene operandum. Secundo, vt inſcrutabili ſapientiæ Dei proteſtetur ſe indignum eſſe ad ſuſcipiendū diuinæ cognitionis influxū, eo ꝙ à pueritia ſenſus ſuos non exercuit circa diuina ſtudendo, ſed ſæpius ipſis vſus eſt

Tres modi cōuerſationis noſtræ pie inſtituendæ.

pro vanitate humana ſeu pro inani gloria, ſicque in profundiſsimam vallem humilitatis ſe demergendo, ſummo ſtudio intendat ab omnibus terrenis exoccupatus diuinæ vacare contemplationi. Et de his quibus ſuperabundauerit diuinæ liberalitatis ſuperfluuijs, ſtudeat pro loco & tempore congruenti proximis in charitate communicare. Tertio, vt cum maxima gratiarumactione acceptet, quod dominus illi ex gratuita pietate ſua bonam donauit voluntatem, per quam duo precedentia perficiuntur. Videbatur etiam dominus in annulari manus ſuæ ſiniſtræ habere annulum vilis quidem meteriei, qui habebat gemmam quãdam nobiliſsimam quaſi ignei ruboris Vnde intellexit, quod per annulum notabatur vilis conuerſatio prædictæ perſonæ, quam ipſa obtulerat Deo dum ſeculo abrenunciauit, & domino ſe militaturum deuouit. Per gemmã vero pietas diuinæ liberalitatis quæ dominum ad hoc inclinat vt ei ex gratuita pietate diuinæ liberalitatis ſuæ bonam infundat voluntatem, vt omnia opera ſua coram Deo efficiantur perfecta. Ideoq; vox id eſt intẽtio, perſonæ illius nihil aliud deberet eſſe, quam laus & gratiarumactio pro tam dignantiſsimo diuinæ liberalitatis dono. Intellexit etiã, quo

ties

ties illa perſona domino cooperante aliquã perficeret bonam voluntatem, ſtatim dominus illam in ſpecie annuli precioſi imponeret manui ſuæ dextræ, oſtendens illũ, quaſi ex hoc gloriando, omni militiæ ſuæ cæleſti, quòd tale xenium à ſpõſa ſua, id eſt, à perſonæ illius anima, recepit. Ex quo omnes ciues cæleſtes prouocati, tanto affectu ergà illam perſonam mouentur, ſicut vnquam principes erga deſponſatam regis ſui affectuoſius poſſunt affici, profitentes ſe ipſi tantum fidelitatis & affectus teneri, quantum principes electæ ſponſæ domini ſui decet exhibere, & quicquid iam triumphans in cælo eccleſia tenetur & poteſt exhibere iuuaminis eccleſiæ adhuc in terris militanti, hoc totum ſingulis vicibus adminiſtrant iſti, quotieſcunque eo modo quo prædictum eſt, à Deo fuerint prouocati.

Item inſtructio alia de nidificatione in cauerna maceriæ, id eſt, in vulnere lateris Chriſti.

ITem pro alia deuotius exorans perſona, hanc percepit inſtructionem, ſecundum quam totam ſuam componere deberet conuerſationem, vt ſcilicet nidificaret in cauerna maceriæ ſanctiſsimi lateris domini Ieſu, *Nidificatio vulnere lateris Chriſti.*

R

Ieſu,& in ſummo foraminis repauſando ſu
geret mel de petra,id eſt,dulcedinem inten
mitandus tionis de corde Ieſu deificato: Sicque ſe-
Chriſt⁹ præci cundum quòd diligentiſsime in ſcripturis
puè in tribus. ſacris conuerſationem Chriſti perpendere
poſſet,eius per omnia exempla imitari ſtu-
1. In aduer- deret,& ſpecialiter in tribus. Quorum pri-
ſis ad oratio- mum eſt,quòd dominus ſæpius pernocta-
nem confugi- bat in orationibus: vnde & ipſe in omnibus
endum. tribulationibus ſuis & aduerſis ad oratio-
nis ſemper ſubſidium confugere deberet.
2. Proximus Secundo in hoc,quòd ſicut dominus prędi
verbo, opere, cando circumibat ciuitates & caſtella: ſic
ex quolibet ipſe ſtudeat, non ſolum verbo ſed etiam in
modo ædifi- omni opere,geſtu,vel quocunq; motu cor-
cãdus per bo- poris ſui proximũ per bonum ædificare ex-
nũ exemplũ. emplum. Tertio,vt ſicut Chriſtus dominus
3. Quali in- beneficia diuerſa indigentibus impẽdit: ſic
tentione om- ipſe verbis & factis proximis hoc impendat
nes ſermones beneficium,vt quandocunq; aliquid agere
& opera no- vel loqui diſponit, ſemper tali præueniat
ſtra facienda intentione,vt in vnione perfectiſsimorum
operũ domini illud commendet ipſi ſecun-
dum ſuam laudabiliſsimam voluntatem re-
gendum ad ſalutẽ vniuerſitatis. Et poſt con
Sermones & ſummationem iterum in eadem vnione of-
opera noſtra ferat illud filio Dei ad emendandũ,ac Deo
filio Dei ad patri digne præſentandum in laudem æter
emẽdandum nam. ¶ Intellexit etiã,quòd quandocunq;
offerenda.

per-

perſona illa vellet egredi à nido iſto, vti deberet tribus palis, ſuper quorũ vno gradiendo, altero à dextris, alteroq; à ſiniſtris ſuſtentaretur. Palus itaque primus eſſe debet charitas deuota, vt ſcilicet omnes homines in charitate Dei pro poſſe ſuo libenter traheret ad Deum, & omni homini libenter prodeſſet ad laudem Dei in vnione illius amoris, quo dominus operatus eſt communem ſalutem totius generis humani. Secundus palus, quo ſcilicet vti debet à dextris, ſit humilis ſubiectio, qua omni homini propter Deum ſit ſubiectus humiliter, & ſummoperè præcaueat, ne quiſquã ſiue ſuperior, ſiue inferior, in factis aut verbis eius ſcandalizetur. Tertius verò palus, quo ſuſtentetur à ſiniſtris, debet eſſe diligens custodia, vt ſcilicet ſummo conamine ſeipſum ſic omnino immunem cuſtodiat, ne vnquã aliquam maculam cogitationibus, verbis, ſiue factis contrahat, vnde aliquam vel minimam notam offenſæ diuinæ incurrat.

Item inſtructio de alio ſignificato per thronum.

ORante etiam ea pro quadam alia perſona, demonſtatus eſt ſibi etiam ſtatus conuerſationis eius in hunc modum: Apparuit enim corã throno Dei ædificans

ſibi thronum egregium ex gemmis quadratis, vtebaturque quaſi auro puro pro cæmento, & quandoq; ſedens repauſabat ſuper thronum quem ædificabat. Aliquando verò exurgens iterum ipſum altius ædificare ſtudebat. Vnde iſta intellexit, quòd per gemmas ſignificarentur diuerſa grauamina quibus donum Dei conſeruaretur & nobilitaretur in anima hominis illius, quia electis ſuis iter aſperum in hac vita facit dominus, ne dum delectantur, in via obliuiſcantur eorum quæ ſunt in patria. Per aurum verò quo gemmæ compaginabantur, notabatur gratia ſpiritualis, quã habebat, cum qua ſemper omnia aduerſa & grauamina tam interiora quàm exteriora, plena & ſecura confidentia compaginare deberet ad profectum ſalutis. Per hoc quoq;, quòd aliquando in ipſo throno ſedendo pauſabat, demonſtrabatur quòd quandoque in fruitione diuinæ conſolationis delectaretur. Ac per hoc quòd iterum exurgens ędificabat, notabatur repetitum continuum exercitium operum bonorum, per quod ille de die in diem proficit & ſubleuatur ad profectum.

Grauaminũ vtilitas.

Cur Deus electis ſuis iter aſperum faciat.

Item inſtructio de alio, cuius vita ſignificatur per arborem. 5]

Oran-

ORanti quoque pro altera, ſtatus ipſius hoc modo ſibi reuelans eſt. Vidit enim arborem quandam valdè venuſtam ante thronum gloriæ diuinæ maieſtatis, cuius ſtirps & rami rotunda viriditate vernabant, ſed folia ipſius aureo ſplendore rutilabant, quam arborem perſona illa pro qua orabat, aſcendens quaſi quodam inſtrumento præſcidebat quoſdam ramuſculos iam areſcere incipientes, quibus præſciſis protinus de throno Dei eiuſdem coloris ramus vndique conſtipatus apparebat & ipſi porrigebatur, quem loco præſciſorum interſereret. Qui ſtatim vt apponebatur conualeſcens, producere videbatur fructum rubei coloris, quem illa perſona decerpens obtulit domino, & dominus miro modo delectabatur in ipſo. Per arborem ſiquidem illum notabantur religio, quam eadem pro qua orauit intrauerat ad ſeruiendum Deo. Per folia aurea notabantur opera bona, quæ in ordine perficiebat. quę ex meritis cuiuſdam propinqui ſui, qui ipſam ad ordinem duxèrat & deuotis deſiderijs & orationibus ſuis domino commendauerat, tāto reputabantur digniora, quanto aurum alijs præualet metallis. Per inſtrumentum autem quo areſcentes ramos præſcidebat, notabantur conſideratio defe-

ctuum ſuorum, quos recognoſcens per dignam pœnitentiam præſcidebat. Per ramũ quoque, qui ſibi porrigebatur de throno Dei ad inſerendũ loco præſciſi rami, ſignificabatur perfectio ſanctiſsimæ conuerſationis Ieſu Chriſti, quæ ſuffragantibus meritis prædicti propinqui ſui ſemper paratius quoſlibet ipſius ſupplet defectus. Per fructum inſuper quèm carpendo offerebat domino, ſignificabatur bona voluntas, quam ad emendandum defectus ſuos habebat. In qua dominus magnoperè delectatur, quia multo magis acceptam bonam voluntatem ſinceri cordis, quàm opera magna ſinę intentione pura.

Bona voluntas quàm grata ſit Deo.

Inſtructio pro perſona literata.

POſt hæc orans pro duabus perſonis ſibi deuotè commiſsis (de quarum ſtatu tamen nihil ſciebat) dixit ad dominum: Tu domine, qui corda noſti omnium, dignare mihi multũ indignæ de his duabus aliqua reuelare, quæ tuæ ſint placita voluntati, & ipſorum congruant ſaluti. Tunc dominus benignè multum propoſuit ſibi duas reuelationes paulo ante ad ſe factas de duabus alijs perſonis, pro quibus tunc orauerat, quarũ vna literata, altera verò fuerat illiterata, ſed tamẽ cõuerſa ſicut & prior, dicens

vt eaſdem reuelationes de illis factas, etiam iſtis proponeret ad inſtructionem. ¶ Et adiecit dominus: Per quinq; præcedentes & has duas ſequentes reuelationes, quilibet homo cuiuslibet ordinis vel profeſsionis poterit aliquam ſibi competentem reperire inſtructionem. ¶ Reuelatio itaq; de ſtatu prædictæ perſonæ, quę fuerat literata, talis erat. Nam cùm oraret pro ea, dominus reſpondit: Ego aſſumpſi eam cum apoſtolis in montem noui luminis. Vnde ſecundũ interpretationem nominum apoſtolorum in monte aſſumptorum perſona iſta ſtudeat componere ſuam conuerſationem. Petrus itaque interpretatur agnoſcens, ergo ſtudeat ipſa in omni ſcriptura quam legit, diligenti cõſideratione inueſtigare, vt agnoſcat ſeipſam. Verbi gratia: Cùm legit aliquid de vitijs vel virtutibus, diligenter perpendat, ſi quid adhuc in ſe de vitijs reperiat, aut quantũ in virtutibus illis profecerit. Sicq; ſeipſam perfectius agnoſcẽdo ſtudeat etiam ſecundum interpretationem nominis Iacobi, qui dicitur ſupplantator, in ſe viriliter luctãdo omne vincere vitium, & ad virtutum quæ ſibi defuerint, fideliter conari profectum. Quia verò Iohannes interpretatur, in quo eſt gratia: ſtudeat quotidiè vna ſaltem hora inter diem & noctem mane

Quomodo ſcriptura legenda.

Quotidiè animus recolligendus, ſoliq; Deo intendendus.

manè aut veſperè, vel quandocunq; magis ſibi viderit expedire, ſe ab omnibus exterioribus abſtractam recolligere intra ſe ad vacandum mihi & videndum quæ ſit voluntas mea. Et quicquid tunc inſpirauero illi, ſiue vt me laudet vel gratias agat pro beneficijs, tam ſibi quàm vniuerſitati collatis, vel vt pro peccatoribus ſiue animabus purgandis exoret, in hoc tunc ſumma deuotione ſe exerceat pro modulo ſuo, per morā quam ſtatuerat ſibi.

Inſtructio pro perſona illiterata.

REuelatio verò de perſona illiterata hæc erat. Illa itaque grauabatur pro eo, quòd ſibi videbatur habere impedimentum àb oratione ex diuerſis curis officij ſibi commiſsi. Vnde cùm oraret pro ea, tale à domino accepit reſponſum: Ego non elegi eam ad hoc, vt tantum vna hora diei mihi ſeruiat, ſed magis ad hoc vt tota die ſine vlla intermiſsione mihi aſsit, id eſt, vt omnia opera ſua cōtinuè ad laudem mihi perficiat, ea intentione qua vellet orare. Et inſuper hanc ſuperaddat deuotionem, vt ſcilicet in omnibus operibus quibus in officio ſuo laborat, ſemper deſideret quòd omnes qui vtuntur laboribus ſuis, nō ſolum reficiantur in corpore, ſed etiam attrahantur

Opera externa quomodo ab illiteratis peragenda.

tur

tur in ſpiritu ad amorem meum & confortentur in omni bono. Et hoc quotieſcunq; facit, toties quaſi ſingula fercula operum & laborum ſuorum quadam ſaporoſiſsima ſalſa mihi benè condire videtur.

Quod eccleſia figuratur per membra Chriſti, & quomodo infirma membra debemus ſanare.

CAPVT LXXV.

ITem orante ea pro quadam perſona, apparuit illi rex gloriæ dominus Ieſus: qui in forma corporis ſui præmonſtrabat ſibi myſticum corpus eccleſiæ, cuius ipſe ſponſus & caput dignatur vocari & eſſe. Nam videbatur in corporis ſui parte dextra regalibus veſtibus in diuinis ſolenniter inſignitus. In ſiniſtra verò parte corporis, nudus & quaſi totus vlceribus plenus. Vnde iſta intellexit, per dextram partem domini electos quosq; in eccleſia deſignari, qui ſpecialis gratiæ dono, & virtutum meritis à domino præuenti ſunt in benedictionibus dulcedinis. Per ſiniſtram verò imperfectos quosque, qui adhuc laborant vicijs & defectibus, figurari. Per ornamenta quoque, quibus dextra domini apparebat ornata, notabantur obſequia & bene-

ficia illá, quæ quidem ex ſpeciali deuotione impendere ſtudent illis, quos agnoſcũt ſpeciali priuilegio virtutum ſiue diuinæ familiaritatis gratia, cæteris præſtantiores. Quia quotieſcunque aliquis benefaciat electis Dei propter gratiam ipſis à Deo collatam, toties nouo ornatu videtur dextram domini perornare. Sed ſunt quidam qui libenter propter Deum benefaciunt hominibus bonis, ſed defectus malorum ſiue imperfectorum durius arguendo, quandoque per impatientiam magis lacerant, quàm emendent. Et hi videntur vlcera domini, quaſi pugnis impetere furioſe, de quibus ſanies repentino impetu expreſſa reſilire videtur in facies eorum, id eſt, arguentium, inficiens & deturbans eos. Sed benignus dominus propria pietate deuictus, amicorumq; ſuorum ſpecialium quibus benefaciunt amore prouocatus, hæc quaſi diſsimulans, reſpicit ad ornamenta beneficiorum ſpecialibus ſuis impenſorum, & cum veſte ſua dextra, id eſt, propter electorum merita, maculas illas detergit. Et adiunxit dominus: Vtinam quidam ſaltem per expreſsionem vlcerum amicorum ſuorum dignarentur addiſcere, qualiter vlcera corporis mei, ſcilicet eccleſiæ, hoc eſt, defectus proximorũ poſſent curare, vt ſcilicet primo leniter tangendo,

Electis qui benefaciunt, dextrã Chriſti ornant.

Defectus imperfectorum quomodo arguendi.

Proximus quomodo corripiendus.

gendo, id eſt, lenibus admonitionibus in charitate proximorum defectus ſtuderent emendare. Dum autem perpenderent ſe ſic non poſſe proficere, proceſſu temporis ſtuderent durius corripiendo ſanare. Sed ſunt quidam, qui de vlceribus meis, nullam videntur habere curam. Videlicet hi, qui defectus proximorum agnoſcentes, ipſos quidem ex hoc vilipendunt. Nec tamen eos corrigere aliquatenus vnico verbo ſatagunt, ne forte ipſi aliquid grauaminis incurrant, inducentes ſibi caluam excuſationem, dicendo cum Cain: Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Iſti videntur vlceribus meis tanquam quoddam imponere emplaſtrum, non quod ſanet, ſed quod potius conputreſcere faciat vulnus meum & quaſi vermibus ſcaturire, dum ſua taciturnitate defectus proximorum finiũt excreſcere, quos forte aliquibus verbis potuiſſent emendaſſe. ¶ Sunt & aliqui, qui dum defectus proximorum cauſa correctionis produnt, ſi non vident ſtatim ſecundũ ſuam complacentiam eos corripi ſeu iudicari, protinus exaſperãtur & cum indignatione proponunt in corde ſuo de cætero ſe nil prodituros, nec aliquem correcturos, dum videtur eis quod eorum verba minus attendantur: ſed non omittunt tamen

Attende hic quod læſo proximo læditur ipſe Chriſtus.

proximos ſuos in corde ſuo durius argue-re, & aliquando detractionibus obfuſcare, Nec tamen pro admonitione vel emendatione proferunt aliquod verbum: & iſti videntur vlceribus meis imponere emplaſtrum quoddam, quod foris quodammodo tumorem contegat, ſed intus quaſi igneo tridente vlcera mea pœnaliter dilacerando torqueat. ¶ Qui verò quod emēdare poſſent, quamuis non malitioſe, ſed tamē pertranſeunt incuratè: hi videntur quaſi pedes meos conculcare. Qui autem voluntatem propriam ſecundum placitum ſuum perficientes, non curant quis de electis meis ſcandalizetur, dum tantummodo ſuę ſatisfaciant delectationi: hi videntur quaſi contrectando manus meas igneis ſubulis dirè tranſpungere. ¶ Item ſunt & alij, qui prælatos, perfectos & religioſos ſyncero affectu diligunt, & vt iuſtum eſt tam verbis quàm factis reuerentur & extollunt. Diſcolos verò prę latos & imperfectos quodammodo vilipendunt, & omnia eorum facta cum impatienti corde grauius iudicando deſpiciunt. Et hi partem capitis mei dextram velut gemmis & margaritis decenter ornare, partem verò capitis mei ſiniſtram & vlceroſam (quam ſuper eos ad pauſandum reclinare deſiderabam) videntur ne-

Prælati tam mali quàm boni reuerentia proſequendi.

nequiter abijcere & pugnis inſuper immitibus impetere. Sunt etiam & alij, qui adulantur malefactis prelatorum ſiue ſuperiorum, vt vel ſic amicitias eorum acquirendo liberius propriè permittantur deſeruire voluntati. Et hi profectò videntur caput meum retrorſum pœnaliter recuruare, ac dolori meo contumelioſe inſultando in vermibus & vulneribus capitis mei quodammodo delectari.

Qualiter debemus nos habere ad prælatos noſtros.

CVm ergo dominus Ieſus per iam dictā reuelationem videatur ſibi eccleſiam ſic appropriare, quaſi boni ſint dextra pars corporis ſui, deteriores verò pars ſiniſtra: quilibet Chriſtianus ſummoperè inuigilare debet, qualiter congruum miniſterium ſano ſiue infirmo membro Chriſti exhibeat. Valdè enim abominabiliter videretur facere, ſi quis vlcera amici ſui pugnis contorqueret, ſiue venenatis emplaſtris foueret. Aut caput ſuum ſuper ſe inclinatū deijceret vel deorſum torqueret. Similiter quilibet abhorreſcat in animo ſuo, ſi domino Deo creatori & redemptori ſuo tam inhumana crudelitate ſe conſiderat aduerſari magis quàm deſeruire, & elaboret ſic

mores ſuos temperare, vt fideliſsimo remuneratori ſuo in omnibus pro modulo ſuo videatur magis prodeſſe quàm obeſſe, vt ſcilicet perfectioribus ad laudem Dei beneficia quæcunque poſsit, impendat, quibus in bonis promoueantur. Et imperfectioribus omnem quam poſsit exhibeat curam, quo emendentur. Et inſuper prælatis ſuis deuoto affectu ſubiectus ſit in omnibus bonis obediendo & obſequendo, & defectus eorum dignè ſupportando. Nec tamen illis in factis culpabilibus aduletur. Et quæ non poteſt verbis corrigere, continuis deſiderijs & orationibus intimis ad Deum fuſis conetur pro poſſe ſuo fideliter emendare.

Spiritualis participatio quid conferat.

CAPVT LXXVI.

CVm alia quædā perſona ſibi deuotius eſſet commendata: ipſa more ſibi ſolito dum venit primo ad orationem ſuā, deſiderabat obtinere à domino, vt eandē participem faceret omniū quæ per ſe (licet indignā) ipſe dominus dignaretur operari in vigilijs, ieiunijs, orationibus, cæteriſq; operibus pietatis. Cui reſpondit dominus: Ego certè communicabo illi omnia beneficia,

quæ

quæ incontinens diuinitatis meæ dignatio in te gratuite operatur, & operabitur vſque in finem. Ad quod illa: Cum vniuerſa eccleſia tua ſancta particeps ſit omnium, quæ tam in me & per me quàm etiam per alios electos tuos operari dignaris, quid tunc iſta perſona ſpecialius ex hoc à pietate tua debet recipere, quod ego eam ſpeciali affectu participem deſidero fieri beneficiorum omnium a te mihi collatorum? Reſpondit dominus: Ad ſimilitudinem ſicut cum aliqua puella nobilis quæ ex margaritis, & gemmis artificioſe componere ſcit ornamenta diuerſa, quibus tam ſe, quã ſororem ſuã exornat, ipſaq; patri ſuo, ac matri omnibuſque domeſticis gloriam acquirit, & honorem. Attamen ipſa, quæ ſemet monilib9, & armillis exornat, quæ ſibi præparauit, maximum obtinet vulgi fauorem & laudem, & per conſequens etiam ſoror ipſius prædilecta quam ſibi ſimilibus ornamentis decorauit, etiam ſi non tam per omnia exquiſitis: maiorem habet gloriam quã ceteræ ſorores ipſius, quæ ſimiliter non ſunt ornatæ: Similiter etiam licet eccleſia participet ex ſingulis beneficijs cuilibet fidelium impenſis, tamen ille qui accipit illa maximũ profectum habet, & cõſequenter ille cui ipſe ſpeciali affectu deſiderat ea

com-

communicare,etiam maiorem exinde conſequitur fructum & profectum. ¶ Tunc illa præpoſuit domino quod hæc eadem perſona,quæ ſæpi⁹ piæ memoriæ D.Mechtildem in ſua infirmitate recreauerat de ſuis expenſis,tamen mœſta querularetur, ſe minus obſequij ipſi impendiſſe.Et inſuper etiam doleret pro eo quod rarius cũ ea locuta fuiſſet de ſalute animæ ſuæ, eo quod ſemper timebat eam impedire.Ad ꝙ dominus reſpondit: Ex bona voluntate qua ſæpius hilari liberalitate benefecit electæ meæ,& libenter feciſſet plus, ipſa adhuc quotidie ſeruit mihi ad menſam:ſicut princeps illuſtris domino ſuo imperatori. Ego enim delector in omnibus quibus ipſa electæ meæ ſeruiuit miniſtrando illi vires per beneficia quæ illi impendit in cibo potu & ſimilibus, nec non in omnibus cogitationibus verbis & factis,quibus vnquam ſe ad promouendam ipſam electam meam in quibuſcunque neceſſarijs commouit. Sed defectum illum quem ſe habere querulatur ex hoc,quod rarius cum ea loquebatur, ego ipſe ſupplebo illi more ſponſi amoroſi,qui videns ſponſam tenere delicatam ex verecundia quandocunque aliqua quæ multum deſiderat,non audere expoſcere, ipſius verecundiæ condeſcendens,

dens quandoque donat duplum, quod illa deſiderauerat ſimplum. Sic ego omnem defectum illum ſupplebo per memetipſum. Inſuper propter congratulationem qua deuoto corde congaudet electæ meæ in omnibus beneficijs à me ſibi collatis anima ipſius eternaliter in ſe recipiet in cœlis cum inæſtimabili delectatione, reſplendorem omnium beneficiorum meorum ab anima illius ſponſæ meæ, quam incomprehenſibilis fulgor diuinæ claritatis meæ dirigit in illam. Quia ſicut ſol fulgens in aquam dat ſplendorem in parietem: ſic ſplendor beneficiorum meorum refulgens in animabus eorum, quos ſpecialibus beneficijs præueni in terris, in benedictionibus meæ diuinę dulcedinis æternaliter ſplendorem dabit in animas eorum qui ſpirituali congratulatione congaudent ipſis, imo tanto differentius, ſicut purum ſpeculum diſtinctius imaginem oppoſiti ſui repræſentat.

De profectu tentationis.

CAPVT. LXXVII.

PRo quadam perſona tentata dominum exorans, tale accepit reſponſum. Ego tentationem illã immiſi, & permitto ei ad hoc vt talem defectum ſuum recognoſcẽs

& dolens, dolendoque deuincere ſtudens, nec præualens, humilietur: & per hoc alij eius defectus quos non recognoſcit, corã oculis meis ex parte deleantur: ſicut contingere ſolet hominibus, qui dum vnam maculam euidentiorem in manibus ſuis conſiderant, manus totas obluunt, ſicque & ab alijs ſordibus muudantur, quas nequaquam abluiſſent, ſi per illam euidentiorem compulſi in fuiſſent.

Quam acceptum ſit Deo, ſæpe communicare.

CAPVT. LXXVIII.

QVædam perſona exigente zelo iuſtitiæ quandoque commouebatur aduerſus quaſdam alias, quas ipſa apud ſe iudicabat minus paratas vel deuotas, ſæpius tamen ad contionem accedere. Et hoc quandoque palam ipſis opponens, quaſdam verbis ſuis fecit puſillanimiores ad communicandum. Pro qua dum iſta orãs dominum interrogaret, qualiter ipſe hoc in ea reputaret, Dominus reſpondit: Cum delitiæ meæ ſint eſſe cnm filijs hominum, & ego hoc ſacramentum ex magno affectu in meam commemorationem retractandũ & ſedulo ſuſcipiendum reliquerim: inſu-

per hoc me cum fidelibus remanſurum vſque ad conſummationem ſeculi obligauerim: quicunque aliquem (qui non ſit in mortali peccato) verbis vel ſuaſionibus retraxerit, ille quodammodo meas delitias (quas in his habere poſſem) impedit vel interrumpit, ad ſimilitudinem cuiuſdam ſeuerioris prædagogi, qui filium Regis durius compeſſeret vel retraheret à conſortio, & collocutione coætaneorum ſuorum ignobiliorum vel pauperiorum (de quorum conſortio filius Regis multum delectaretur) eo quod iudicaret iuuenculo ſuo magis congruere quod regali frueretur honore, quam cum pila vel conſimilibus luderet in platea. Tunc illa: Domine ſi homo ille proponeret iſtud de cætero cauere, nũquid tu illi ignoſceres, quicquid hucuſque in illa cauſa deliquit? Reſpondit dominus: Non ſolum ipſi demitterem, ſed etiam in tantum hoc ab eo acceptarem, ſicut, filius Regis acceptaret à pædagogo ſuo, ſi cum ſerena blanditate reduceret ſibi coætaneos ſuos prædilectos ad ſecum ludendum, quos paulo antea cum dura repulerat ſeueritate.

De

De modo Zelum exercendi.

CAPVT. LXXIX.

In exercendo Zelo tria obſeruanda.

CVm oraret pro quadam perſona, quæ inde grauabatur quod timebat ſe culpam quandoque incurrere coram Deo, ex eo quod moleſtius ferret negligentias quorundam, quorum exemplo timebat minui religionis & diſciplinæ profectum: his verbis a magiſtrorum optimo eſt inſtructa: Si quis deſiderat vt zelus ipſius mihi ſit laudabiliſsmum ſacrificium, & animæ ſuæ vtiliſsimus profectus, tria debet ſummopere curare. Primum eſt, vt perſonæ illi, cuius negligentias perſequitur, cum humanitas ſeu indigentia exigit, ſereniorem exhibeat vultum, & ſecundum ſuam exigētiam verba & opera charitatiua. Secundum eſt, vt caueat ne in aliquo loco recitet illas negligentias, vbi nullam ſperat emendationem, ſiue illius perſonæ quæ culpabilis eſt, ſiue aliarum audientium cautelam. Tertium eſt vt ſi quid conſcientia ſua ſibi dicit emendandum in aliquo, hoc nullo amore humano reticiat: ſed pure ad laudem Dei, & animarum ſalutem quæratq; occaſiones, quomodo charitatiue & proficue defectus poſſit deponere. Et tunc certe remunerabitur ſecundum laborem, non ſecundum profe-

ctum

ctum, Quoniam ſi nullus ſequitur profectus, hoc profecto non ſuum, ſed aliorum ſibi non conſentientium, ſeu contradicentium erit dámnum. ¶ Item orans pro duabus perſonis verbis adinuicem contendentibus, quarum vni videbatur, quod ipſa iuſtitiam defenderet. Alteri vero videbatur, quod charitatem proximorum promoueret. Reſpondit dominus: Cum benignus pater videt paruulos ſuos coram ſe ludentes & iocoſe contendentes adinuicem, quandoque diſsimulat & ridet. Si autem vnum aduerſus alterum durius inſurgere conſpexerit. repente conſurgens acrius corripit delinquentem: Sic ego pater miſericordiarum interim quod eas bona intentione leuius video contendere, diſsimulo quidem, licet magis acceptarem quod integra pace cordis ambæ fruentur. Sed ſi aliqua earum contra alteram durius egerit, certe virgam paternæ iuſtitiæ ſe corripientem effugere non valebit.

De futura vtilitate orationis.

CAPVT. LXXX.

ALia quædam perſona frequentius cauſabatur, ſe nullum ſentire profectum ex oratione pro ſe orantium. Quod iſta pro-

proponens domino, requiſiuit cauſam ab eo. Cui reſpondit dominus: Interroga ipſam quid vtilius iudicet fratrueli ſuo vel alteri cuiq̃ parentum ſuorũ cui multũ deſideraret beneficiũ alicuiꝰ eccleſiæ concedi: vtrũ hoc quod eccleſia concederetur ipſi, aut quod precium eccleſiæ totum inſimul puerulo adhuc ſtudenti præſentaretur, & quid cũ argento ageret ſi proprio arbitrio pueri relinqueretur. Et cum ſecundum humanam rationem non poſsit aliter reſpõderi, quin vtilius ſit pucro conceſſum beneficium eccleſiæ, ex qua cũ ad annos diſcretionis ſuæ peruenire, poteſt multis bonis abundare q̃ precium ꝙ more pueruli inutiliter expenderet, & poſtea ſicut & antea miſer & inops egeret. Ergo confidat de mea pietate diuina & ſapientia (qui ſum pater frater & amator ipſius) ꝙ multo ſoliciti us & fidelius procuro & diſpono omnem profectum animæ & corporis ipſius, quam ipſa alicuius conſanguinei ſui vtilitatem, & quod certe factum omnium orationum & deſideriorum ad me pro ſalute ſua fuſorum diligentiſsima fideli: à te conſeruem ipſi vſque ad tempus idoneum & prædeſtinatum: & tunc omnia ſimul infundam ei, cum nullius poterunt importunitate infici vel minorari. Et hoc lon-

ge ſibi ſalubrius credat, quam quod ſtatim poſt alicuius orationem pro ea factam infunderem, ipſi aliquam ſuauitatem, quam forte vana gloria obfuſcaret, vel ſuperbia exiccaret, vel etiam quod proſperitatem ipſi concederem terrenam, quæ poſſet ipſi occaſio fieri diuerſorum peccatorum.

Proſperitas terrena occaſio diuerſorū peccatorum.

De profectu obedientiæ.

CAPVT LXXXI.

DVm hebdomadari a ad matutinas capitulum legeret, cordetenus reuelatum eſt illi quod illa hoc faceret propter præceptum regulæ ſuæ, quæ dicit quod lectio illa memoriter ſit recitanda & ideo talemeritum per hoc acquireret, quaſi tot perſonæ pro eo orantes ſtarent in conſpectu Dei, in quot verbis ipſa laborauerat cantãdo. Hinc intellexit, quod in extremis ſecundum Bernardum homini an xiq qua ſi opera ſua dicunt. Tu nos egiſti, opera tua ſumus nos te non deſeremus, ſed ſemper, tecum erimus, & tecum ad iudicium pergemus. Tunc Deo propitio omnia opera obedientiæ in ſimilitudine perſonarum honorabilium, conſolabuntur eũ & interuenient pro eo ad Deum, ita, quod ꝗlibet, bonum

bonum opus ex obedientia, recta intentione perfectum, obtinebit homini indulgentiam alicuius negligentiæ. Et hoc erit magnum releuamen homini agonizanti.

De commendatione hebdomariæ legentis Pſalterium.

CAPVT LXXXII.

ITem alia hebdomadaria lectura pſalterium ſtatutũ pro congregatione, rogauerat iſtam pro ſe orare. Quod cum faceret, vidit in ſpiritu filium Dei habdomadariam illam ſecum aſſumentem ante thronum Dei patris & orantem patrem ſuum cœleſtem, vt intentionem fidelitatis amoris illius quo ipſe filius Dei deſiderauerat laudem Dei patris & ſalutem humani generis, daret illi perſonæ in adiutorium & obtentum omnium deſideriorum horum. Et cum hoc oraſſet filius ſummi patris, videbatur ilico perſona eadem pro qua orauerat, ſimilibus quibus ipſe, veſtibus decorata. Vnde ſicut filius Dei dicitur ſtare coram patre, ipſum placando pro eccleſia: ſic & iſta perſona in ſimilitudine Heſter reginæ ſtabat coram domino Deo patre cum filio ſuo pro populo, ideſt, pro congregatione ſua ſupplicatura. Cumque in tali ſta-

tu debita pſalterij ſui perſolueret, pater cæleſtis ſingula verba duplici modo acceptabat ab ea: Videlicet, ſicut dominus aliquis acceptat à fideiuſſore quòd pro debitoribus ipſe perſoluit debita, & ſicut à procuratore ſuo gratificat, quòd defert ei nummos amicis ſuis chariſsimis diſtribuendos. Videbatur etiam dominus ſæpedictæ perſonæ præſtare omnia quæ ipſa deſiderabat congregationi orationibus ſuis obtinere, & eandem etiam ſtatuere coram ſe ad porrigendum cæteris de congregatione, quandocunque aliqua accederet pro eiſdem petitura.

De vtilitate ſubiectionis, & cur Deus defectus permittat in nobis.

CAPVT LXXXIII.

CVm oraret pro vno defectu cuiuſdam magiſtratus ſui, vt dominus ipſum emendaret: tale accepit reſponſum: An neſcis quòd non ſolùm illa perſona, ſed omnes qui præſunt huic mihi dilectæ congregationi, non carent aliquibus defectibus: cùm nullus homo poſsit eſſe in hoc ſeculo, qui omnino careat defectu, hoc me permittente ex abundantia meæ diuinę pietatis & dulcedinis, & dilectionis, qua cogregatio-

De grauaminibus, & quomodo à defectibus liberari poſſumus.

CAPVT LXXXIIII.

ITem orans pro quadam perſona grauata, tale accepit reſponſum: Noli diffidere, nullo modo permitto electos meos grauari ſupra id quod poſſunt, & ſemper aſſum eis modū ponderando, & ſicut mater cùm paruulū ſuum calefacere vult ad ignē, ſemper tenet manū inter ignem & paruulū. ſic ego cùm ſcio congruere, vt electos meos purgem per tribulationē, non facio hoc ad eorum conſumptionem, ſed potius ad probationē & ſalutē. Hinc orās pro quadā perſona, quā vidit in defectu, ex deſiderio, inter cætera dixit: Domine cùm ego licet minima creaturarū tuarum, tamē ad laudē tuam orem pro homine iſto, & cum tu tam omnipotēs ſis, quòd omnia preualeas, quare nō exaudis me? Reſpōdit dominus: Sicut ex omnipotentia omnia prçualeo: ſic ex inſcrutabili ſapiētia mea omnia diſcerno. Nec aliquid perficio, quod nō deceat: Sicut rex terrenus habens potentiā tam viriū quàm voluntatum, quando habere libenter vellet ſtabulum ſuum purgatum, ipſe tamen hoc nullo modo manibus ſuis facit, quia non deceret: Sic ego nullū couerto à malo

in quod propria voluntate incidit, niſi ipſe ſibimet vim inferens, voluntatem mutet, & exhibeat ſe mihi amabilem & decentem.

De ſuppletione defectuum ſub diuinis.

CAPVT LXXXV.

COnſiderans quandoq; vnã perſonam ſub matutinis circuire chorũ, & commouere alias ad aliqua obſeruanda, in quibus aliquando ex obliuione fiebat confuſio in diuino officio, requiſiuit à domino qualiter tale ſtudium à quoquam acceptaret. Cui reſpondit dominus: Quicunque ad laudem meam ſtudet in diuinis negligentias præcauere, & alios etiam ad idem pręmonere, pro illo ego ſuppleo, quicquid ipſe neglexerit in debita deuotione & intentione.

De oblatione grauaminum.

CAPVT LXXXVI.

CVm oraret pro quadam perſona. quæ grauabatur propter infirmitatem cuiuſdam familiaris ſuæ, quam timebat in breui amiſſuram, his verbis inſtructa eſt à domino: Cùm homo timet amittere vel amiſit

ſit aliquem amicum dilectū, in quo habuit non ſolū amicitiæ conſolationem, ſed etiā exhortationem ad animæ profectum: ſi illud grauamen quod cor ſuum inde ſentit, offert mihi cum integra voluntate, ita quòd etiam ſi benè poſſet amicum illum retinere, ſponte vellet eo carere ad laudem meam, eligens magis vt voluntas mea in hoc perficiatur quòd amicū perdat, quàm quòd voluntas ſua in hoc perficeretur, vt amicum reſeruaret. certus debet eſſe, qui vna ſaltem hora cor ſuum flectere poteſt ad talem voluntatem, quòd poſt illam horam ſemper benignitas mea conſeruat illam oblationem in ea nobilitate & perfectione, ſicut in illa hora iuit in corde ipſius. Et omne grauamen quod poſt ea ex humana fragilitate ſuſtinet, cooperatur illi in profectum æternæ ſalutis: intantum quòd ſingulæ cogitationes cor ipſius grauantes, vt ſcilicet dum cogitat illam & illam conſolationem, vel adiutorium, vel alleuiationem, nunc habere poſſes in illo homine, quo nunc te oporteret carere: tales, inquam, & conſimiles cogitationes ex humana fragilitate hominem aggrauantes, poſt ſupradictam oblationem talem habent effectum in anima, quòd in ea præparant locum diuinæ conſolationi: quia

ego veraciter volo animæ ipſius tot conſolationes infundere, quot cogitationes grauantes ſe poſt oblationem ſupradictam permiſit in cor ſuum venire. Et hoc quaſi ex neceſsitate propria coactus bonitate indubitanter volo facere, ſicut artifex operi ſuo (quod ex auro argentove facit) tot gemmas tenetur imponere quot ciſtellas ad modum gemmarum in ipſo prius adaptauit. Conſolatio itaque mea diuina adæquatur gemmis, quia quædam gemmæ dicuntur habere vires. Similiter quibus diuina conſolàtio quam homo comparat tranſitorio grauamine, tantæ virtutis eſt, quòd nullus vnquam homo tam magnum in hac vita potuit dimittere, cui diuina conſolatio mea centuplum non reſtitueret in hac vita, & milleplicatum in vita futura.

De neuo virginitatis.

CAPVT LXXXVII.

ALtera vice orans pro quadam quæ nimis deſiderabat meritum virginitatis habere coram domino: & tamen timebat ſe ex humana fragilitate aliquomodo quādoque neuum incurriſſe: apparuit eadem perſona inter amplexus domini niueis veſtibus

ſtibus induta, quæ decentibus erant compoſitæ plicis. Vnde & his verbis à domino eſt inſtructa: Cùm ex humana fragilitate virginitas aliquem neuum contrahit, & inde homo ad veram pœnitentiam peruenit, benignitas mea hoc animæ quaſi ad compoſitionem tribuit, quòd maculæ illæ in virginitate compoſitæ apparent, ſicut plicæ in veſtimento. Attamen cùm ſolui non poſsit ſcriptura quæ dicit: Incorruptio proximum facit eſſe Deo, hæ eædem maculæ ex tam magnis peccatis contrahi poſſent, quòd ex parte ſuauitatem diuini amoris impedirēt: ſicut multiplicitas veſtiū aliqualiter diſtinguit ſponſam ab amplexibus ſponſi.

De impedimento proprij ſenſus.

CAPVT LXXXVIII.

Item dum oraret pro quadam, quæ deſiderabat gratiam diuinæ conſolationis adipiſci, tale à domino accepit reſponſum: Iſta ſibijpſi impedimentum eſt quòd non poteſt ſuauitatem gratiæ meæ ſuſcipere. Quia cùm ego electos meos attraham mihi quaſi per vaporē amoris intimi ſaporis, obſtinatus quiſq; in ſenſu proprio, tale ſibi impedimentum facit, quale feceratille

qui veſte naſum obſtrueret, ne caperet aromatum fragrantiam ſuauem. Sed qui cauſa amoris mei proprio ſenſui abdicando, alienum ſequitur ſenſum, eius meritum tanto magis cumulatur, quanto grauius contra ſeipſum facit: quia in hoc non ſolum eſt humilitas, ſed etiam victoriæ virtus. Vnde dicit Apoſtolus: Nemo coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.

Quòd voluntas acceptatur pro opere.

CAPVT LXXXIX.

ORans etiam pro quadam quæ multũ grauabatur ex quodam labore ſibi iniuncto, hoc à domino eſt edocta reſponſo: Si quis propter me aggredi voluerit aliquẽ laborem grauem, in quo tale timet incurrere impedimentum, quo deuotionis conqui ritur detrimentum, & tamẽ poſtponit propriæ animæ vtilitatem, vt meam perficiat voluntatem: huius hominis piam intentionem ego tanti reputo, quòd ipſam ſolam ſuſcipio quaſi pro opere perfecto, quamuis fortè nunquam ad hoc veniat, vt hoc opus ſaltem incipiat: quod tamen habet coram me talem fructum, ac ſi omnem laborẽ perfecerit, & nullam vnquam negligentiam interea contraxerit.

Quòd

Quòd exteriora non debent præferri interioribus.

CAPVT XC.

HInc pro alia perſona exorans, quæ ſæpius grauabatur ex quibuſdam cauſis ſuo conſilio diſpoſitis, tale accepit reſpóſum: Ego per grauamina expurgo negligentiam illam, qua cauſa illa humanius ſentiendo, aliqualiter exteriorum vtilitatem prætulit profectui interiorum. Ad quod iſta: Cùm non poſsimus ſubſiſtere abſque ſubſidijs exteriorum bonorum, quid hæc commiſit, illa prouidendo ad quam ſpecialibus hoc reſpicit. Reſpondit dominus: Puellæ nobilis honor & decor eſt, pelles varias habere ſub pallio: quæ ſi eas verteret exterius, quòd prius ceſſerat honori eius & decori, hoc tunc cederet econuerſo dedecori & confuſioni. Vnde mater filiæ non ſufferens deriſionem, ſi non poſſet aliter, ſaltem alio deſuper eam contegeret amictu, ne reputaretur inſana: Sic & ego diligens tenere hanc filiam meã, talem eius contego defectum per diuerſa grauamina, quę ſæpius ex eadẽm cauſa permitto ei euenire ſine ſua culpa. Et inſuper per patientiam ſpeciali eam ornatu perorno. Nam primo (id eſt, principaliter) in

euangelio quærendum eſſe mandaui regnum Dei & iuſtitiam eius, id eſt, profectum interioris hominis. Et hinc exteriora, non quidem ſecundario quærenda, ſed adijcienda potius repromiſi. Pondus verbi iſtius magnoperè perpendat quilibet religioſus, qui ſpecialis Dei deſiderat eſſe amicus.

LIBRI TERTII FINIS.

INSINVATIONVM DIVINAE PIETATIS LIBER QVARTVS, SALVTIferas continens eruditiones & exercitia totius anni ſacris diebus applicabilia.

ARGVMENTVM IN LIbrum quartum.

QVartus hic Liber reuelationes habet aliquot ſaluiferas, quæ legentem ad Christianam erudiant perfectionem. Habet præterea, quibus modis quibusve exercitiis tam Christum quàm eius ſanctos, precipuè ſuis in feſtiuitati-

nitatibus iuxta morem eccleſiæ orthodoxæ (quæ eaſdem ferias instituit) colere debemus ab honore. Quomodo item per ipſum mediatorem noſtrum dulciſsimum, quicquid ſiue pro nobis, ſiue pro alijs, petendum eſt, facile obtinere: quicquid nobis defuerit, copioſe ſupplere: atque ex eiuſdem vitæ paſsionisq; diuitijs noſtram inopiam valeamus ditare. Poteſt autem his exercitijs non modo in feſtis ipſis, quibus inueniuntur aſſcripta, verum etiam indifferenter omni tempore vti anima deuota pro ſua aliorumque ſalute. Ex quibus etiam facilè poteſt aduerti, cæremoniarum vſus atque cultus eccleſiaſticus vniuerſus quàm ſit Deo acceptus. Quod verò quædam hic per ſimilitudines deſcribuntur & imagines, inde eſt, quòd licet ipſa virgo ſancta plenè fuerit luce cognitionis diuinitus illuſtrata, non potuit tamen eadem quæ ipſa intellexit (vtpote ſpiritualia) aliter exprimere aut noſtro intellectui vt caperentur, congruè monſtrare, niſi per parabolas & ænigmata: quemadmodum & in euangelijs factum eſſe conſtat. Nam de his quæ in exceſſu mentis conſtituta abſque cuiuſuis ſimilitudinis inuolucro non raro fuit experta, vix aliquid potuit verbis explicare. Exbibet autem hic liber, quemadmodum reliqui omnes, miram diuinæ dulcedinis fragrantiam, qua electos ſuos adeo tenerè diligit Deus, adeo ſapienter gubernat, adeoque clementer reuocat errantes,

redeuntes denique ad ſe trahit & ſuſcipit: oſtendens electorum ſuorum votis nunquam diuinam ſuam deeſſe prouidentiam, imò quæ deſunt eis, ex meritorum etiam ſuorum theſauro ſupplere.

QVA DEVOTIONE NOS AD FESTA PRAEPARARE *debemus, & Dei dulcedinem commouere.*

CAPVT I.

IN nocte vigiliam ſacratiſsimę natiuitatis domini præcedente, dum hęc ſponſa bonam noctis partē ante matutinas duxiſſet inſomnem & ruminādo verba Reſponſorij [illius ſcilicet: De illa occulta, &c. multum delectaretur, rapta in ſpiritu recognouit, dominum Ieſum in ſinu Dei patris ſuauiſsima quadam tranquillitate quietiſsime accubantem. Ad quem omnium perſonarum feſtum inſtans, cum deuotione percolere intendentium in ſimilitudine cuiuſdam vaporis, dirigebantur deſideria Dominus autem Ieſus totus floridus & delicatus, de corde ſuo diuino in omnes vapores illos ſplēdorem mirificum immittebat, quo quidē ſplēdore parabatur ipſis.

Ipſis via ad ipſum veniendi. Per quam dum ſingulæ accederét ad Deũ, intellexit quòd illi, qui ſe aliorum orationibus humiliter commendauerant, quaſi quibuſdam manibus ducentium ſubuecti, ac ex vtraque parte vallati, ſine omni errore recto tramite ad dominum in ſplendore cordis ſui diuini properabant. Illi verò, qui proprijs ſtudijs & orationibus ſuis confiſi, feſtum deuotè percolere nitebãtur, quandoq; extra viam calcantes errore itineris impediebantur. Quandoq; verò ad viam reuertentes accedebant ad Deũ in lumine ſibi diuinitus miniſtrato. ¶ Cumq; illa multũ ſcire deſideraret, qualiter pietas diuina dignaretur ſe inclinare ad ſorores ſingulas, recognouit ſubitò omnes in ipſum paternæ ſuauitatis accubitum translatas ad Dei filiũ, & quamlibet pro deſiderio ſuo & capacitate in ipſo delectari. Nec quæquam ab altera poterat impediri, ſed quælibet tã pleno affectu fruebatur Deo pro deſiderio ſuo, tanquã ſe dominus ipſi ſoli preberet. Quædam enim ipſum complectebantur velut tenellũ infantulum pro nobis incarnatũ: Aliæ tanquam amicũ fideliſsimũ, cui omnia ſecreta cordis ſecuriſsimè pãdere poſsẽt, ſe ad ipſum habebant. Aliæ verò tanquam ſponſo florido vnitæ ex millenis millibus electo ſecundum

Vtile eſt aliorum orationibus ſe commendare.

omne cordis ſui delectamentum ipſi blandiebantur. Et ſic ſingulis pro delectamento proprij affectus dabatur in ipſo feliciter iucundari. ¶ Tunc iſta accedens more ſibi ſolito humiliter procidit ad pedes domini ſui dicens: Et quæ nunc amantiſsime domine mi, eſſe poterit præparatio mea, vel quid potero beatiſsimæ matri tuæ in feſto iſto ſanctiſsimi partus exhibere obſequij, quæ etiam horas eius (ad quas voto religionis aſtricta ſum) ex infirmitate corporis perſoluere omiſi? Tunc dominus benignus inopis ſuæ miſertus, videbatur, ſingula verba quæ ipſa ad laudem Dei & lucrum animarum alicui ſiue dicendo ſiue expediēdo per Aduentum fuerat locuta, blādè offerre ſuæ dulciſsimæ matri ſiue mirificè aſsidēti in gloria, in ſupplementum omniū, quibus iſta neglexiſſet eam debitis honoribus & obſequijs reuereri cum omni fructu qui ex eiſdem verbis de vna perſona in aliam, vſq; in finē ſeculi, poterit prouenire. Quod mater domini multū gratanter acceptās, miro modo exinde eſt perornata. Quam accedēs anima deuotè, orabat, vt vnigenitum ſuum pro ſe dignaretur exorare. At illa protinus materna benignitate ſerenata, ſe ad ipſam inclinabat, & deinde ſuauibus amplexibus & oſculis vnico ſuo blandiens, his ver-

verbis pro ea orabat dicens: Tuus affectus mi fili predilecte, affectui meo vnit⁹ te efficaciſsime precibus hui⁹ tuæ dilectricis inclinet. Poſt hæc iſta dilecto ſuo blandiens, his verbis ipſum alloquebatur: O dulcor animæ meæ Ieſu amantiſsime ac deſiderãtiſsime omnium charorum chariſsime. Cumque hæc & his ſimilia multiplicaſſet amatoria, dixit ad dominum: Et quem fructum hæc verba ferre poſſunt que vtilitas mea tibi efficere poteſt inſipida? Reſpondit dominus: Quid refert cuius generis ſit ſtipes vel lignum quo aromata vel pixides vngentariæ circommouentur, cum eũdẽ ſpirent odorem? Similiter cum aliquis me alloquens dicit: Dulciſsime domine, &c. quamuis ipſe qui loquitur indignum ſe re putet propria vilitate: dulcedo tamen ingenita diuinitatis meæ in ſemetipſa medullitus commota, fragrantiam miræ delectationis mihimet ipſi aſpirat & etiam in ipſum qui dulcedinẽ meã talib⁹ verbis affectuoſe inſtigat, odorem ſalutis æternæ ꝓfundit.

Vtile eſt Chriſtum blandis & dulcibus verbis compellare.

In vigilia dulciſs. Natiuitatis domini. Quomodo aduētans feſtum anima purgatur per patrem & etiam per vulnera filij, & de modo deuote pſallendi. Et quam gratanter acceptet dominus ceremonias ordinis.

CAPVT. II.

SEquenti vero die ante matutinas aliquanto tempore peruigilans, in amaritudine cordis retractabat coram domino defectum impatientiæ ſuæ, quam veſpere incurrerat ex quadam negligentia ſibi ſeruientium. Cumque audiret primum ſignũ ad matutinas pulſari, exhilarata ſpiritum laudabat dominum in ſonitu illius primi ſigni, quo prenunciabatur ſibi inſtans feſtum predulciſsimi natalis domini ſui. Et ecce pater cœleſtis blande eam alloquens ait. Ecce immitto animæ tuæ affectum illum, quem premiſi ante faciem vnigeniti mei ad purgandum mundum à peccatis ſuis (vt patuit in Zodomitis, quos omnes ipſa nocte ſanctiſsimæ natiuitatis interemptos legitis) quo & tu ab omni peccati macula, negligentiarũ neuo plene purgata digne ad feſtum inſtans prepareris. Illa vero tali dono accepto, adhuc reuoluebat in corde defectum ſuum cum mœrore, reputans ſe omnium donorum Dei valde indignam, qua ex tam parua ſibi ſeruientium negligentia ad tantam impatientiam foret delapſa. Super quo diuina miſericordia eã tali inſtruxit intelligentia. Quod, ſcilicet omnes cogitationes quibus homo cũ mœrore ſuum retractat defectum poſt digne per-

peractam penitentiam (de qua ſcriptura dixit:In quacunque hora conuerſus fuerit peccator & ingemuerit, omnium peccatorum ſuorum nō recordabor amplius) nihil aliud ſunt quam quedam habilitatio ad gratiam Dei recipiendam. Ad ſecundum vero ſignum campananæ dum ſimiliter per illud intenderet laudare dominum, Deus pater ait: Ecce iterum immitto animæ tuæ eundem affectum quem præmiſi ante conſpectum filij mei ad omnes humanæ fragilitatis emendandos defectus qui ſimiliter emendabit omnes defectus tuos, in quibus non eſt profectus. Verbi gratia: Sunt quidam defectus quos homo in ſe recognoſcens humiliatur & compungitur: & in his eſt profectus humanæ ſalutis. Et tales defectus permitto quandoque etiam amiciſsimis meis, vt per ipſos in virtutibus exerceantur. Sunt & alij defectus, quos homo recognoſcens vilipendit, & quod peius eſt, quandoque etiam pro iuſtitia defendit nec ab his corrigi conſentit. Et talibus defectibus homo maximum incurrit periculum & perpetuum damnū: à quibus anima tua nunc penitus eſt purgata. Ad tertium deinde ſignum campanæ, dum ſimiliter per illius ſenitum collaudare ſtuderet dominum, donauit ei pater cœleſtis,

cœleſtis omnes virtutes, quas premiſerat ante natalem vnigeniti ſui in corda veterũ patrum, ſcilicet patriarcharũ, ꝓphetarum, aliorumq; fideliũ ſuorũ ad exoptandũ aduentũ eius deſiderabilẽ. ſ. humilitatẽ, deſideriũ, cognitionẽ, amorẽ, ſpẽ, & ſimilia quibus & ipſa digne preparata præſens ꝓcoleret, feſtum. Sicque his & alijs virtutibꝰ dominus ipſam decenter componens velut ſtellis mirifice radiantibus perornauit, & ſtatuit eam coram ſe dicens: Quid potius eligis ò filia, an vt ego ſeruiã tibi, vel vt tu mihi ſeruias? Habebat. n. duos modos diuinæ fruitionis. Vnũ videlicet, quo ita totaliter per exceſſum mẽtis ferebatur in Deũ, quod de illa fruitione ꝑpauca reſpectu veritatis ad vtilitatem proximorũ enarrare potuit. Aliũ vero modum, quo ſenſus per ſcripturarũ exercitationẽ exacuens domino cooperante ſpiritualis intellectus fruebatur mirabili ſapore & delectatione tanq̃ preſentaliter facie ad faciẽ colluderet domino (ſicut amicꝰ amiciſsimo ſuo quinq; in tabula colludit in ſecreto) Et ex his valebat aliorũ vtilibꝰ deſeruire. Et hoc erat ꝙ dominus requirẽbat ab ea, vtrũ elegeret vt ipſe ſeruiret ꝑ primũ modũ. An ipſa vellet domino ſeruire per modũ ſecũdũ. At illa nõ quærẽs quæ ſua ſunt, ſed que Ieſu domini ſui

ni ſui, potius elegit cũ labore miniſtrare ali is ad laudẽ ipſius, q̃ vacando & guſtando qnam ſuauis eſt dominus propriæ ſatisface re delectationi. Quod domin⁹ miro modo videbatur acceptare. Cumq; inchoarẽtur matutine, iſta p(deus in adiutoriũ) diuinum implorã auxilium, p(domine labia mea &c. qui verſus ter canitur immẽſam dei patris omnipotẽtiã ac inſcrutabilẽ filij Dei ſapientiã dulciſsimãq; ſpirituſſancti beneuolentiã ſalutãdo toto corde, tota anima, totiſq; viribus vnũ Deũ in trinitate & trinitatẽ in vnitate ſupplex adorabat. Deinde per quinq; verſus Pſal.(domine quid multiplicati ſunt) ad florida vulnera Ieſu accedẽs ſuauiter ea deoſculabatur. Per ſextum etiã verſum eiuſdẽ pſalmi ad pedes domini pcidens adorabat gratiaſq; agebat deuotas pro plena remiſsione omniu pecatorum ſuorum. Per ſeptimum quoq;, ad manus domini gratias agebat pro vniuerſis beneficijs ſibi vnq̃ à gratuita pietate Dei collatis. Per octauum, amatorium vulnus ſanctiſsimi lateris domini deuotiſsime ſalutabat. Per ſe cum omni creatura ad laudãdũ fulgidã ſempq; tranquillã trinitatẽ reuerẽter inclinabat. Et ad cor Ieſu accedens Illudque intimo affectu ſalutans, dominũ extollebat pro eo qđ in ipſo plenißime latent.

tent quaſi reconditæ omnes incomprehẽſibilis diuinitatis opulentiæ. ꝙ Poſt hæc ad primum verſum pſal.(venite) iterũ ad vulnus ſiniſtri pedis domini ſe proſternẽs plenam indulgentiam omnium peccatorum, que commiſit in peruerſis cogitationibus & verbis impetrauit. Ad vulnus vero pedis dextri per ſecundum verſum obtinuit ſuppletionem omnium, quę omiſit in perfectione ſanctarum cogitationum & verborum. Ad ſiniſtrum quoque vulnus domini benedicte manus per tertium verſum accepit remiſsionem omnium peccatorum, que commiſit in peruerſis operib⁹ Ad dexterum deinde vulnus manus dominicæ per quartum verſum recepit ſuppletionem dignam omnium que omiſerat in operibus bonis. Poſtremo per quintum ver ſum accedens ad vulnus lateris ſacroſanctum ſui dulciſsimi amatoris (quod abundat & ſuperabundat omnibus bonis) illud que deuote exoſculans in aqua illa roſea quam exinde produxit militaris haſta, ab omnibus maculis purgata, ſuper niuem reddebatur candidata, & ex precioſo ſanguine omnigenis eſt virtutib⁹ decorata & ex aromatico vapore exinde prodeunte intracta eſt ipſi fonti totius boni. Sicque (Gloria patri) vt ſupra ad laudem & gloriam

am ſuper venerãdæ trinitatis decãtans. (Si cut erat) per Ieſu cor terminabat, quod totius diuinę influxionis eſt contentiuum Per Inuitator, etiam ſcilicet hodie ſcietis (quod quinquies cum venite canitur & poſtea bis repetitur) accepit à Deo patre purgationem ſeptem affectionum ſuarum, qua ex adiunctione ſanctiſsimarum affectionum Ieſu Chriſti miro modo nobilitabantur. Sub pſal. vero reliquis, aſtitit corã domino in veſtitu ſplendore virtutum qua ſi ſtellis coruſcantibus perornato. ¶ Et hic cum deſiderium ſuum extenderet in Deum, orans vt in gloria dulciſsimi natalis Ieſu omnia que tam in corporalibus quam in ſpiritualibus exerceret, ſummam laudem ſemper venerandæ trinitatis reſonarent, dum laudes pulſarentur, dominus dixit ad eam: Sicut per ſonum campanarũ iſtarum prenunciatur feſtum natalis mei: ſic do tibi quod in omnibus que in iſto feſto perfeceris cantando, legendo, orando, meditando, ſiue etiam in exterioribus laborando, comedendo, dormiendo & ſimilibus reſonabunt ſanctę trinitati laudes in vnione deſiderij mei & amoris, quo nunquam diſcordaui à Dei patris voluntate. Dum vero ſeptem candelæ accenderentur dominus tribuit animæ ipſius ornatum

ſep-

ſeptem donorum ſpiritus ſancti quantum capere potuit, in ea dignitate ſicut dominus Ieſus ipſe eis fuit adornatus. Dum poſt hæc dominum oraret, vt p dignatione qua in diuerſorio eſt natus: etiam cor ſuum velit ſibi placite componere, vt in eo naſci dignetur, clementiſsimus dominus iterum benigne annuens, quaſi pro tecto & muris diſpoſuit in ea omnipotentiam, ſapientiam & benignitatem ſua. Inter q̃ iſta quaſi in diuerſorio miro modo iucundabatur in intimis ſuis, cum videret quaſi p omne tectum & muros ad modum delectabilium tintinabulorum depẽdere omnia opera, que p adiutorium omnipotẽtiæ, & bonitatis Dei in aliquo homine pfecta ſunt, quaſi data ſibi in adiumentum, quo Deo laudabilius hoc feſtum poſſet celebrare. Cumque tali delicioſitate velut cœleſtibus delitijs frueretur. apparuit dominus Ieſus noua dona ſupaddens, & amicabiliſsima dignatione ſe ibi collocauit cum miniſterio cœleſtium principum. Hinc cum vice omnium membrorum. ſ. cc. xxv. vicibus legeret: Laudo, adoro, &c. videbatur ipſa ſibi quaſi ad ſingulas oratiunculas ſuas introducere ſingula obſequia membrorum ſuorum in laudẽ dei. Hinc etiã videbatur, q dominus per quendam amplexum, leniſsimum omnes

ſenſus

ſenſus ipſius,tam interiores q̃ exteriores, miro modo purificaret purificandoq; reno uaret,& renouando in vnione ſanctiſsimo rum ſenſuum ſuorum effectuoſe ſanctifica ret.Cum vero pulſaretur ad Cap.iſta iterũ in ſonitu campanæ illius collaudabat dominũ,gratias agens ꝓ eo ꝙ ipſe pſonaliter dignaretur illi cap.præeſſe, ſicut etiam felicis memoriæ D.Mechtildi dignatus eſt reuelare.Vnde cognouit in ſpiritu dominum(ex deuotione,qua quamplures de cõgregatione habebant ad illud cap.deſiderium,propter iam dictam reuelationem D. Mechtildi factam)à Deo prouocatum, ꝙ quaſi cum ingenti gaudio aduentum congregationis noſtrę videbatur p̃ſtolari ſedẽs in loco dominæ Abbatiſſæ,in cuius pſona mirabiliter quodãmodo videbatur dominari & ſup ipſam mirabilius regnare in glo ria diuinæ maieſtatis ſuæ,vallatus multitudine omniũ ordinũ ſpirituũ beatorũ ſuſtẽtatus in ſolio imperiali per miniſteriũ ordi nis thronorum.Cũq; congregatio ſediſſet dominus tanq̃ præ gaudio ſe vltra cõtinere non valens,ait cum ſerena hilaritate:Ecce aduenerunt amiciſsimi mei.Hinc , cum puella legeret(Domine iube)& alia reſpõderet(In viam mandatorum ſuorum,&c.) dominus extenſa , venerabili manu benedi-

nedixit conuentum, dicens: Ego ex omnipotentia Dei patris mei his aſſenſum prebeo Puella vero proſequente (Ieſus Chriſtus filius Dei viui in Bethlehem Iuda naſcitur) omnes chori angelorum ſanctorum audientes dulciflua m natiuitatem domini Dei regis ſui prenunciari inæſtimabili gaudio repleti, ob reuerentiam ipſius ſe in terram proſternentes adorauerunt. Cumque conuentus ſe ad legendum: Miſerere mei Deus, &c. more ſolito proſterneret ſinguli angelorum corda ſibi commiſſarum perſonarum e congregatione, domino cum gaudio penetrabant. De quibus ſingulis ad vnumquodque Miſerere mei Deus, videbatur dominus accipere nexum quendã conuolutũ & reponere in ſinum ſuum. Et cum offerebantur corda domino feruentius amantium, tunc angeli de choro Seraphim miniſtrabant domino ſuſtentantes brachia ipſius & aptantes corda earum domino. Cum vero penetrabantur ipſi corda magis in cognitione Dei illuminata, tunc obſequebãtur angeli domino de choro Cherubim. Quando autem corda penetrabantur ſe plus in virtutibus exercitantium, ad hoc ſeruierunt angeli de choro virtutum. Et ſic ſinguli angelorum chori miniſtrabant domino, quando corda ſibi

ſimi-

ſimilium in virtutum meritis offerebãtur. Illarum verò corda quæ ob prædictam reuelationē ad ſpecialem deuotionē non erãt incitata, deferebantur domino per angelorum miniſteriũ: ſed in corporibus proprijs apparebant in terra proſtrata. ¶ Tunc iſta in humilitate ſpiritus acceſsit ad dominũ, offerens ei primum (Miſerere mei Deus) quòd pro perſona propria ſolet legi, dicẽs: Ecce mi ſponſe floride, ego liberè abdicens portioni partis meæ: offero tibi hoc primum Miſerere in æternam laudem, vt exinde benefacias tuis meiſq; ſpecialibus amicis ſecundum beneplacitum tuæ diuinæ pietatis. Quod munus ſibi oblatum dominus in ſimilitudine gemmæ cuiuſdã nobiliſsimæ viuæ ac perlucidæ accipiens, ipſam in medio monilis (quòd corã pectore ſuo habebat miro modo gemmis coruſcãtibus aureiſque floribus diuerſimoda varietate vermiculatum) ponebat dicens illi: Ecce hanc amoris gemmam à te modo mihi oblatam ad hoc in medio monilis illius exaltaui, vt omnes qui ſe tuis commendãt orationibus, vel ſaltem aliquo cogitatu interuentum tuum exoptant, exinde tantã conſequantur ſalutem quantam adepti ſunt Iudæi à ſerpentibus percuſsi, ex aſpectu ſerpentis ænei, quem per miniſterium Moyſi

feci in eremo exaltari. ¶ Cùm verò finitis pſalmis conuentus de venijs ſurgeret, aduenerunt duo præclari proceres, ferentes quãdam auream tabulam, quã tenentes extendebant coram domino. Tunc ſoluente domino nexus in ſinu ſuo congregatos, ecce ſubitò in eadẽ tabula apparuerunt omnia verba pſalmi & orationũ, quæ conuentus dixerat, in ſimilitudine viuarum gemmarum mira varietate mirabiliter diſtincta: & quęlibet gemmula prætendebat ſplendorẽ miræ claritatis, cum clangore ſoni prædulcis. Per ſplendorẽ enim quędam amatoria geſticulatione alludẽs à domino blandiebatur, & per ſonũ commouebat ipſum, vt omnẽ fructum qui ex quolibet verbo vniuerſali foret eccleſię prouẽturus, illis reſtitueret duplicatũ, qui eadẽ perſoluiſsẽt. Et hęc omnia intellexit dominũ operãtem propter deuotionẽ ſpecialem, quã conuentus ad hoc habebat, quod intellexerat dominum ipſo die ſemper cap. præſeſſurum. ¶ Cùm verò legeretur tabula, in qua prænunciabantur nomina earũ quæ ad matutinas erant cantaturæ vel lecturæ, dominus ſingulas perſonas, quę ſtudioſe intẽdebant audire, qđ eis foret præſcriptũ tam ſerena blãditate videbatur reſpicere ac nutu capitis deuotè reſalutare, quod hoc humana lingua

gua nó ſufficit enarrare. Sed quæ cũ mœro re retractabat, cur eis ſimiliter illa vel illa reſpóſoria nó eſſent pſcripta, illarũ meritũ dñs bláde contrectás, ipſas benignè demul cendo cóſolabatur. Tunc iſta hoc intelligés in ſpiritu, dixit ad dñm: O domine, ſi cógregatio ſciret hũc tá benignæ bláditatis tuæ in eas reſpectũ, valdè mœrétes fierét, q̃ nomẽ ſuũ legi nó audirét. Ad quod dñs: Quæcunq; libéter legeret vel cãtaret ſi poſſet & dolet pro eo quod pficere nó poteſt: hác ego ſimili bláditate cóſolabor, & boná ipſi⁹ voluntaté pro pfecta remunerabo. Et adiecit dominus: Si q̃libet qũádo audiret aliqua ſibi aſſcripta, cũ intentione voluntatem ſuã ad hoc cum capite inclinaret, ꝙ ad laudem meam hoc perficere vellet, & cómendaret mihi vt ego eam ad idẽ dignè perficiendũ iuuarem: quoties aliqua hoc faceret, toties pietas mea tá efficaciter me ipſi attraheret, ꝙ me nullatenus valerem continere, quin oſculum ei infigerem ſuaue. ¶ Hinc dum conuentus ſecundum ſtatuta ordĩnis negligentias ſuas (proloquente prioriſſa) profiteretur coram domina Abbatiſſa, & per ipſam abſolutè inclinarent ſe, dominus blanda ſerenitate adiunxit: Et ego abſoluo vos authoritate meæ diuinitatis ab omnibus negligentijs, modò cum inten-

Meritum bonæ voluntatis

Christi auxilium implorandum.

 tione

tione in mea præſentia profeſsis : Ita quod, quandocunq; ex humana fragilitate eadem iteraueritis, ſemper me ſuper eis miſericordiorem inuenietis & ad remittendũ promptiorem. Cùm verò more ſolito ſepté pſalmi pœnitentiales pro peccatis & negligentijs legerentur, apparuerunt protinus omnia verba illa in ſpecie margaritarum, ſed obſcurarum, in tabula prædicta circa illas viuentes, & ſplendentes gemmas (de quibus præſcriptum eſt) ordinata. Intellexitque per ſpiritum, ideo illos pſalmos in ſpecie tenebroſarum margaritarum apparere, quia conuentus ipſos tantummodo perſoluebat ex vſu, & non cum deuotione ſpeciali. Vnde aduertendum eſt, quòd quamuis debita ex vſu ſuppleta domino præſententur ad cumulum meritorum noſtrorũ : in infinitum tamen excellentius nobilitatur & gratificatur, quicquid cum intenta perficitur deuotione. ¶ Sub veſperis verò dum cantaretur in hymno: Gloria tibi domine, vidit copioſam multitudinem angelorum circa conuentum volitantium, & cum ipſo eundem verſiculum ſonoris vocibus iubilando reſonantium. Tunc requiſiuit à domino, quem profectum homines ex hoc haberent, quòd angeli ſancti ſe ipſorum laudibus adiungendo, vna cum illis

Preces ex vſu perſolutæ non tam gratæ quàm illæ quæ ex intenta deuotione perficiuntur.

lis pſallerent. Super quo dum nullum à domino reſponſum acciperet, & diligentius in illo perquirendo laboraret, tandem diuinitus inſpirata intellexit, quòd quando angeli ſancti noſtris in terris interſunt ſolennijs, exorãt dominum, vt eos qui ſeipſis conformare ſtudent in deuotione, etiã adæquare dignetur in vera cordis & corporis puritate. Hinc timere cœpit (vt moris eſt humani) hunc ſe intellectum non ex diuino ſpiritu, ſed ex proprio hauſiſſe ſenſu. Ad quod diuinæ conſolationis accepit reſponſum: Noli timere, quia eo quòd voluntas tua tam plenè diuinæ voluntati meę eſt vnita, quòd nihil velle poteſt quàm quòd ego volo, & per conſequens in omnibus laudem meam ſummè deſideras, omnes ſpiritus angelici ſic tuæ ſubiecti ſunt piæ voluntati, quòd ſi antea non oraſſent pro vobis, ſecundum quod eos facere per ſpiritum intellexiſti, ex eo quòd tibi hoc ipſos facere complaceret, amodo id abſque dubio ſtudioſiſsimè conarentur adimplere, imò quoniam tuà me Imperatore imperatrix effecta es, omnes principes mei cæleſtes, ita obtemperant tuæ voluntati. quòd ſi tu aliqua eos facere iuberes, ſtatim ad verificandum verba tua ſummoperè ſtuderent ea cum ſumma feſtinatione complere.

Angelorũ pro nobis oratio.

¶ Poſt veſperas dum ex more circumferrentur reliquiæ cum beatæ virginis imagine iſta cum mœrore reuolu ẽs in corde ſuo quòd infirmitate præpedita nihil obſequij aut orationum perſoluiſſet per Aduentum ad offerendum virgineæ matri in ſolennitate ſua, tam prædulci vnctione ſpiritus ſancti edocta, obtulit intemeratæ matri prænobiliſsimum ac prædulciſsimum cor Ieſu Chriſti pro ſuppletione totius ſui neglecti. Quod benedicta virgo maximo cũ gaudio & gratitudine ſuſcipiens, in aſpectu illius omnis obſequij, & honoris ſufficiens comperit delectamentum, quia cor illud vnice prædigniſsimum ac totius boni contentiuum exhibebat matri virgineæ omnium deſiderabilium ſummam, quæ vnquam ex alicuius deuotione vel orationum ſtudio poſſent honori ipſius materno exhiberi.

Cordis Chriſti oblatio, eſt noſtri neglectus ſuppletio

De melliflua Natiuitate domini. Quomodo puerulum Ieſum intra nos ſuſcipere & fouere debemus, noſtraq; & nos illi offerre.

CAPVT III.

In nocte

IN nocte Natiuitatis domini ad Matutinas, dum eiſdem conaretur exercitijs intendere, quibus in præcedenti nocte, quæ ſupra habentur, dominus ipſi vicē reddens fidelis ſeruitij ſui, totaliter ſibi eam intraxit, ita quòd per quēdam ſuauiſsimum ſuæ diuinitatis influxum in animam hui9 virginis, & ediuerſo animæ eius cum gratitudine refluxum in Deum per ſingula quæ cantabantur, tam in pſalmis, quàm in reſponſorijs, inenarrabilis & inæſtimabilis ſuauitatis eam paſceret intellectu. Cumq; in his delitijs miro modo delectaretur, vidit conuentum regi regū domino in imperiali ſolio diuinæ maieſtatis ſuæ ſublimato reuerenter circumaſtantē, & matutinas ad laudem & gloriam ipſius cum deuotione magna perſoluentem. Tunc memor plurimorum, qui ſe orationibus ſuis deuotè commiſerant, in humilitate ſpiritus dixit ad dominum: O quomodo decet me indignā pro iſtis orare, quæ cum labore & deuotione tibi aſtant pſallentes & laudantes, cùm ego heu infirmitate detenta nequaquā ſimilia vt illæ perficere poſsim? Cui dominus reſpondit: Optime potes pro ipſis orare, quia ego te ab eis aſſumptam in ſinum paternæ benignitatis meę collocaui, ad impetrandū & obtinendum omnia quæcunq; deſiderat

anima tua. At illa: Domine ſi tibi placet, vt orem pro eis, peto vt ad hoc perficiendum talem mihi horam conſtituas, qua id fideliter tibiq; laudabiliter ac ipſis vtiliter, perficiam. Nec tamen à fruitione cæleſtium epularum, quibus me modò paſcere dignaris, aliquatenus impediat. Ad quod dominus: Commenda ſingulas cognitioni meę diuinę & amori, quorũ ductu de ſinu Dei patris ad terras propter ſaluandum hominem deſcendi. Cumque illa hoc faciendo ſingulas perſonas ſibi commiſſas tantummodo nominaret, benignus dominus dulcore diuini amoris ſui commotus, & cuiuſlibet neceſsitatem in lumine diuinę cognitionis ſuæ rememorans, amatoria compaſſione ſingulis condeſcẽdit. Apparuit etiam virgo mater inclyta in cæleſti gloria filio ſuo aſsidere honorificè ſublimata. Cumque cantaretur reſpõſorium (Deſcendit de cælis) dominus in verbis illis quaſi commonefactus amantiſsimæ dignationis illius: qua de ſinu patris deſcendens per vterũ inuiolatæ virginis, noſtrę miſerię exilium introiuit: & inde tanquam amore liquefactus, ſuauiſsima quadam blanditate arridẽtibus oculis matrem ſuam virgineam aſpexit. Ex cuius amicabilitatis afficientia, omnia interiora eius dulciter poterant commoueri.

Sic-

Sicque oſculum prædulce ori eius blandè infixit. Per quod omnia gaudia, quibus de ſanctiſsima ſua humanitate gauiſa fuerat in terris, ipſi quodammodo velut duplicata, renouauit. Apparuit quoque immaculatus vterus virginis glorioſę ad inſtar puriſsimę cryſtalli perſpicuus, per quam omnia viſcera eius diuinitatis radijs medullitus penetrata & repleta, refulgebant velut aurũ diuerſi coloris ſerico conuolutum elucere ſolet per cryſtallum. Videbatur etiam puerulus ille floridus ſummi patris vnicus ad cor matris virgineæ auida delectatione ſugere. Per quod intellexit, quòd ſicut humanitas Chriſti lacte paſcebatur virginali: ſic diuinitas delectabatur perfrui puritate ipſius innocentiſsimi & amantiſsimi cordis.

¶ Dum verò ad Reſponſor. Verbum caro factum eſt, profundè Conuentus inclinaret ſe, ob reuerentiam dominicæ incarnationis: intellexit dominũ dicentem: Quotieſcunque aliquis cum deuota gratitudine ſe inclinat in verbo iſto, gratias agens mihi, quòd pro amore ipſius dignatus ſum homo fieri, toties ego ſtimulis propriæ mãſuetudinis meæ inſtigatus, me ipſi dignãtiſsime reinclino, & ex intimo cordis affectu Deo patri omnem fructum beatiſsimæ humanitatis meæ offero dupliciter in augmẽ- *Deuota gratiarum actio pro Chriſti incarnatione quàm ſit Domino grata.*

 tum

tum beatitudinis æternæ hominis illius. ¶ In fine verò reſponſorij illius in illo verbo, (& veritate) procedens virgo Maria gemino decore virginitatis ac maternitatis mirabiliter adornata, primo proceſsit ad ſuperiorem ſororem dextri chori, circumponensq; brachium ſuum dextrum humero eius, & ſuauiter eam conſtringens, impreſſit animæ eius generoſum infantulum præ filijs hominum forma ſpecioſum. Sicque procedens per totum chorum ad Conuentum, ſimili modo puerum amabilem & delicatum ſingularum animabus per blandum impreſsit amplexum. Omnibus verò puerum illum tenerrimum in vlnis animæ tenentibus, quædam videbantur caput illius cautiſſimè & ſatis commodè velut molli cuſsino ſuperpoſitum, ſuſtentare. Quædam verò minus cautè caput tenelli infantuli ſuſtentantes, ſinebant illud incommodè cadere. Per quod intellexit, quòd illæ perſonæ quæ voluntatem ſuam præbebant Deo liberè ad omnem beneplacitum ſuum, hæ nimirum caput amantiſſimi Ieſu tanquam molli cuſsino, id eſt, bona voluntate ſua commodè ſuſtentabant. Illæ autem quarum voluntas in aliquo erat inflexibilis, & imperfecta, hæ caput pueruli permittebant incommodè cadere. Ergo eua-

Benignitas virginis matris erga ſibi deuotos.

Quæ puerum Ieſum amanter molliterq; ſuſcipiat.

Abdicatio propriæ volũtatis, & in voluntatẽ Dei reſignatio quàm ſit Deo grata.

euacuemus chariſsimi corda & conſcientias noſtras ab omni proprio ſenſu, & offeramus corda noſtra domino libera & integra voluntate ad omnem beneplacitum ſuum, qui in omnibus deſiderat profectũ noſtrum, ne vnquam inueniamur inquietare ſaltem ad morulam vnius ictus oculi commodum tam prædulcis & delicati pueruli intimis noſtris dignantiſsime inclinati & impreſsi. ¶ Sub miſſa verò quæ incipit: Dominus dixit, pius dominus iterũ eã per ſingula illa verba inæſtimabilis dulcedinis intellectu repleuit. Hinc ſub Gloria in excelſis dum cantaretur (primogenitus Mariæ virginis matris) iſta cogitauit quòd dominus magis cõgruè diceretur vnigenitus, quàm primogenitus, eo quòd intemerata virgo genuerit nullũ alium quàm illũ vnicum, quẽ de ſpirituſancto meruit cõcipere. Vnde beata virgo blanda ſerenitate ipſi reſpondit, dicens: Nequaquã vnigenitus, ſed cõgruentiſsimè dicitur primogenitus meus dulciſsimus Ieſus, quẽ primo clauſo vtero procreaui, & poſt ipſum imo per ipſum vos oẽs, ipſi in fratres, & mihi in filios, maternę charitatis viſceribus adoptãdo generaui. Circa offertoriũ verò cognouit in ſpiritu, ꝙ ſingulæ de congregatione offerrent domino munera orationũ, quas perſolue-

Chriſtus cur primogenitus Mariæ potius quàm vnigenitus.

rant per aduentum, quarum quædam ſua; offerebant in ſinum pueri animabus earũ, impreſsi. Ad quas beata virgo ſingillatim in locis ſuis accedens obſequebatur cuilibet, affectuoſe coaptando ſinum ac manus ſui prædilecti filij ad recipiendum munera ſibi oblata. Quædam verò perſonæ videbantur ad altare in medio chori accedere, & ibi orationes ſuas offerre virgini matri, puerum in gremio geſtanti. Ad quarũ orationes ſuſcipiendas dum puer tenellus non coaptaretur, exhibebat ſe quaſi præ ſui teneritudine non poſſet recipere. Vnde intellexit, quòd quæ offerebant in ſinum pueri Ieſu, erant illæ quæ deuotè intendebant domino in intimis ſuis, quaſi ſpiritualiter nato, quibus obſequi & cooperari videbatur beata virgo, ipſarum congaudens deuotioni & ſaluti. Sed illæ perſonæ, quæ tantummodo ſecundum repræſentationẽ eccleſiæ cogitabant dominum tempore ſuo in Bethlehem natum, hæ viſę ſunt in medio chori accedere ad altare, ibidem offerentes ſua virgini matri. Tunc iſta accedens ad regem gloriæ, obtulit illi prout rogauerat, quarundam perſonarum bonam voluntatem, quę libenter ſimilia perfeciſſent, ſi impeditæ ab aliquibus cauſis etiam vtilibus non fuiſſent. Vnde edocta per ſpiritum,

Natiuitas Chriſti quomodo potiſſimũ recolenda

in-

intellexit quod illæ orationes quæ erãt deuote peractæ, ordinabantur in tabulã prædictam in ſpecie precioſarum margaritarũ: & bona voluntas earum quæ libẽter ſimilia perfeciſſent, ſi vtilioribus non fuiſſent impeditæ,& inſuper negligentiam ſuam dolebant & per conſequens humiliabantur, videbatur ordinari in monile illud ornatiſsimum, quo pectus dominicũ videbatur decoratum,& exinde illæ tantum fructũ obtinebant ad acceſſum diuini cordis: ſicut aliquis per clauem poteſt arcam aperire, ex qua diuerſa ſumat delectamenta.

In feſto ſancti Ioannis Euangeliſtæ. De modo contemplandi, & de præconio virginitatis eiusq; cuſtodia.

CAPVT IIII.

IOannes Apoſtolus & Euangeliſta apparuit huic virgini oranti die quadam in aduentu flauis veſtibus indutus,quę aureis vndique aquilis erant intextæ. Per quod figurabatur, quòd quantumuis beatus Ioannes eleuabatur ſupra ſe per exceſſum mẽtis in contemplatione, dum adhuc viueret in corpore: ſemper tamen conabatur ſe in vallem humilitatis,per propriæ vilitatis recognitionem deprimere. Cumque orna- *Humilitas S. Ioannis Euangeliſtæ.*

natum ipſius diligentius cõſideraret, videbatur ſub aquilis illis aureis quidam color rubeus apparere, qui ex omni parte circa aquilas parum permicabat, figurans quód beatus Iohannes contemplationis ſuæ ordinem ſemper inchoare ſtudebat à memoria dominicę paſſionis, quam nimirum oculis cóſpexerat & corde medullitus per intimã compaſsionem perſenſerat: ſicq; paulatim procedens vſq; ad celſitudinem diuinę maieſtatis ſubuolabat, quam irreuerberatis oculis mentis, quantũ mortali homini fas erat, perſpicacius contemplabatur. Habebat etiã duo aurea lilia, vnum in dextro, & vnũ in ſiniſtro humero, eratq; in dextro mirabili ſculptura ſcriptum: Diſcipulus quem diligebat Ieſus. In ſiniſtro verò: Iſte cuſtos virginis, &c. ob inſigne iſtorum priuilegiorum ſpecialium, quo ipſe ſolus præ cæteris apoſtolis diſcipulus quem diligebat Ieſus, nominari & eſſe meruit, & quod ipſi etiam dominus candidum illud lilium, hoc eſt, matrem ſuã virgineam in cruce moriturus commendandã dignum cenſuit. Habebat quoque coram pectore ſuo rationale quoddam mirificum, ob prærogatiuam illam, qua ſuper mellifluum pectus domini Ieſu in cœna recubuit. In quo aureis literis viuentibus erat ſcriptum: In principio erat

Ordo contemplationis B. Iohannis.

erat verbum. Per quod ſignificabatur viua virtus digniſsimorum verborum illorum, quæ in hoc Euangelio continenter. Tunc iſta dixit ad dominum: Ob quã cauſam amantiſsime domine, hunc predilectũ tuũ mihi indignæ modo p̃ſentaſti? Reſpondit dominus: Ideo, inquit, vt ipſum ſpeciali tibi adiungam amicitia: & cum nullum habeas amplũ, ego tibi aſsigno iſtũ quẽ ſemp apud me habeas patronũ in cœlis fideliſsimum. Et illa: Doce me inquit, dulciſsime domine quid ipſi poſsim obſequij exhibere. Reſpondit dominꝰ. Quilibet homo quotidie vnũ pater noſter ſuo legere poterit apoſtolo, admonendo eũ illius predulcis fidelitatis, q̃ cor eius ſenſit, cũ ego docerem ipſos hanc orationem. Ipſumque orabit, vt obtinere ſibi dignetur quo ſecura mihi ſẽper pſeuerãtia mereatur vſq; in finem vitæ ſuæ fideliter adhærere. In feſto vero eiuſdẽ apoſtoli ſub matutinis more ſibi ſolito deuotiꝰ intẽdẽti affuit idẽ dilectus diſcipulus quem reuera diligebat Ieſus. (Vnde & ab omnibus amantibus merito & diligendus) multis modis ipſi blandiens. Cui dum plures de congregatione ſibi commiſſas fideliter commendaſſet, & ille omnium vota blande acceptaſſet, dicens: Ego in hoc aſſimilor domino meo, quod diligentes,

me

me diligo. Iſta dixit ad eum: Et quid ego tã tilla gratiæ potero adipiſci in hoc tuo feſto prædulci? Qui reſpondit. Veni mecum tu electa domini mei, & repauſemus ſimul ſupra dulcifluum pectus domini, in quo latent totius beatitudinis theſauri. Et aſſumens eam in ſpiritu, duxit ſecum ad melliſluam ſaluatoris noſtri præſentiam, ſtatuitpue eam ad dextram, & ipſe declinauit repauſaturus ad ſiniſtram. Cumque ambo in ſinu domini Ieſu recumberent, beatus Ioannes indice pectus dominicum reuerendiſsima blanditate contingens dixit: Ecce hoc eſt ſanctum ſanctorum attrahens ſibi totum cœli terræque bonum. Tunc iſta requiſiuit à beato Iohanne cur ipſe leuam partem pectoris domini præeligens eam ad dextram collocaſſet. Cui ille reſpondit: Ideo, inquit quoniam ego iam deuici omnia & vnus ſpiritus cum Deo effectus, penetrare poſſum ſubtiliter, quo caro non pertingit. Ergo ego elegi ſolida, tu vero cũ adhuc viuens in corpore non poſsis pari mihi modo ſolidiora penetrando inueſtigare: ego te ad aperturam diuini cordis locaui, vt ego liberius exinde hauſtus dulcedinis & cõſolationis extrahere poſsis, quos ſine intermiſsione omnibus deſiderantibus ebuliens impetus diuini amoris large pro-

profundit.Illa vero cum ex motu ſanctiſsimorum pulſuum (quibus ſine intermiſsione mouebatur cor diuinum) ineffabili delectatione afficeretur, dixit ad beatum Ioannem, Nunquid & tu dilecte Dei horum ſuauiſsimorum pulſuum non ſenſiſti delectamentum dum in cœna ſuper idem ſuauiſsimum pectus recubuiſti, quorum delectatione ego nunc tantum afficior? Reſpondit: Etiam fateor veraciter ſenſi & perſenſi, quia ſuauitas illorum ſic mdullitus animam meam pertranſiuit, ſicut dulciſsimus modo vnquam ſuauius pertranſeundo dulcificare poteſt micam recentis panis Inſuper ex ipſis ſpiritus meus tam efficaciter eſt ſuccenſus, ſicut coquens olla ex nimio ardore ignis feruenti⁹ quo po eſt, ſuccenditur. Tunc illa: Et cur hoc ita penitus conticuiſti, quod nec quicquam vel modice ſaltem exinde noſtris profectibus intelligendum conſcripſiſti? Reſpondit meum profecto erat nouellæ adhuc eccleſiæ de increato Dei patris verbo, vnum deſcribere verbum, de quo vſque in finem mundi ſufficienter carpere poſſet intellectus totius generis humani, quamuis à nullo tamen vnquam plene poſsit comprehendi. Eloquentia autem ſuauitatis pulſuum iſtorum reſeruata eſt moderno tempori, vt

ex.

vt ex talium audientia, recaleſcat iam ſeneſcens & amore Dei torpeſcens mundus. Cumque iſta miraretur venuſtatem ſancti Iohannis, qui apparebat recumbens ſuper pectus domini: ipſe reſpondens, dixit ei Vſque modo apparui tibi in ea forma, qua in terris ſupra pectus domini amatoris mei & amici vnici in cœna recubui. Sed nunc delectat, obtinebo tibi vt conſpicias me in ea forma, qua iam delitijs diuinitatis fruor in cœlis. Et cum hoc illa deſideraret adipiſci, ſtatim vidit immenſum pelagus diuinitatis introrſus in pectore Ieſu, & in eo beatum Iohannem in ſpecie tenellæ apiculæ tanquam piſciculum ineffabili delectatione & libertate natantem. Intellexitque quod vbi diuinitatis impetus efficaciſsime influxit humanitatem, ibi frequentior eſſet inhabitatio eius. Ex cuius ſuauiſsimis torrentibus auidiſsime potatus & inebriatus, videbatur de corde ſuo quaſi venam quandam emittere, & ex illa per vniuerſum mundi ambitum largiter diſpergere ſtillicidia diuinæ ſuauitatis, quæ erant ſaluberrima monita doctrinæ ſuæ ſalutaris, & ſpecialiter Euangelij ſui: In principio erat verbum. ¶ Item alia vice in eodem feſto, dum multum delectaretur in eo quod ipſo die toties tam nectareis verbis audiuit

in

in beato Iohanne integritatem virginitatis extolli, tandem conuerſa ad ipſum ſpecialem amicum Dei, orauit vt precibus ſuis nobis obtinere dignaretur, quatenus Dei auxiliante gratia tam diligenti caſtitatis cuſtodiæ ſtuderemus, quo in ęterna vita in gloria Dei etiam tam ſuauiſonantium laudũ præconia cum ipſo pro modulo noſtro participaremus. Ad quod tale à beato Ioanne accepit reſponſum: Qui mecum in beatitudine deſiderat participare victoriæ brauio, ſtudeat mihi ſimilem modum currendi tenere in via. Et adiũxit: Ego per omne tempus vitæ meæ frequentius recolens, quam ſuaui familiaritatis amicitia amantiſſimus magiſter meus & dominus Ieſus in me reſpexerit, imò remunerauerit illam continentiam, qua coniugẽ relinquẽs ipſum de nuptijs ſum ſecutus, poſtea ſemper in omnibus verbis & factis meis hoc ſtudium adhibui, vt diligenter cauerem, ne mihi ipſi vel alijs aliquomodo darem occaſionem, vnde illa magiſtro meo grata virtus, ſcilicet caſtitas, aliquo modo macularetur. Et adiunxit: Nam cùm cæteri apoſtoli ſuſpecta omnia cauerent, & non ſuſpecta liberius admitterent, vt in actibus Apoſtolorum legitur, quòd erant cum mulieribus & Maria matre Ieſu, &c. ego

Continentia S. Ioannis.

ego inter illos ſemper me ſic caute gerebã,
vt cum aliqua neceſsitas corporis vel ſalus
animæ exigebat, nunquam viderer ſexum
refugere: nec tamen vnquam omiſi diligen
tem mihi cuſtodiam adhibere. Habebam
enim in more, vt vbicunque aliqua ſe oc-
caſio præbere potuit humanitatis. ſemper
inuocabam auxilium diuinæ pietatis. Et
hoc eſt quod canitur de me. In tribulatio-
ne inuocaſti me, & exaudiui te, &c. Quia
dominus nunquam permiſit, vt aliquis ex
affectu meo aliquatenus macularetur. Vn-
de & à dilectiſsimo magiſtro meo hoc acce
pi in remunerationem, quod præ cæteris
omnibus electis caſtitas in me collaudatur
Nec hoc ſolum, ſed accepi etiam in cœlo
locum ſpeciali dignitate præeminentem,
vbi in gloria & prærutilanti fulgore aſſiſtẽs
directius cum dulcore voluptatis ſuſcipio
radios amoris illius, qui eſt ſpeculum ſine
macula & candor lucis æternæ. Quotiens
enim in eccleſia per aliquod verbum reci-
tatur memoria caſtitatis meæ, toties ipſe
dominus amator meus delicatiſſimo blan-
dimento geſtus ſui me ſalutans omnia in-
teriora mea ineffabili replet ſuauitatis iu-
cunditate: quæ velut efficaciſsima potio,
penetrat omnes medullas animæ meæ Et
hoc eſt, quod canitur in laude mea. Ponã

te ſicut ſignaculum in conſpectu meo, id eſt, quaſi receptaculum ad ſuſcipiendum omnes emiſsiones meæ ardentiſsimæ, imo ſuauiſsimæ charitatis. ¶. Poſt hæc ipſa ducta in altiorem cognitionem, intellexit ex eo quod dominus dicit in Euangelio: In domo patris mei manſiones multæ ſunt, ſpecialius fore tres manſiones in quibus beatificantur triplici modo integritatem virginalis pudicitiæ ſectantes. Prima manſio eſt illorum qui ſicut predictum eſt de apoſtolis, ſuſpecta omnino fugiunt, & non ſuſpecta rationabiliter admittunt: & ſi quid inter hæc mentem pulſando tentauerit, viriliter certando deuincunt. Si quando vero ex humana fragilitate aliqualiter ſuccumbunt, hoc dignis pœnitentiæ fructib⁹ delent. Secunda autem manſio eſt illorum, qui tam in non ſuſpectis quam in ſuſpectis cautius agentes, omnino elongantur ab omni quod poſſet eſſe occaſio alicuius tentationis. Caſtigant carnem ſuam & in ſeruitutem redigunt, in tantum quod quaſi impoſsibile ſit illi contra ſpiritum rebellare. De quorum numero videtur eſſe ſanctus Iohannes Baptiſta, & cæteri ſpirituales viri, qui omnes in hac ſecunda manſione beatificantur, ſecundum hoc ex vna parte quod pietas Dei eos gratuito ſancti-

ſanctificauit : ex altera parte, ſecundum quod ipſi gratiæ Dei præcipuè ſunt cooperati, ſeipſos a malis retrahentes, & in bonis exercentes. Tertia verò manſio eſt illorum, qui præuenti à domino in benedictionibus dulcedinis, omne malũ quaſi naturaliter abhorrent: & tâmen inter diuerſitates accidentium quandoque cum malis, quandoque cum bonis conuerſantur pro diuerſitate cauſarum, ſemper tamen immutabili propoſito malum deteſtantes & bono adhærentes: ſicque tam ſe quam alios homines ſtudent immaculatos cuſtodire. Tales homines ex humano affectu, qui eis non deeſt, miro modo lucrum reportant: dum etiam pium erga alios affectum pertimeſcentes, humiliantur, & inde diligentius ad ſui cuſtodiam animantur: ſicut dicit Gregorius: Bonarum mentium eſt, ibi culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt. Inter iſtos beatus Ioannes euangeliſta obtinet priuilegium victoriæ principalis. Vnde & in feſto ipſius canitur. Qui vicerit, faciam illum, & cetera, verbi gratia qui vicerit humanum, ſcilicet affectum (faciam illum columnam in templo meo) id eſt quaſi firmum receptaculum, ſuper quo quaſi ſuſtẽtaturus exuberantiã diuinæ delectationis
meæ

meæ repauſem (Et ſcribam ſuper eum nomen meũ) ideſt manifeſta apparẽtia imprimam illi diuinæ familiaritatis meæ ſuauitatem. Et nomen ciuitatis nouæ Hieruſalem id eſt tam interius quam exteri⁹ etiam accipiet ſpecialem remuneratioñe pro ſingulis perſonis, quarum ſalutem quæſiuit in terris. Huic concordat, ꝙ cum altera quadam vice mente reuolueret, qua de cauſa beatus Iohan. euan. tantum extolleretur ꝓ integritate virginitatis, cum tamẽ legatur à domino de nuptijs vacatus, beatus vero Iohan. Baptiſta omnino immunis ab omni carnalitate, minus tamen pro tali virtute collaudaretur: Dominus qui eſt diſcretor cogitationum & diſtributor meritorum, in viſione monſtrauit illi vtrumque. ſcilicet Iohan. bapti. quaſi ſedentem in ſolio eleuato & ab omnibus remoto ſupra mare: Euãgeliſtam vero ſtantem in medio camini, qui tam terribiliter, ſuccenſus videbatur quod flamma ipſum totum inuolabat, tam ſupra quam infra & circunquaque. Quod cum videret & admiraretur, dominus inſtruxit eam dicens: Quid magis videtur tibi laudabile, quod Euangeliſta non audiret, ſiue quod baptiſta non comburitur? Hinc intellexit quod valde diſsimilis eſt præmij, virtus impugnata & virtus

Ioan. baptiſt.

Collatio S. Ioannis baptiſtæ & S. Ioã. Euangeliſtæ.

virtus in pace ſeruata. ¶ Item cum in no-
cte orationi inſiſteret & ſpeciali deuotione
niteretur domino appropinquare, vidit
beatum Iohan. innixum illi & ſuauiſsimis
eum amplexibus conſtringentem diuerſiſ-
que modis dulciter blandientem: tunc ip-
ſa ſe ad pedes domini proprios luitura de-
fectus humiliter proſtrauit: quam beatus
Ioan. blande alloquens, ait: Non meo cõ-
ſortio abſterrearis. Ecce collum quod mil-
le milium amantium ſufficit amplexui, &
os quod diuerſorum oſculis præbet ſuaui-
uitatem, & aures quæ omnium ſuſurrijs
ſecreta conſeruant. Inter matutinas vero,
dum cantaretur (mulier ecce filius tuus)
vidit de corde Dei mirificum quendam
ſplendorem procedentem ſuper beatum
Iohan. qui omnium ſanctorum intuitum
cum reuerenda admiratione in ipſum pro-
uocabat. Viſa eſt etiam beata virgo ſpeci-
ali alacritate blandiri ipſi, cum ipſa nomi-
naretur mater ipſius. Vnde etiam ipſe pre
electus diſcipulus ſpeciali blanditate dul-
cioris affectus, ipſam reſalutabat. Si-
militer cum ſingula priuilegia ſpecialis
amicitiæ ſibi à domino impenſa recita-
bantur, vt eſt (iſte eſt Iohan. qui ſupra pe-
ctus domini in cœna recubuit: Iſte eſt diſci
pul⁹ quem diligebat Ieſus, & ſimilia) ſem per
ſimi-

ſimili noui ſplendoris gloria beatus Iohannes omnibus ſanctis declarabatur. Et ex hoc omnes ſancti in laudem Dei pro tam dilecti diſcipuli gloria, inęſtimabili congratulatione prouocabantur. In quo etiam beatus Iohannes mira delectatione afficiebatur. In illo autem verbo (apparuit charo ſuo) intellexit, quòd in illa forma qua dominus tunc viſitauit beatum Iohan. renouabatur ei omnis ſuauitas mutuæ familiaritatis, quam in omni vita ſua vnquam fuerat expertus. Vnde beatus Iohannes velut in virum alterum mutatus, aliqualiter iam prægustauit delitias æternarum epularum, ſpecialiter in tribus, de quibus in tranſitu egit gratias Deo. Primo enim ait: Vidi faciem tuam & quaſi de ſepulchro excitatus ſum De ſecundo: Odor tuus domine Ieſu in me concupiſcentias excitauit æternas. De tertio: Vox tua plena ſuauitate melliflua, &c. Acceperat enim ex virtute dulciſsimæ præſentiæ ipſius quandam immortalitatis viuificationem, & ex virtute diuinæ vocationis ſpem ſuauiſsimæ conſolationis, & ex blanditate verborum eius ſummæ delectationis iucunditatem. In eo autem quod legitur, quòd ad vocationem domini ſurgens, cœpit ire quaſi volens greſſu dominum ſequi in cælum: intellexit beatū

Iohannem tantam & tam ſecuram habuiſſe confidentiam de piiſsima benignitate domini & magiſtri ſui, vt ſperaret quòd dominus indignum ſe nō dedignaretur aſſumere abſque dolore mortis. Et quia hoc auſu amoris præſumpſit, profecto etiam accipere meruit. Tunc iſta ſecum mirari cœpit, quia ſcriptura dicit ideo Iohannem abſq; dolore mortis tranſiiſſe, quia iuxta crucem Chriſti paſſus eſt mente, & etiam propter incorruptionem carnis: quomodo ergo nunc dicitur propter confidentiā hoc obtinuiſſe? Ad quod dominus reſpondit: Integritatem virginitatis & compaſsionem meæ mortis electo meo in æterna vita præcellenti gloria retribui: ſed illam ſecuram fiduciam qua de meæ ſuauitatis ſuperabundantia nihil à me ſibi denegari poſſe præſumpſit, tali modo complacuit mihi in præſenti vita remunerare, quòd eum ab omni dolore mortis illæſum, quaſi in iubilo de corpore aſſumpſi & virgineum corpus eius incorruptum, & quodammodo iam glorificatum, ſpeciali modo ſublimaui.

Virtus confidentiæ.

In feſto Circumciſionis. De nomine Ieſu, deq; renouatione propoſiti boni cum nouo anno.

CA-

CAPVT V.

DIe ſancto Circunſionis obtulit domini ſalutatiunculas dulciſsimi nominis Ieſu, quas quædam perſonæ legerant in laudem domini. Quæ ſtatim apparuerunt coram domino dependentia tanquam in quodam firmamento in ſpecie candidarum roſarum, & de qualibet roſa dependebat aureum tintinnabulum miræ ſonoritatis, quod ſine intermiſsione mouebat cor diuinum ineffabili delectatione propriæ dulcedinis & bonitatis, cæterarumq; quæ per adiectiua nomina replicauerant, videlicet: Aue Ieſu amantiſsime, benigniſsime, deſiderantiſſime, & ſimilia. Hinc deſiderabat tam intimè dulcia nomina Ieſu inuenire adiectiua, quæ omnes prædictas ſalutationes præcellentia diuinũ cor eius medullitus penetrando, ſuauiter afficerent. Cumque in horum ſcrutinio affectuoſius laborando iam viribus deficeret, dominus affectu pietatis ductus, imo vt ita dicam, deuictus, blandè ſe & quaſi in impetu diuini amoris ad eam inclinãs, infixit ori animę eius oſculũ vincens mellis poculũ, dicens: Ecce impreſsi ori tuo nomen meũ digniſſimum, quod palã portabis corã omnibus, & quotieſcunq; ad illud pręferendũ labia tua moueris, melos ſuauiſsimi clangoris

mihi reſonabis. His dictis comperit in ſuperiori labio animę ſuæ aureis & viuis literis, crebris ictibus, vt aſtra micantia, rutilantibus delectabiliter inſcriptum Ieſus In inferiori verò labio ſimiliter aureis & viuis literis ſcriptum, Iuſtus. Vnde per inſcriptionem Ieſus (quod habebat in ſupremo labio & interpretatur ſaluator) intellexit, quòd omnibus à ſe cupientibus, ſalutem & miſericordiam diuinæ pietatis pronunciare deberet. Per inſcriptionem verò Iuſtus (quod geſtabat in inferiori labio) cognouit, quòd in his qui durioris eſſent mentis, & blandis monitis non conſentirent, diuinæ iuſtitiæ diſtrictam vltionem proponere deberet, vt vel ſic minis durius terrendo corrigeret, quos ſuauibus monitis alliciendo ad Deum trahere non valeret. ¶ Poſt hæc dixit ad dominum: O amator dulciſſime, dignare congregationi noſtræ ſemper tibi dilectæ, more ſponſi amoroſi nouum dare annum. Reſpondit dominus: Renouamini ſpiritu mentis veſtræ. Et illa: Nec obliuiſcatur pietas tua pater miſericordiſsime, hoc ſanctiſsimæ circuncifionis tuæ die omnium noſtrum defectus circuncidere. Reſpondit dominus: Circuncidimini per conſiderationem regulæ veſtræ. Tunc illa: O amantiſsime domine, cur re-

ſpondes mihi ad hæc tam ſerioſe, quaſi nullum nobis ad ea gratiæ tuæ auxilium dignareris porrigere, ſed nos proprio ſtudio in his velis laborare, cùm tamen, vt ipſe teſtaris, ſine te nihil poſsimus facere? Ad hęc verba placatus, & quaſi mellea ſuauitatis dominus delinitus, animam ipſius in ſinũ ſuum repoſuit, eamq́; blandè demulcens, dixit: Ego ipſe indubitanter volò vobis in his tam euidenter cooperari, quòd ſi quis propter laudem & amorem meum hoc die, hoc eſt, anni initio, per veram cordis compunctionem animo retractare ſtuduerit, quid in quibusque regulæ ſuæ articulis deliquerit, & ſtudium de cætero cauendi propoſuerit: huic ego adeſſe volo tanquã magiſter benigniſsimus, qui prædilecto ſibi & delicato diſcipulo ad diſcendas literas poſito in ſinu ſuo, indice cuncta oſtendens, incorrecta delet, & omiſſa reſcribit: ſic ego omnes eius defectus miſericorditer emendabo, & negligentias quasque paternè ſupplebo. Et cùm ipſe more pueruli mente vagando aliqua tranſilit inconſiderata, ego interim pro eo diligentiſsima conſideratione, ſua ſupplebo neglecta. Et adiecit dominus: Si quis etiã voluntatem ſuã ab omni quod nouit mihi eſſe contrarium, viriliter retrahere, & ad omne beneplacitũ meum

Renouatio boni propoſiti.

Pium propoſitum Deo admodũ gratũ.

„ ſtuduerit dirigere: huic ego de ſplendore
„ diuini cordis mei lumen cognitionis mini
„ ſtrabo, & ad hoc omnes articulos digitorũ
„ eius ordinare volo, vt componere poſsit
„ mihi laudabiliſsimum, & decentiſsimum
„ ſibique ſaluberrimum & vtiliſsimum xe-
„ nium, quòd ſingulis annis more ſponſæ a-
„ mantis, mihi ſponſo ſuo florido condignè
„ ad inſtar ſpõſalis arrę poſſit offerre. ¶ Hinc ipſa orante pro quadam perſona, quæ multum deſiderabat vt impetraret ſibi à domino, vt quaſi pro xenio quod ad nouum annum ſeculares ſolent ſibi inuicem dare, hoc ipſi prę ſtaret, vt ex integro corde eſſet fidelis tam in aduerſis quàm in proſperis. Dominus benignè reſpondit: In eo quòd voluntatem deſiderij habet talia à me poſtulandi, ego ab ea accepi xenium, mihi miro modo acceptũ. Sed quia decet me xenium reddere, ſicut poſtulat: hoc idem ſit inter me & illam, tam ſibi in profectũ, quàm mihi in oblectamentũ, vt ſcilicet pars mea fulgeat in gloriam meam, & ipſa partem ſuam de hora in horam exornet me cooperante. Quia ſicut mater filiam docendo manu filiæ componit opus, ſed ſua ſcientia: ſic ego æterna ſapientia mea perſona illa mediante componam hoc xenium. Intellexit etiam, quòd margaritæ & gemmę quibus xenium debet

Sancta deſideria Deo imprimis accepta.

Deus coadiuuat ſancta deſideria.

debet exornari, ſint ſtudia & deſideria ſancta, & cogitationes variæ ad Deum tendentes, puta de timore & amore Dei, de ſpe & gaudio, & ſimilibus: quorum vnum Deus non negligit, quin operetur de eo animę ſalutem æternam. Tunc iſta orauit pro pluribus, & ſpecialiter pro vna perſona quæ nuper grauata fuerat turbatione quadam, cui iſta improuiſe cauſam dederat. Ad quod dominus reſpondit: Ego per præcedentē turbationē dilataui ſinum eius & coaptaui manum, vt abundantius & decētius ſuſcipere poſsit dona mea. Tunc illa: Heu domine, quod in purgatione illius amicæ tuæ, ego miſera extiti tibi flagellū. Et dominus: Cur dicis heu, cùm omnis qui electos meos ſic purgat, quòd nunquam intendit eis moleſtiam inferre, ſed ex corde condolet eis, ille eſt leue flagellum in manu meâ, cuius meritum augetur alterius purgatione.

In feſto Epiphaniæ. Oblationes quædam deuotæ, Deo valdè gratæ.

CAPVT VI.

SOlenni feſto Epiphaniæ, dum exemplo regalium oblationū offerret Deo quaſi pro myrrha, corpus Chriſti cum omnibus ſuis paſsionibus & meritis, quibus

optabat Deo emendare peccata hominum vniuerſa ab Adam vſque ad nouiſsimum hominem. Item pro thure, deuotiſsimam animam Chriſti cum omnibus ſpiritualibus exercitijs, in ſuppletionem vniuerſaliū negligentiarum. Item pro auro ſuper excellentiſsimam deitatem Chriſti cum delectatione fruitionis eiuſdem, in ſuppletionem defectuum omnium creaturarum. Apparuit dominus Ieſus ipſam oblationem in ſimilitudine cuiuſdam digniſsimi xenij, ſemper colendæ Trinitati repræſentans. Cumque videretur dominus per medium cæli tranſitum facere, tota cæleſtis militia ob reuerentiam ipſius oblationis, viſa eſt genua flectendo inclinare caput ad ima: ſicut deuotiores homines ſolēt facere, quando corpus dominicū illis præſentibus defertur. Hinc recolens, quòd quædam perſonæ ex humilitate ſibi commiſerāt, vt oratiunculas ſuas (quas ante idem feſtū domino perſoluerāt) ad memoriā antedictarum oblationum regalium pro ipſis Deo offerret. Et cùm hoc qua poſſet deuotione faceret, apparuit iterum dominus Ieſus, illam etiā oblationem velut ad præſentandā Deo patri, per cælum deferens. Cui occurrens militia cæleſtis, oblationem illam velut valdè decentia xenia laudibus extollebat. Vnde,

In-

intellexit, quód quãdocunq; aliquis offert Deo orationes ſuas ſeu alia ſtudia, hæc tota cæli curia extollit tanquam grata Deo xenia. Cùm veró aliquis ſuis non contentus, filij Dei perfectiora ſuis addit: hoc (vt prędictum eſt) ſancti eo modo reuerẽtur quaſi ad dignitatem illius nullum deceat aſpirare, niſi tantummodo ſuper omnes ſolã dignisſimam trinitatem. ¶ Alia vice in eodẽ feſto, dum in euangelio legeretur: (Et procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis) iſta iterum exemplo beatorum magorum prouocata in feruore ſpiritus exurgens, humilima deuotione corã ſanctiſſimis pedibus domini Ieſu ſe proſtrauit, adorans ex parte omnium cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et cùm nihil inueniret quod ipſi dignè poſſet offerre, anxio cœpit deſiderio per vniuerſum diſcurrere mundũ, quærens in omni creatura ſi vel aliqua poſſet inueſtigare vnice dilecto ſuo condignè offerenda. Cumq; ſic æſtuans & anhelans curreret in ſiti feruẽtis deſiderij, reperit quædam abiecta & ab omni creatura merito deſpicienda, tanquam in laudem & gloriam ſaluatoris non credentia: quæ ipſa ſibi auidè vſurpans reuocare curabat ad illum, cui ſoli ſeruire tenetur omne quod creatum eſt. Vnde primo intraxit

Oblationes deuotæ.

cordi ſuo per feruens deſiderium omnem pœnam, dolorem, timorem & anxietatem, quam vnquam aliqua creatura ſuſtinuit, non pro laude creatoris, ſed ex vicio propriæ infirmitatis. Et hæc obtulit domino, quaſi pro myrrha probata. Secundo intraxit ſibi omnem ſimulatoriam ſanctitatem, & deuotionem oſtentatiuam hypocritarum, phariſæorum, hæreticorum, & ſimilium. Et hæc obtulit Deo ſimiliter pro fragrantiſsimi thuris ſacrificio. Tertio intrahere videbatur cordi ſuo vniuerſum humanum affectum, & amorem falſum & impurum omnium creaturarum. Et hunc obtulit domino pro auro precioſo. Quæ omnia ſimul in corde ſuo per ardorem amantis deſiderij (quo vniuerſa reducere videbatur in obſequium ſui amatoris) tanquam aurum in camino probatum, omni ſcoria ad plenum decocta, & miro modo nobilitata, videbantur domino præſentata. In quorum omnimoda placentia dominus tanquam in rariſsimis xenijs inæſtimabiliter delectatus, recolligebat ea in ſpecie gemmarum precioſarum, imponensque diademati ſuo regali, dixit: Ecce has gemmas à te mihi modò oblatas, pro ſuæ raritatis dignitate tam gratanter & dignanter acceptaui, quòd ipſas in memoriale ſingula-

ris amoris in diademate capitis mei iugiter portabo, ad gloriandum pro ipſis à te ſponſa mea mihi oblatis, coram omni militia mea cæleſti: ſicut imperator terreſtris lapidem precioſum, qui vulgari lingua vocatur, **ein Beſant** / geſtat in corona regni pro ſingularitate ſua, quia non inuenitur compar illi in totius ſui amplitudine regni. ¶ Tunc memor perſonæ cuiuſdam quæ ſæpius rogauerat eam, vt ipſo die offerret aliquid domino pro ſe, requiſiuit à domino, quid ſibi pro ea vellet offerri. Cui dominus: Offer mihi pedes eius, manus, & cor. Per pedes ſignantur deſideria. Vnde quia perſona hæc feruētis deſiderat recompenſare mihi paſsionem meam, ſtudeat omnia grauamina tam cordi, quàm corpori ſuo aduerſantia patienter in vnione paſsionis meæ tolerare, ad laudem & gloriam nominis mei, ac totius Eccleſiæ ſponſæ meæ vtilitatem. Et hoc mihi pro myrrha electa oblatum acceptabo. Quia verò per manus ſignatur operatio, ſtudeat etiam omnia opera, tam corporalia quàm ſpiritualia perficere in vnione perfectiſſimorum operum meæ ſanctiſsimæ humanitatis. Vnde miro modo nobilitata ſanctificabuntur vniuerſa. Hocq; pro immolatione thuris ſuauiter redolentis gratificabo.

Grauamina quomodo ſuſtinenda.

Opera noſtra in vnione perfectiſſimorū operū Chriſti perficienda.

Similiter quia per cor ſignatur voluntas, in omnibus agendis ſemper ab aliquo homine humiliter meam requirat voluntatem. Et quicquid tunc ab illo ſibi conſultum fuerit licitum & honeſtum, hoc confidenter ſuſcipiat pro ſummo beneplacito meo, quod pro auri puriſsimi oblatione ab eo acceptabo, ſciatque quòd pro illa humilitate & confidentia, qua meam voluntatem requirit ab alio, voluntas ipſius in tantum vnita fiet meæ diuinæ voluntati, ſicut ex auro argentoque in igne conflato precioſum fit electrum indiſſolubiliter conglutinatum. Hinc dum vellet offerre domino quarundam perſonarum orationes ſibi deuotè commiſſas, conſpexit dominum in latere ſiniſtro velut ſub brachio habere marſupium quoddam occultū manui ſuæ dextræ conuenientiſſimè adaptatū. In quo videbatur habere orationes ab illis perſonis ſibi perſolutas. Vnde frequēter ſpecialibus ſuis benefaciebat, quandocunque libebat. Cumq; ipſa offerret pro eis, vt rogata erat, apparebant eædem orationes diſpoſitæ coram domino in ſpecie diuerſorum xeniorū & ornamentorum, de quibus dominus omnes qui ad ſe veniebant minus parati & ornati, magnificè decorabat. Ex hoc quoque quod dominus has orationes duplici modo

Humilis requiſitio alieni conſilij, Deo grata.

ſe.

ſe habere demonſtrabat, intellexit illas perſonas hoc obtinuiſſe per fidelitatem illam, qua tam liberaliter eas ſibi commiſerāt domino offerendas, ita vt pro eodē reputarēt, vtrum ipſa offerret eaſdē ex parte propria, ſiue ex parte earum, dummodo benignus dominus illas ſibi gratè dignaretur acceptare.

De reuerentia faciei dominicæ, de ſatiſfactione plenariam indulgentiam conferente. Et de ſacra communione.

CAPVT VII.

DOminica Omnis terra, dum de ſero more fidelium Romæ imaginē amantiſsimæ faciei domini videre deſiderantiū per confeſsionem ſpiritualem ſe præpararet, & inde ex recordatione peccatorum ſuorū ſibi deformata videretur, proceſsit ad pedes domini Ieſu eandem deformitatē depoſitura, petens à domino remiſsionem omnium peccatorū. Qui eleuata venerabili manu, dedit illi benedictionē in hęc verba: Indulgentiarū & remiſsionem omniū peccatorū tribuo tibi ex viſceribus meę gratuitæ pietatis. Et adiecit dominus: In verā emendationem omniū delictorum tuorum ſuſcipe à me hanc tibi iniunctā ſatisfactio- *Satiſfactio Deo grata.*

 nem,

nem, vt ſcilicet per circulũ totius anni iſti-us, diebus ſingulis ſemper pficias aliquod opus bonũ in vnione pietatis illius, qua ego remiſi tibi omnia peccata tua. Quod cũ illa gratãter ſuſciperet, hæſitans tamẽ aliquantulum ex humana fragilitate, dixit: Et quid faciã domine, ſi hoc aliquomodo neglexero, cùm occaſio ſe prę̃beret? Ad quod dominus: Quare velles hoc negligere, quod tã leuiter potes perficere? Nam benignitas mea acceptabit, ſi vnum veſtigiũ tali intentione calcaueris, ſeu calamum de terra leuaueris, vel verbum vnũ locuta fueris, vel alicui geſtum amicabilem exhibueris, vel etiã ſi requiem æternam pro defunctis, ſiue quodcunque verbum pro peccatoribus vel etiã iuſtis dixeris. Et in his illa nimium conſolata, orare cœpit pro amicis ſuis ſpecialibus, vt ipſi etiam à diuina miſericordia talem acciperent conſolationem. Cuius precibus dominus annuens, ſic ait: Omnes qui volunt tecum perſoluere ſatisfactionem tibi iniunctam, ſimul tecum habeant remiſsionem omnium peccatorum ſuorum ex hac mea benedictione: & ſic iterum longe extenſa venerabili manu, dedit benedictionem. Deinde ſubiunxit dominus: O quàm vberrimæ benedictionis affectu ſuſcipere vellem illum, qui poſt

Satisfactio plenariã indulgentiam conferens.

cir-

circulum anni reuerteretur ad me reportans mihi talem fructum, quod per totum annum ſic ſtuduiſſet operibus charitatis quod opera illa excederent numerum omnium peccatorum ſuorum, in quibus eodem anno deliquit. Ad quod cum illa, quaſi diffidens diceret: Quomodo hoc fieri poſſet, cum ſenſus hominum ſint proni ad malum, intantum, quod homo ſingulis horis multipliciter delinquat? Dominus reſpondit. Et quare videtur hoc tibi tam difficile, cum ego Deus tantũ delecter in ea re, vt ſi homo vellet aliquantulũ ſtudij adhibere ego Deus omnipotens paratus ſim illi cooperari adeo, vt mea diuina ſapientia deberet preualere. Et cũ illa diceret: quid tũc domine ꝓponis illi dare qui hoc ipſum tuo auxilio perfecerit? Dominus reſpõdit. hoc tibi aptius non poteſt dici, quam his verbis Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, O quam felix eſſet, qui ãte exitum ſuum vel vnum perfecerit annum in tali ſtudio pietatis, vel ad minus vnum menſem, quia certe & ipſe poſſet ſperare ſe ſimilia de manu domini benigniſſimi accepturum. ❡ Sequenti die orans pro his quæ ad monita ſua cõmunicabãt non obſtante ꝙ per confeſſoris abſentiã confeſſionem nõ fecerãt, videbatur domi-

Dei benignitas in eo admirandis noſtris pijs conatib⁹.

dominus ipſe veſtire eas veſte quadam candidiſsima, ſcilicet ſua innocentia, quæ ornata vndique erat gemmis precioſis, habentibus tam formam quam redolentiam violarum. Per quas notabatur humilitas illa, qua monitis eius conſentiebant. Deinde dabatur eis etiam veſtis roſea, floribus aureis intexta. Per quam figurabatur paſſio dominica in amore perfecta per quam quilibet homo obtinet meritum dignæ preparationis. Et ait dominus: Ponantur his ſedilia prope me, vt cognoſcant omnes quod non caſu, ſed de induſtria ſeruata eſt eis pars prima, id eſt, ab æterno prædeſtinatum eſt eis, quod hodie per virtutem humilitatis potiora apud me (ſed te interueniente) percipiant dona gratiæ Illis vero que non huius monitis, ſed per ſe gratia Dei, ſibi cooperante de bonitate Dei cõfidentes, licet inconfeſſæ cõmunicabant dabatur tantũmodo veſtis roſea aureis floribus intexta: & hæ quoque cum domino ad menſam conſedebant. Illæ vero quæ cũ humilitate & mœrore omittebant communionem, videbantur ſtare coram menſa, & in abundantia delitiarum illius multum delectari. Hinc benigniſsimus dominus propria dulcedine placatus, benedicta manu ſua dabat benedictionem cum his

Humilitatis virtus.

Paſſio dominica præparat hominem ad digne cõmunicandũ.

ver-

verbis: Omnes qui deſiderio amoris attracti, frequentant memoriam viſionis faciei meæ: illius ego ex virtute meæ humanitatis imprimo viuificum ſplendorem meæ Diuinitatis, cuius claritas eos interius iugiter perluſtrabit, & faciet in æterna gloria præ cæteris in ſpeciali ſimilitudine faciei meæ omnem cœleſtem curiam irradiare. Amen.

Reuerentia faciei dominicæ quid homini conferat.

In feſto ſanctæ Agnetis. De virtute verborum, quæ ſancta Agnes protulit mortis ſuæ tempore.

CAPVT. VIII.

AGnetis Deo dilectæ virginis ſanctæ nocte, dum plurimum delectaretur in eo, quod dominum amoris illius ſuauitate illaque laude gloriari conſpexit, qua tota cœleſtis curia extollebat verba prædictæ virginis, quæ tunc in Eccleſia replicabantur, recolens infirmitatem ſuam cum mœrore, dixit ad dominum: Heu domine quantæ delectationis ſuauitas influxiſſe potuiſſet animam meam occaſione tam dulcium verborum, ſi infirmitas mea non impediſſet? Ad quod dominus: Seruatum eſt tibi in memetipſo, & adhuc hauries hic

vel.

vel in futuro eo dulcius, quanto minus mixtum inſipiditate propriæ voluntatis. Vnde intellexit, quod nullius hominis ſalus minuitur per tale, impedimentum, quod propria culpa non incurritur. Et cū in ſexta lectione legeretur (Quidam dixit beatam Agnetem ab infantia Chriſtianam & ita magicis artibus occupatam, vt diceret Chriſtum ſponſum ſuum) iſta dolenter ſubiunxit. Heu domine Deus, quid tua principalis maieſtas patitur ab homine? Ad quod dominus. Ex voluptuoſa delectatione, quæ me & Agnetem coniungit, emendatur mihi hæc contumelia ad placitum. Ad quod illa: Eia benigniſsime Deus, da omnibus electis tuis tibi tantæ fidelitatis blanditate adhærere, quo nihili re putes omnes iniurias tibi à contradicentibus irrogatas. ¶ In die vero ſancti Auguſtini dum plurimorum ſanctorum merita ſibi monſtrarentur, deſiderabat etiam aliqua de meritis delicatæ iſtius virgunculæ ſibi ab infantia tenere dilectæ reuelari. Cu iꝰ petitioni dominꝰ mox annuens, eleuato brachio demonſtrauit ei ipſam beatam Agnetem in ſpecie multum amabili & delicata cordi ſuo diuino applicatam, ad oſtendēdum & confirmandū eximiam innocentiam eiuſdem, de qua dicitur: Incorruptio pro-

proximum facit eſſe Deo. Apparuit enim hæc inclyta proles Deo tam vicina, quaſi vix aliquis in cœlo poſſet eius innocentiæ ſimulque delicatæ amicabilitati ſimilari. Intellexitque illa, quod dominus ſingulis momentis intrahit ſibi omnem deuotionem & delectationem qua vnquàm alicuius cor affectum eſt, & adhuc afficitur. & ad amorem Dei ac deuotionem excitatur ex mellifluis verbis eiuſdem beatæ virginis, que adhũc crebrius in eccleſia recitantur. Et hæc omnia in corde ſuo miro modo nobilitata in ſimilitudine ſuauiſsimi nectaris cordi beatæ Agnetis tam delicate cordi ſuo diuino adaptatæ inſtillat: & ex hoc eadem beatiſsima virgo quaſi diuerſis nouis ornamentis mirifice decoratur, ſingulis horis, ſplendorem reddens in animas corũ, quorum deuotione lætatur.

Quam gratũ Deo vt ex verbis & exẽplis Sanctorũ ad amorem & deuotionem excitemur.

In feſto Purificationis, Quam prompte Ieſus & mater ſua exaudiant preces noſtras.

CAPVT. IX.

PVrificationis beatæ virginis feſto deuoto, dum ad matutinas audiret primum ſignum pulſari, gaudens in ſpiritu ait ad dominũ: Ecce cor meũ & anima mea ſalu-

ſalutant te amantiſsimum dominum meum in ſonitu iſtius ſigni, quo prenunciatur feſtum purificationis tuæ ſanctiſsimæ matris. Cui dominus dignantiſsime reſpondit: Et omnia viſcera pietatis meæ pulſant pro te ad ianuam diuinæ miſericordię meæ obtinendo tibi plenam remiſsionem omnium peccatorum. Ad compulſationẽ vero matutinarum dominus animæ vicem prioris ſalutationis recompenſans millepli catam, dixit ei: Tota diuinitas mea ſalutat te delectamentum animæ meæ, mittens tibi obuiam omnem fructum ſanctiſsimæ humanitatis meæ, quo placitiſsimo mihi modo præpareris in feſto præſenti. Poſt moram vero, dum audire deſideraret quid cantaretur in choro, ſed lectio decumbens ne quiret intelligere, mœſta dixit ad dominum: O ſi nunc domine mi locorum diſtãtia non impediret, poſſet cor meum ſaltem per aliqua verba cantus ad delectandum in te prouocari. Ad quod dominus: Si ignoras chariſsima, quid modo cantetur in choro, conuertere ad me, & diligentius cõſidera quid agatur in me, qui ſum continuus omnium quæ vnquam poſſunt delectare te. Et ſtatim illa cognouit in ſpiritu, qđ quemadmadum aliquis ex nimia laſsitudine concito anhelitu hiat, ſic ſingula membra.

bra domini ſine intermiſsione velut anhelando intrahũt ſibi omnia opera bona quæ à quoquam homine peraguntur in eccleſia,& illa in ſe purificata & nobilitata offert ſemper venerandæ Trinitati in laudẽ æternam Sed opera que fiunt cum intentione ad laudem Dei,illa intrahit ſibi cor diuinum,miro quodam & ineffabili modo ea in ſe nobilitando, & perficiendo.Et quamuis quælibet opera bona ex intractu ſanctiſsimorum membrorum domini ineſtimabilem & omnem humanam capacitatem ſupergredientem operentur ſalutem animæ illa tamen opera,quæ cor deificum ſuo attractu dignatur nobilitare & ad ſummam perfectionem in vnione ſui perducere,tanto ſunt digniora & per conſequens etiam ſalubriora, quanto homo ſiue animal viuens mortuo cadauere dignior & acceptior æſtimatur. ¶ Poſt hæc dum audiret cantari ſecundum Reſpondit.& doleret ſe primum.ſcilicet(Adorna)non audiuiſſe,dixit ad dominum.Doce me aman tiſsime domine,qualiter thalamum cordis mei tibi placitiſsime debeam exornare.cui dominus expande cor tuum, ſicut olim aperiebantur tabulæ deauratæ in templis idolorum,vt prouocarent populum ad ſacrificandum in diebus feſtis paganorum: &

&fac me videre imagines depictas in eo, in quibus delectatur anima mea miro & ineffabili modo. In quibus, verbis domini intellexit, quod dominus inæſtimabiliter delectatur in corde illius, qui ſibi hoc expandit per iugem commemorationem malorum ſuorum, & Dei beneficiorũ gratuitorum. Cum vero in ſecũdo nocturno cantaretur (Poſt partum virgo) in illo verbo (Intercede pro nobis) vidit beatam virginem pallio ſuo maculas cordis & animæ totius congregationis detergere, & quaſi in angulo quodam reponere, ſeque eiſdem præponere, ne corã oculis diuinæ iuſtitiæ comparerent. Et cum cantaretur anti. (Beata mater) iterum in illo verbo (Intercede) videbatur virgo gratioſa regi regum filio ſuo, cui honorifice ſublimata aſsidere videbatur in gloria, per quoddam oſculum ſuauiſsimum totius conuentus deuotionem, in vnione ſuæ puriſsimæ deuotionis miro modo gratificatam offerre. ¶ Iſta vero quæ hæc vidit, rurſus ſua impedimenta cauſante, dixit illi dominus: Si, inquit, impediunt te Simeon & Anna in templo, hoc eſt infirmitatis defectus, á diuino officio: egredere ad me in montem caluariæ, vbi inuenies iuuenem adultum formoſum & amatorem tuum

extenſum. Quo cum perueniſſet in ſpiritu & per moram in ſuauiflua memoria dominicæ paſsionis multiplici delectatione affecta fuiſſet, videbatur ſibi progredi ſe per portam quandan in parte Septentrionis & venire in templum glorioſum, in quo vidit beatum ſenem Simeonem ſecus altare ſtantem, & hæc verba deuote orantem: Quando veniet? Quando videbo? Putas durabo? Putas me hic inueniet. Hæc & his ſimilia cum multiplicaret verba, exhilaratus ſpiritu, & quaſi in impetu conuerſus vidit beatam virginem coram altari ſtantem & puerum Ieſum præ omnibus filijs hominum forma, ſpecioſum ſuis vlnis geſtantem. Quem vt aſpexit, ſtatim ſpiritu ſancto illuſtratus recognouit ipſum eſſe redemptorem ſeculi. Vnde cum ingenti gaudio ſuſcipiens eum in vlnas ſuas exclamauit & dixit: Nunc dimittis ſeruum tuũ domine, &c. Sicque in illo verbo: Quia viderunt oculi mei, &c. ipſum ſuauiter oſculabatur. In illo quoque verbo: Quod paraſti, &c. eleuauit eum coram arca altaris offerens eum Deo patri in veram ſalutem populorũ. Tũc arca quaſi ſpeculũ perlucidũ ilico reſplenduit, & in ea cũ luce ſe inuoluẽs imago delicatiſsimi & amabiliſsimi pueri Ieſu apparuit, ſignificãs & palã prote-

teſtans,ſeipſum eſſe per quem omnis oblatio veteris & noui teſtamenti eſt perfecta. Quod videns Simeon ardentiſsimo affectu exclamauit: Lumen ad reuelationem gentium. Sicque reddidit eum matri dicés Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. ¶ Mater vero virginea imponens eum altari obtulit pro eo duos pullos columbarum candidiſsimos, quos puer regius manu tenera, quaſi vlterius protrudebat. Per has columbas ſignificabatur ſimplex & innocens fidelium conuerſatio, quæ tamen continue more columbino diſcreta conſideratione remurmurat omni malo, & colligit grana pura, id eſt, exempla ſanctorum probabiliora ſtudet imitari. Et hi quodam modo, ſi dici poteſt, videntur redimere dominum Ieſum, dum ipſi ſua conuerſatione ſancta ex parte ſupplent aliqua quæ dominus diſpenſatiue perficere prætermiſit in doctrina ſua perfectiſsima. ¶ Cùm vero cantaretur verſus octaui reſponſorij, ſcilicet Ora pro nobis, &c. procedens virginum regina, flexis reuerenter genibus ſe mediatricem Dei & congregationis exhibuit. deuotiſsime orans ꝓ ſingulis. Quã filius Imperialis reuerendiſsime ſubleuans & penes ſe in throno gloriæ ſuæ collocans, poteſtatem ipſi tribuit liberalem, quecunque

que vellet imperádi. At illa protinus mandauit ordini poteſtatũ, vt velocius circundantes conuentũ manu forti à millies mille antiqui hoſtis fraudibus defenſaret. Qui protinus mandato reginæ cælorum parentes, ſcutis ſuis ſingulis alterutrum iunctis, vndiq; Conuentum circumuallabãt. Tunc iſta dixit ad beatã virginem: Nunquid mater miſericordiæ hac firmiſsima tutela non proteguntur, qui modò nõ ſunt in choro? Reſpondit pia virgo: Hac protectione non modò munitur congregatio, quæ apparet in choro, ſed per illam deſignatur congregatio omniũ qui toto cordis deſiderio exoptant religionem veram in loco iſto vel vbicunque perpetuo conſeruari & augeri, & ad hoc conſequendum ſummo ſtudiò pro poſſe ſuo laborant. Si qui verò minus curant de religionis conſeruatione, nec ſtudium adhibent eam in ſemetipſis tenendi ſiue in alijs promouendi: hi nimirum hac ſanctorum angelorum protectione minimè fulciuntur. Hinc adiecit dominus: Si quis deſiderat tali munimine defendi, ſtudeat ad modum ſcutorum iſtorũ inferius, id eſt, in ſemetipſo, eſſe paruus per humilitatem, & ſuperius, hoc eſt, in me, latus eſſe per ſecuram confidentiam de mea præſumendo largiflua benignitate. Cumque ad pro-

Humilitas & confidẽtia inſtar ſcuti nos defendunt ab inſidijs hoſtiũ

proceſsionem in capella cantaretur verſus: Ora pro nobis ſancta Dei genitrix, videbatur mater glorioſa deponere filium delicatum ſuper altare, & ſe coram illo deuotè proſternere, quaſi pro tota congregatione ſupplicatura. Cui regalis puer ſe verſa vice inclinauit, in ſignum quòd non ſolùm preces eius benignè ſuſciperet, ſed etiam omnem voluntatem tam dilectæ matris libentiſsimè impleret.

In feſto ſancti Gregorij. De gloria maxima eorum qui alios docent viam vitæ.

CAPVT X.

CElſi meriti beatiſsimi papæ Gregorij die præclaro, dum hæc virgo ſub miſſa intenderet veneratione illius, apparuit idem Deo dignus pontifex inæſtimabili gloria & honore cæleſti circumfultus. Ná videbatur omnium ſanctorum meritis pro ſui dignitate ſingulariter coæquatus. Par enim erat Patriarchis in paterna prouiſione & diligenti cura, qua nocte dieque ſolicitabatur pro vtilitate eccleſiæ ſibi commiſſæ. Compar etiam videbatur Prophetis, eo quòd ipſe in ſcriptis ſuis ſaluberrimis diuerſas machinationes inimici, qui-

Dignitas & ſplendor D. Gregorij.

quibus infeſtaturus erat genus humanum, prænunciauit, & ad reſiſtendum illi vtilia monita & cautelas adiunxit. Ex quibus ipſe maiori gloria lætabatur dotatus quàm aliquis ſanctorum prophetarum pro ſua prophetia. Aequipollebat quoque meritis ſanctorum Apoſtolorum, per fidelem adhæſionem, quia tota deuotione tam in aduerſis quàm in proſperis domino fideliter adhærebat, & verbi Dei ſemina vniuerſæ eccleſiæ liberaliter diſtribuebat. Aſsimilabatur inſuper meritis Martyrum & Confeſſorum, per diſtrictam corporis caſtigationem, deuotamque religionis & totius ſanctitatis perfectionem. Præpollebat inſuper in eo virginalis caſtitatis dignitas, & pro qualibet cogitatione, verbo & opere quo vnquam pro conſeruanda integritate cordis vel corporis inuigilauerat, ſiue alios ſcriptis vel monitis ſuis inuigilare docuerat, inæſtimabilis dignitatis gloria lætabatur. Tunc ait dominus ad animam: Perpende nunc, quàm pulchrè huic electo meo illud Pſalmi conueniat, quo dicitur: Quod ſecundum multitudinem dolorum in corde hominis, conſolationes diuinæ lætificent animam fidelem: cùm pro quolibet verbo, facto, vel etiã cogitatione ſe grauante tam inæſtimabilibus

delitijs ſit remuneratus. Nam inſtante die trāſitus ſui naturalis (qui hodie recolitur) nequaquam lætabatur corpore, vtpote qui torrentem mortis pertranſiens in corporali erat anguſtia conſtitutus. Omnes etiam circunſtantes, imo tota eccleſia, tanto talique patre ac prouiſore deſtituta, diem illū lugubri dolore plangebat, quem nunc annua reuolutione inſigni veneratiōe & prçconio laudum recolit ſolennem & iucundum. ¶ Tunc iſta dixit ad dominum: Et quid domine mi ex hoc conſequutus eſt, quòd tam ſalubribus ſcriptis eccleſiam ditauit & illuminauit? Reſpondit dominus: Hoc, inquam, quòd tota diuinitas mea in ſingulis ſcriptis ſuis miro modo delectatur, & omnes ſenſus humanitátis meæ ſuaui fruitione in eiſdem dictorum & ſcriptorum eius delitijs paſcuntur. Et iſte quoque hac iucunditate fruitur mecum, quotieſcunque aliqua de dictis ſuis recitantur in eccleſia, ſeu quiſquam ex eorum lectione vel audientia ſalubriter compungitur, ſeu ad deuotionem incitatur, aut inflammatur ad amorem. Et ex hoc ipſe coram omni militia cæleſti tantum conſequitur dignitatis & honoris, quātum miles vel princeps terrenus ex hoc conſequitur, quòd domino ſuo regi cōſimili veſte amictus honoratur, ſiue

Quid fructus ſancti ex ſuis ſcriptis conſequātur.

ſiue quòd ad menſam regis ſedens de exquiſitiſsimis ferculis (quibus rex ipſe veſcitur) quotidiè cum ipſo paſcitur. Et adiecit dominus: Hac ſpeciali prærogatiua dignitatis donantur etiam tibi ſpecialiter dilecti Auguſtinus & Bernardus, cæterique alij doctores eccleſiæ, quilibet ſecundum multiplicitatem & vtilitatem doctrinę ſuę. Dum verò cantaretur xij. Reſponſ. ſcilicet: O paſtor, exurgens beatus Gregorius flexis genibus eleuatisq; manibus videbatur pro eccleſia domino deuotè ſupplicare. Cui dominus cum miræ ſerenitatis blanditate cor ſuũ deificum totum expoſuit, ad hoc, vt ex ipſo quodcunq; eccleſiæ neceſſarium cognoſceret, liberè exciperet largeque diſtribueret. Cumque beatus Gregorius velut ambabus manibus gratiam diuinæ conſolationis de corde dominico hauſtam in totã terræ latitudinem diffundere vellet, videbatur eum dominus circumcingere quaſi zona quadam ſplẽdida ex auro puriſsimo. Per quod notabatur diuina iuſtitia, quæ eũ continuit, ne dimitteretur plenè vſque ad terram, ſed velut in aere detineretur: id eſt, ne gratiam vſque ad indignos vel ingratos diffunderet, ſed ſi quis eam obtinere vellet, deſiderio cordis ſurſum nitens accipere mereretur.

In feſto ſancti Benedicti: Quam beati ſint, qui regularem vitam benè ſeruant.

CAPVT XI.

Gloria S. Benedicti.

BEnedicti patris noſtri ſanctiſsimi feſto præclaro, dum ſub matutinis Deo intenderet deuotius ob honorem & reuerentiam tanti patris, vidit in ſpiritu ipſum patrem glorioſum in conſpectu fulgidæ ſemperque tranquillæ Trinitatis honorabiliter ſtantem, venuſtum forma, decorumque aſpectu. Ex cuius ſingulis articulis membrorum videbantur mirabiliter germinando prodire roſæ pulcherrimæ, miræ virtutis & vernantiæ fragrantiæque ſingularis: ſicque quodlibet membrorum ipſius vernabat, velut amœniſsimum roſetum, quia quilibet roſa de medio ſui producebat aliam roſam, & illa vltra aliam, ſicque plurimæ prodibant de qualibet, quarum quælibet alteri venuſtate, virtute & vernantia ſua præpollebat, & diuerſæ diuerſas amœnitatis ſuæ odorifero virore præcellebant, ſicque totus floridus & amœnus ſanctiſsimus pater, gratia & nomine Benedictus, ſemper venerandæ Trinitati, omnique militiæ cæleſti, miræ & inæſtimabilis delectationis incitamentum mi-

miniſtrabat, & ad tantæ beatitudinis ſuæ congratulationem prouocabat. Itaque per flores roſarum, quæ de ſingulis membris eius efflorebant, notabantur ſingula exercitia, quibus ipſe carnem ſuam domando ſpiritui ſubiugauerat & omnia opera virtutum, quæ peregerat per omnem conuerſationem ſuam ſanctiſsimam, & etiam opera omnium imitatorum ſuorum, qui eius exemplo, & doctrina prouocati ſeculo abrenunciantes ſub regularis diſcretionis tramite, via regia ipſum ſequentes, iam ad portum patriæ cæleſtis peruenerunt, & adhuc vſque ad conſummationem ſeculi peruenturi ſunt. De quibus ſingulis idem venerabilis pater ſingularem obtinet dignitatem. Pro qua vniuerſitas omnium ſanctorum ipſius claritati & felicitati congaudens, dominum ſine fine collaudat. Geſtabat quoque beatus Benedictus velut pro baculo ſceptrum quoddam decentiſsimum, gemmis preciosiſsimis mirè coruſcantibus, ex vtraque parte mirabiliter perornatum. Quod cùm manu teneret, à patre ad ſe verſa ex gemmis ſceptri arridebat ei felicitas omnium, qui per regularem diſcretionem ordinis ſui, vnquam ſunt correcti & emendati, ex qua etiam inæſtimabili delectatione diuinæ

Beatitudo regularem viā benè ſeruantium.

X pie-

pietatis afficiebatur. A parte verò altera, quæ ſcilicet verſa videbatur ad dominum, reſpondebat decor diuinæ iuſtitiæ in hoc quod illos quos ad tanti ordinis dignitatẽ gratuita ſublimauerat dignatione, culpis eorum exigentibus iuſto iudicio condem-
„ nando ſupplicijs deputauit æternis. Quia
„ quanto quis ad digniorem ordinẽ à domi-
„ no ſublimatur, eo iuſtius indignè viuens condemnatur. ¶ Cùm verò offerret ipſi beato patri ex parte congregationis pſalterium vnum in honore ipſius completum, exurgens hilari vultu obtulit domino vernantiam omnium membrorum ſuorũ, qua (vt prædictum eſt) videbatur efflorere pro ſalute omniũ qui ſuum patrocinium deuoto corde inuocant, ac etiam omnium qui veſtigia eius ſequi per obſeruantiam regulæ ſuæ ſanctæ peroptant. Dum verò cantaretur Reſponſorium (Grandi pater fiducia morte ſtetit precioſa, &c.) iſta dixit ad eum: Quid pater ſanctæ obtines dignitatis, quod tam glorioſo fine ab hoc tranſiſti ſeculo? Reſpondit: Hoc, inquam, quòd adhuc ex eo quod vltimum ſpiritum inter verba orationis efflaui, tam ſuauiter ſpiro præ alijs ſanctis, quòd omnes in afflatu meo mirificè delectantur. Tunc orabat vt propter gloriam precioſæ mortis ſuæ;

ſuæ dignaretur cuilibet de congregatione in hora mortis ſuæ fideliter adeſſe. Cui venerabilis pater reſpondit: Quicunque me admonere ſtuduerit illius dignitatis, qua me dominus meus tam glorioſo fine dignus eſt honorare ac beatificare, huic ego in hora mortis ſuæ tali fidelitate volo adeſſe, quòd certè opponam me illi ex omni parte, qua video inſidias inimicorum nociuius contra ipſum ſæuire, vt mea præſentia munitus, laqueos inimicorum euadat ſecurus, ac cæli gaudia petat ſine fine beatus.

S. Benedicti protectio quomodo obtinenda.

De Annunciatione dominica. De patientia grauaminum, viſione corporea, & exercitijs pijs ad glorioſam virginem.

CAPVT XII.

IN vigilia Annunciationis dominicæ, dum pulſaretur ad capitulum, & iſta intendere ſtuderet domino: recognouit in ſpiritu dominnm Ieſum, vna cum matre ſua virginea in Capitulo loco ſuperiorum ſedentes, & quaſi cum magna tranquillitate aduentum congregationis præſtolantes, aduenientesque cum inenarrabili blanditatis ſerenitate ſuſcipientes. Et cùm in

Kalendario legeretur (Annunciatio dominica) conuerſus Ieſus ad matrem blandiſſima capitis inclinatione ipſam ſalutauit, & quodammodo per hoc in ipſa illam inæſtimabilem ſuauitatem & delectationem innouauit, quam olim perſenſit dum in vtero virginali incompræhenſibilis diuinitas carnem ab ea ſumens, dignata eſt ſe humanæ naturæ noſtræ counire. Cùm autem Conuentus dediſſet ſe in orationem legendo Pſalmum: Miſerere mei Deus, & cæt. Dominus obtulit omnia verba in manus ſuæ virgineæ matris in ſpecie margaritarum diuerſi coloris. Videbaturque regia virgo habere diuerſa olfactoriola, in ſinu ſuo congregata, quæ exornabat cum margaritis, id eſt, cum orationibus congregationis ſibi à filio ſuo ad hoc porrectis. Intellexitque per olfactoriola deſignari grauamen congregationis, quod præcedenti die, ex quadam inſpirata acciderat cauſa: & hoc ſine illius culpa. Cumque miraretur & perquireret, quare hoc grauamen in ſpecie olfactoriolorum oſtenderetur, Dominus reſpondit: Idcirco, quia ſicut delicatę fœminę magis delectantur penes ſe geſtare olfactoriola delectabilia, quàm alia xenia, quod in eorum fragrantia delectentur: Sic ego valdè delector

in

in cordibus eorum, quia grauamina ſua cum humilitate, patientia, & gratitudine fiducialiter committunt meæ paternæ pietati, quę diligentibus ſe vniuerſa tam proſpera, quàm aduerſa commutat in bonum. *Quilibet grauamina ſua committit diuinæ pietati.* ¶ Illa verò cogitante cur eam dominus viſione adeo corporea illa vice & etiam ſæpius inſtrueret, propoſuit ei dominus illud, quòd in eodem feſto canitur, de porta clauſa quam quondam in ſpiritu præuiderat propheta Ezechiel, & ait ad eam: Sicut olim incarnationis, paſsionis & reſurrectionis meæ, modus & ordo à prophetis per myſticas rerum ſpecies & ſimilitudines, eſt præſignatus: ſic & modò ſpiritualia & inuiſibilia non aliter quàm per rerum cognitarum ſimilitudines poſſunt ad intellectum hominum exprimi. Et ideo à nullo debet vilipendi, quicquid per imaginationes rerum corporalium demonſtratur, ſed ſtudere debet quilibet, vt per corporalium rerum ſimilitudinem ſpiritualium delectationum ſuaues intelligētias deguſtare mereatur. ¶ Sub matutinis verò, dum cantaretur (Aue Maria) vidit tres riuulos efficaciſsimos procedentes à patre & filio & ſpiritu ſancto cor virginis matris ſuauiſsimo impetu penetrare, & de corde ipſius rurſus efficaci impetuoſitate ſuā

originem repetere, & ex illo influxu ſan-
Excellentia S. virginis Mariæ.
ctæ Trinitatis hoc beatæ virgini donatum fore, quòd ipſa eſt potentiſsima poſt patrem, ſapientiſsima poſt filium, & benigniſsima poſt ſpiritum ſanctum. Cognouit etiam quòd quotieſcunque illa ſalutatio angelica, ſcilicet (Aue Maria) cum deuotione recitatur à fidelibus in terris, prædicti riuuli efficaciori impetu ſuperabundantes circunfluunt beatiſsimam virginem. Et ex altero latere reinfluunt cor ipſius ſanctiſsimum, ſicq; cum mira delectatione repetunt fontem ſuum, & ex illa redundatione venæ quędam gaudij delectationis & æternę ſalutis reſperguntur in omnes perſonas ſanctorum & angelorum, & inſuper illorum qui in terris commemorant eandem ſalutationem, per quas renouatur omne bonum in ſingulis, quod vnquam per ſalutiferam incarnationem filij Dei ſunt adepti. Quandocunque etiam aliqua recitabantur de beatæ virginis caſtitate, vt (Hæc eſt quæ neſciuit thorum: Domus pudici pectoris: Clauſa parentis viſcera, &c.) omnes ſancti Dei aſſurgentes, ſpeciali reuerentia imperialem virginem & dominam ſuam venerabantur, gratias deuotas domino referentes pro omnibus beneficijs beatiſsimæ matri vnquam ad vniuerſitatis ſalutem.

Fructus angelicæ ſalutationis.

lutem impenſis. ¶ Sanctus quoq; Gabriel archangelus toties nouo ſplendore diuini luminis viſus eſt irradiari, quoties recitabatur annunciatio facta per ipſum. Et cũ nominabatur beatus Ioſeph (cui deſponſata erat mater virginea) omnes ſancti capita ſua reuerenter ob honorem eiuſdem inclinabant, & nutu oculorum amicabiliter blandiebantur ipſius dignitati congaudentes. ¶ Submiſſa verò qua erat communicatura, vidit matrem domini glorioſam omnium virtutum decore mirabiliter adornatã, ad cuius pedes anima humiliter procidens, orabat vt eam ad perceptionem venerabilis ſacramenti corporis & ſanguinis filij ſui dignaretur præparare. Tunc beata virgo impoſuit pectori eius monile quoddam ſplendidiſsimum, quod habebat quaſi cornua ſeptem, & in quolibet cornu gemmam quandam precioſiſsimam; per quę ſignificabantur præcipuè virtutes quibus beata virgo domino placuerat. Per primam itaq; gemmam figurabatur alliciens puritas. Per ſecundam fructificans humilitas. Per tertiam feruens deſiderium. Per quartam luminoſa cognitio. Per quintam inextinguibilis amor. Per ſextam eminens delectatio in Deo. Per ſeptimam pacata tranquillitas. Cumque anima hoc monili

S. Gabriel.

S. Ioſeph.

Præcipuè virtutes S. Mariæ.

decorata diuinis conſpectibus appareret, dominus in ornatu virtutum illarum tantoperè delectatus & allectus eſt, quòd velut amore captus ſe cum tota virtute diuinitatis ſuæ ad eam inclinans, ipſam totam mirabiliter ſibi intraxit, & in ſinu ſuo delicatè confouens, amicabiliter ipſi blandiebatur. ¶ Dum verò ad Magnificat cantaretur Antiph. (Arte mirabili) Spiritusſanctus tanquam auſter leniſsimus afflare videbatur de corde domini, qui ſuo præſuauiſsimo ſpiramine ſeptem gemmas monilis illius, quod anima geſtabat coram ſe dulciter circumuoluens, quaſi per muſicũ inſtrumentum ipſam Antiph. decantabat in laudem ſummæ Trinitatis. Hinc dum in euangelio legeretur (Ecce ancilla domini) iſta deuota mentis intentione ſalutabat matrem Dei, admonens eam illius ineffabilis gaudij, quod perſenſit quando in verbo illo ſe totam & omnia circa ſe agenda cum plena fiducia diuinæ voluntati commiſit. Cui beata virgo blandiſsima ſerenitate reſpondit: Quicunq; me iſtius gaudij deuotè admonuerit, huic veraciter ego demonſtrabo illud quod petitur in hymno præſentis feſti, ſcilicet (Monſtra te eſſe matrem) exhibendo me reuera matrem regis gloriæ & ſupplicantis hominis. Regis per potentiam,

tiam qua homini illi ſuccuram: Supplicantis quoque per viſcerum miſericordiæ affluentiam ſibi ſalutarem. ¶ Dum vero ad veſperas in Anti. (Hæc eſt dies) cantaretur Hodie Deus homo factus, & conuentus ob reuerentiam digniſsimæ incarnationis domini proſterneretur in terrã, quaſi commotus in verbo illo filius Dei regis ſummi reduceret ad memoriã amorẽ, quo cogẽte ꝑ nobis foret homo factus, concite de ſolio ſuo regali ſurrexit, & coram Deo patre reuerenter ſtans ait illi: Fratres mei venerunt ad me. O quam longe ſuauiori affectu creditur eſſe cõmotus Deus pater ex illo verbo filij ſui prædilecti, in quo ſibi cõplacuit ad præſtandam in infinitum potiora bona confratribus vnigeniti ſui: quam Pharao, qui congratulans Ioſeph ad ſe venientibus fratribus ſuis beneficia larga impendit, vt ſcribitur in Geneſi. ¶ Deſiderans vero inueſtigare quid orationis beata virgo acceptaret ſpecialius in hoc feſto, edocta eſt ab eo, quod ſi quis per octauam quotidie legeret .xlv. Aue Maria cum deuotione in memoriam illorum dierum quibus dominus Ieſus creuit in vtero ſuo: ille tam acceptum famulatum ſibi exhiberet, ſicut ſi eo die quo dominum concepit, ſibi affuiſſet, & ꝑ ſingulos dies vſq; ad partũ diligẽtiſ-

tiſsima ſibi obſequia impendiſſet:& quam inuite illi tunc pro ſeruitio ſuo virgo denegaſſet,quicquid ab ea deſideraſſet, tam inuite vellet iſti denegare petitionem ſuam. Aue Maria ſic intellexit legendum , quod, ſcilicet ad illud verbum (Aue Maria) deſideraret alleuiari omnes grauatos.Per illud (gratia plena) omnibus quibus non ſapit gratia,preſtari ſaporem.Per (dominus tecum) omnibus peccatoribus indulgentiā. Per (benedicta tu in mulieribus) omnibus incipientibus perficere bonam voluntatē. Per (bene.fructus ventris tui) omnibus electis perfectionem.Per (Ieſus ſplendor paternæ claritatis) veram cognitionem.Per (& figura ſubſtantiæ eius) diuinum amorem, ad quodlibet enim Aue Maria , iſta verba ſcilicet Ieſus ſplendor paternæ claritatis & figura ſubſtantię eius , debent adiungi in fine.

De fructuoſa abſtinentia ſacræ communionis, deque meritoria refectione corporis.

CAPVT. XIII.

DOminica Circundederunt, dum adhuc valde eſſet debilis,& multum deſideraret diuina percipere ſacramenta: quam-

quamuis ſe ad ea pro poſſe ſuo ſtuduiſſet præparare.tamen ex conſilio matris ſpiritualis propter bonum diſcretionis intermittere conſenſit communionem.Et cum hoc domino in laudem æternam offerret, videbatur ſibi ſtare ſe coram domino & dominus ſe benigne acclinans, ſuſcepit eam in ſinum paternæ benignitatis ſuæ, dulciterque quaſi mater vnico blandiens infantulo dixit:Ex quo deliberaſti me omittere pure propter me,ego in gremio meo confouebo te,ne forte aliquo poſt me fatigeris exteriori labore.Cumque ſic in ſinu domini delitiaretur dixit ad eum:O amator dulciſsime cum mundus(qui totus in maligno poſitus eſt)tempore iſto magis per crapulam & ebrietatem,gloriæ tuæ ſoleat aduerſari: ego ex toto corde deſidero ecõtra in emendationem illius, tuam laudem in noſtra congregatione promouere.Vnde ſi dignaris me ancillam tuam,licet heu indigniſsimam,tuo ſeruitio mancipare, & in nuncium acceptare:ego libentiſsime propter amorem tuum cæteris vellem exercitium aliquod annunciare,in quo tibi iſto tẽpore ſpeciali deuotione obſequendo ſuper diuerſis mundanorum infeſtationibus te placare poſſent & lenire.Cui dominus: Si quis eſt nuncius meus,illum tali remune-

ro

ro præmio,vt omne quod ipſe mihi acquiſierit,totaliter cædat ſuæ ditioni.Per quod intellexit, quod quandocunque aliquis ſcribit vel alios docet,ea intētione vt laus Dei per hoc promoueatur & profectus animarum:tūc omnis profectus quem aliquis vnquàm ex illa ſcriptura ſiue doctrina etiā per mille annorum milia conſequitur, totaliter cedit in illius ſalutem qui ſua intentione hoc domino primitus prælibauit. Poſt hæc adiecit dominus:Quicunque ſtuduerit ſingula commoda ſua in bibendo, comedendo,dormiendo & ſimilibus(quæ ex natura cogitur ſuſcipere)ea ſumere intentione,vt dicat corde vel ore: Domine hunc cibum vel aliud quodcunque ſuſcipio in illo amore,quo tu ipſum eundē ſanctificaſti,cum in tua ſanctiſsima humanitate conſimili vtereris ad laudem Dei patris & ſalutem totius generis humani,orans vt in vnione diuini amoris tui cedat in augmentum ſalutis omnibus cœleſtibus, terreſtribus,& purgandis.Ille ſingulis vicibus(quibus tali intentione aliquod ſuſcipit commodum)prætendit coram me quaſi ſcutum quoddam firmiſsimum, quo cōtra diuerſas moleſtationes quibus à mundanis infeſtor, quaſi protectus defendor.
¶ Hinc ſub miſſa,dum Conuentus commu-

municaret,reclinauit eam dominus mira blanditate ad vulnus amatorium ſanctiſsimi lateris ſui dicēs. Ex quo hodie cauſa diſcretionis me corporaliter in ſacramento altaris ſuſcipere omittis:bibe nunc de corde meo ſpiritualiter ſuauiſsime diuinitatis meæ efficacem influxum. Cumque de torrente voluptatis diuinæ ſuauiter potata domino deuotas gratias offerret, cōſpexit in ſpiritu omnes qui illo die cōmunicabāt ſtantes in conſpectu domini. Quibus ſingulis dominicis de p̄paratione illa qua ipſa ſe præparare ſtuduerat,ad communionem donabat,quaſi ſingulas veſtes miri decoris & ad illarum quamlibet pertinebat donū quoddam ſpeciale pietatis diuinæ,quo digne preparentur omnes ad communicandū Cūq; omnes eſſent cōſimili beneficio meritis iſtius à diuina liberalitate ditati,accedētes omnes cōmuniter obtulerūt domino viceuerſa omnia ſibi ex meritis electæ ſuæ donata in laudē æternā & cumulū meritorū ac beatitudinē huius virginis ſempiternā. Vnde ꝑ hoc intellexit,ꝙ quādocūq; aliquis ſe p̄parat ad communionē ſpecialibus orationibus,deuotionibus,& ſimilibus: & tamen omittit communicare cauſa diſcretionis,vel humilitatis,aut obedientiæ: tūc dominus eundē ſatiat ex torrēte ſui diuini influxus

influxus. Et ex preparatione illius quam alijs participiat, magis alios reddit paratos ad communicandum. Et omne bonum quod quilibet ex hoc cõſequitur, totaliter cedit in meritum eius: qui licet non communicans, tamen pro poſſe ſuo ſe ſtuduit preparare. Tunc iſta dixit: O domine ſi tantum conſequitur bonum qui omittit communionem ſacram: ergo ne melius eſt omittere quam ſumere communionem? Ad qd' dominus: Nequaquam. Nam qui amore laudis meæ diuina percipit ſacramenta, habet profecto cibum ſaluberrimum deificati corporis mei cum nectare balſami delicioſiſsimæ diuinitatis, & inſuper incomparabilem ſplendorem ex ornamentis virtutum diuinarum. Tunc illa: Quid tunc domine mi conſequunter hi, qui dum pro ſuis negligentijs omittunt communionem liberius ipſo die leuitatibus & negligentijs inſeruiunt dominus reſpondit: Si quis negligit, ſe ad communionem preparare & dum communionem omittit liberius ſuã perficit voluntatem. Ille ſe magis indignũ efficit, & quodammodo ſe priuat fructu tanti ſacramenti, quod eo die per totam Eccleſiam communicatur Et illa. Eia mi domine, vnde eſt hoc quod quidam quam uis videantur ſibi indigni, & etiam minus ſtudeant:

deant præparationi, tanto tamen deſiderio attrahuntur ad percipiendum tuum ſalutiferum ſacramentum, quod nunquam ſine grauamine ſtatutis diebus abſtinent? Reſpondit dominus. Hoc reuera prouenit ex eo, quod ſpeciali gratia ditati, ſuauiori ſpiritu meo aguntur: Sicut rex qui aſſuetus eſt regalibus, naturaliter magis delectatur in aſſueta ſibi gloria delitiari, quam more garcionis vicos & plateas peruagari.

De ſalute promiſſa ſequentibus doctrinam huius libri. De arca Deo in corde facienda, deque probatione inſtin-ctus boni.

CAPVT. XIV.

DOminica Exurge, iterum lecto decumbens. dum ad matutinas audiret cantari: Benedicens ergo, memor delectationis, & deuotionis quam ſæpius in eodē habuerat reſponſorio, dixit ad dominum: Eia domine, ſicut ego ſepius reſponſorium iſtud & etiam alia cum tanto feruore decantaui, vt viderer mihi aſſumpta ſtare ante thronum gloriæ tuæ, & in cor tuum quaſi in, organum, quoddam dulciſſimum, ſingula verba & notas intonare: ſic heu nunc infirmitate prepedita mul-

multa negligo. Cui dominus: Ex quo dilecta mea dicis & ego verum eſſe teſtor, teſæpius per organum cordis meidiuini ſuauiſone decantaſſe: ergo vicem condignam tibi recompenſando ipſe tibi modo ſuauiter decantabo. Et adiecit. Sicut per memetipſum quōdam iuraui ſeruo meo Noe, quod non adducerem vltra aquas diluuij ſuper terram ad delendum eam: ſic iuro tibi per diuinitatem meam, quod nullus eorum qui audit verba tua cum humilitate, & dirigitur ſecundum ea pia intentione, vnquam poterit perire: ſed via tuta directoque tramite abſque omni errore ſecurus perueniet ad me, qui ſum via, veritas, & vita. Et hoc iuramentum meum confirmo cum ſigillo meæ ſanctiſsimæ humanitatis, quo tunc carui eo quod nondum eſſem homo factus. Et illa: Cum tu, inquit æterna ſapientia præſcires omnia, quibus te mundus infeſtaturus eſſet, mala tanquam præterita & præſentia, quid voluiſti benigniſsime hoc pactum tuum iuramento ſtabilire, quod non vltra deleres vniuerſum orbem aquis diluuij? Reſpondit dominus: Ad exemplum hominū perutile hoc feci, vt per hoc diſcāt tempore tranqullitatis ſic componere & pacto confirmare quælibet ſibi vtilia, vt in tem-

tempore, aduerſitatis cogantur, ſaltem propter honorem ſuum liberum arbitrium cohibere. ¶ Tunc illa: O domine Deus multum acceptarem, ſi modo dignareris me ancillam tuam inſtruere, qualiter per ſeptimanam hanc fabricando arcam poſsim digne tibi deſeruire. Reſpondit dominus: Arcam mihi acceptabiliſsimam in corde tuo fabricabis. Ideo hoc ſummopere penſare ſtude, quod Arca Noe dicitur tricamerata fuiſſe, ita quod in ſummo ejus habitabant volucres, in medio homines, in infimo pecora. Ad cuius ſimilitudinem diſtingue & tu ſingulos dies, hoc modo, vt ſcilicet à primo mane vſque ad nonam ex parte totius eccleſiæ perſoluas mihi laudes & gratiarum actiones ex intimo cordis affectu pro vniuerſis beneficijs, ab initio ſeculi vſque in præſens vlli vnquam hominum impēſis, & ſpecialiter pro illo digne colendo beneficio, quo quotidie ab ortu diei vſque ad nonam ſine intermiſsione immolor Deo patri in altari pro ſalute humana. Quod tamen homines paruipendentes gulæ & ebrietati inſeruiūt, quaſi omnino beneficijs meis ingrati Pro quorum defectu, dum tuam gratitudinem cum affectu quaſi ex parte eorū offerre mihi ſtudueris, quaſi aues in ſuperiori

parte

parte arcæ mihi videris congregare. Hinc ab hora diei nona vſque ad veſperum, quotidie ſtudeas in bonis operibus te deuote exercere in vnione illa ſanctiſsima qua ego omnia opera humanitatis meæ perfeci in ſuppletionem negligentiæ illius vniuerſalis, qua totus mundus pro tantis beneficijs debitis bonorum operum obſequijs mihi negligit reſpondere. Et hoc cum feceris, homines congregare in medio Arcæ comprobaris. Ad veſperum autem in amaritudine cordis retracta impietatem humanã, qua non ſolum negligunt homines pro infinitis acceptis à me beneficijs, debitum reſtituere penſum ſeruitutis: quin inſuper adijciunt diuerſorum peccatorum generibus me quotidie ad iracundiam prouocare. Pro quorum emendatione offeras mihi pœnas & amaritudines meæ innocentiſsimæ paſsionis & mortis. Et ſic pecora mihi in extrema parte arcæ concludis. ¶ Túc illa dixit ad dominum: Cum hanc inſtructionem deſiderauerim à te ſtudio ſenſuum meorum obtinere, non præſumo ſecure affirmare, quod tu doctorum optime per teipſum hæc me docueris. Ad quod dominus: Cur inquit, ob hoc debet donum meum paruipendi, ſi cum ſenſibus tuis (quos ad ſeruiendum mihi creaui) diligé-
tiori

tiori ſtudio illud perfeci, cùm tamen magis commendetur & acceptetur, quòd facturus hominem cõſilio deliberato dixi: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, quàm quòd alia creando dixi: fiat lux, fiat firmamentum, &c. Et illa: Si ego hanc introducerem authoritatem, poſſent & alij ſenſu proprio laborãtes adinuentiones diuerſas introducere, & eas quaſi per authoritátem defendere, quamuis ea non percepiſſent per efficacem gratiæ tuæ influxum. Ad quod dominus: Adiunge hanc diſcretionem. Si quis hoc finaliter in corde ſuo experitur, quòd voluntas eius ita per omnia meę diuinæ ſit vnita voluntati, quod nec in minimo vnquã proſpero vel aduerſo caſu poſsit à meo beneplácito aliquatenus diſcordare, & inſuper in illo quod agit vel patitur, ita purè laudem vel gloriã mei ſolius deſiderat, quod in omnibus propriæ renunciat totaliter vtilitati & mercedi: ille ſecurè poteſt affirmare quod quicquid boni ſenſuum ſuorũ exercitis appręhenderit eum interno ſapore (quòd tamen ſcripturæ ſacræ teſtimonio non videatur carere, ſed proximorum ſaluti conducere) hoc ex me veniſſe. Rurſumque dominus mira blanditatis exhibitione aſtans coram anima dixit: Eia domina

Diuinus inſtinctus quomodo probandus.

mina regina conſolare me nunc, ſicut ego ſæpius te conſolatus ſum. Sicque in his verbis dominus omnipotens, fidelis animę zeloſus amator vltra modum delicatè nimis ſe inclinabat tanquam oſculum ab ea accepturus. Tunc anima ad tam inauditæ dignationis domini propoſitionem ſtupęfacta, cum humilima deuotione reſpondit quaſi ex intimis cordis medullis proferens hæc verba: Eia tu Deus creator, & ego creatura. In quibus verbis mox mira diſpenſatione anima diuina virtute Dei intracta videbatur, cum domino ſuo feliciter iucundari. Tunc dixit ad dominum: Dignare nunc pater miſericordiſsimè mihi ancillæ tuæ ſaltem paruam ſomni quietè prę-ſtare poſt ſumpta ob nimium cordis defectum aromata, vt poſsim hodie tua viuifica percipere ſacramenta. Ad quod dominus: Iſta vnio qua modo anima tua mihi eſt vnita, multo magis te reddit ſobriam, quàm vllus ſomnus corporalis efficere poſſet. Hinc ſub miſſa qua erat communicatura, videbat ſe aſtare domino querulans, quòd propter infirmitatem oportet eam miſſa carere. Cui dominus ait: Lege Confiteor. Quod dum illa humili deuotione compleſſet, adiunxit dominus: Miſereatur tui diuinitas mea, & dimittat tibi omnia

pec-

peccata tua, extenſaque venerabili dextera ſua, dedit illi benedictionem ſuā. Ad quam dum anima inclinaretur, ſuſcepit eam dominus in ſinum ſuum, ſicque inter ſtrictos amplexus ſuauiter illi blandiens, decantauit: Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. Sicque oculos ipſius & aures, os quoque & cor, manus & pedes conſignans, & ad ſingula dulciter decantando eadem verba repetens, per ipſa in anima diuinam ſuam imaginem & ſimilitudinem dignantiſſimè innouabat. ¶ Hinc feria quinta qua mundani magis in crapula & ebrietate ſolent ſæuire, dum manè poſt matutinas in coquina pulſaretur ſeruis laboraturis ad prelibandum: iſta ingemiſcens, dixit ad dominum: Heu me mi domine, quàm manè inſurgunt homines ad infeſtandum te cibo. Ad quod dominus blandè quaſi ſubridens dixit: Noli ingemiſcere chariſsima, quia hi quibus modò pulſatur, non ſunt de numero illorum qui contra me crapula ſæuiunt, quia per hanc prælibationem ipſi vocantur & incitantur ad laborem. Vnde & ego delector in eorum cibo: quemadmodum quis delectatur in refectione ſui iumenti, quod pabulo paſcit ad miniſtrandum ſibi.

Refectio operariorū Chriſto grata.

Exercitia, quibus dominum placemus pro alijs, tempore, quo magis offenditur, & de grauaminum fructu.

CAPVT XV.

SAbbato præcedente dominicam Eſto mihi: dum ſe ex omnibus exterioribus abſtractam, in interioribus recollegiſſet, ſuſcepta eſt in ſinum diuinæ benignitatis: vbi in tanta ſpiritus tranquillitate fruebatur influxionibus diuinarum delectationum, quod videbatur cum domino quaſi diſponere omnia regna cæli & terrę. Cumque ſic totam diem illam gaudio ſpirituali duxiſſet ſolennem, accidit ad veſperum, vt ex quodam euentu in tantum turbata grauaretur, quod ex hoc impedimentum incurreret præcedentium fruitionum. Pro quo remouendo, dum multum laboraſſet, & luce clariùs cognoſceret illud grauamen nullius eſſe valoris, nec tamen omnino mentem ſuam ab illo excutere poſſet, ac per hoc quodammodo ſerenitate prioris tranquillitatis priuaretur. Tandem ante matutinas, cùm pene totam noctem in tali labore duxiſſet inſomnem, exorabat dominum, vt tale impedimentum à corde ſuo dignaretur remouere: quatenus ad laudem & gloriam nominis ſui in priorum de-

delectationum fruitionibus mereretur gaudere. Cui reſpondit dominus: Si deſideras mihi grauamen meum alleuiare, tunc oportet te grauamen habere, & ſtare ad ſiniſtrã meam, vt ego pauſem ſuper pectus tuum: quia cùm me reclino ad ſiniſtram, repauſo ſuper cor meum: quod gratiſsimum eſt feſsis: & ſic directè reſpicio in cor tuum, & in clangore delectabili ſuauiſonantium deſideriorum tuorum me continuè demulces, & arridet mihi grata amœnitas variarum affectationum tuarum, quibus erga me afficeris, & aſpirat mihi ſecura confidentia, qua in omnibus moribus cordis tui ad me anhelas, & dulciter afficit me effluxus pietatis cordis tui, qua vniuerſis hominibus bonum exoptas æternæ ſalutis. Et inſuper patet mihi theſaurarium nobiliſsimum cordis tui, vnde ſufficienter diſtribuere potero vniuerſis de tua bona voluntate, qua omnibus indigentibus benefacis. Nam ſi aſtares mihi ad dextram, ſcilicet proſperitatis, tunc vtiq; his varijs delectationibus priuarer, quia quicquid eſt ſub aure, nec arridet oculis, nec aſpirat naribus, nec porrigi poteſt manibus abſque labore. ¶ Tunc deſiderauit aliqua ſibi donari à domino, quibus per tres dies illos continuos, quibus mundani inſolentius de-

Deſideria bona Deo gratiſsima.

Confidentia

Pietas cordis.

Theſaurus bonæ voluntatis.

delinquunt, acceptius Deo obſequiū poſſet exhibere. Cui reſpondit dominus: In nullo poteris mihi gratius obſequi, quàm in eo, quòd patienter in memoriam meæ paſsionis ſufferas, quæcunque tibi euenirunt grauamina, ſiue interiora ſiue exteriora, & cogas te ad facienda quæ tibi magis ſunt contraria. Et hoc ſaluberrimè in cuſtodia ſenſuum exteriorum & refrenatione ipſorū perficere poteris. Nam quicunque ſe in memoria meæ paſsionis in his ſtuduerit exercere, abſq; dubio largam remunerationem à pietate mea ſe ſperet acceptu rum. ¶ Hinc iſta dixit: Vellem doctor amantiſsime, etiam nunc edoceri à tua benignitate, quibus orationibus ſpecialiter his tribus diebus te à mundanis ad iracundiā prouocatum, blādius poſſem placando delinire. Reſpondit dominus: Non mediocriter acceptarem, ſi quiſquam legendo iij. pater noſter, vel Laudate dominum omnes gentes, ad primum offerat Deo patri omne exercitium ſanctiſsimi cordis mei (quo vnquam laſſatus ſum in terris pro ſalute generis humani, in laude, gratiarum actione, querimonia, actione, deſiderio, & amore) in emendationem omnium terrenarū & carnalium delectationum ac peruerſarum voluntatum, quibus nunc aliquod cor im-

Obſequium Chriſto gratiſſ. in memoriam paſſionis eius ſuffer re grauamina.

Cuſtodia ſenſuum exteriorum.

implicatur humanum. Ad ſecundum offerat Deo patri omne exercitium innocentiſsimi oris mei in abſtinentia & temperantia, tam ciborum quàm verborum, in prædicatione & oratione continua (quibus pro ſalute humana inſudaui) in emendationem omnium peccatorum in vniuerſa eccleſia commiſſorum in gula & ebrietate, ac nociuorum inutiliumq; verborum multiplicatione. Ad tertium verò patri meo cęleſti offerat omne exercitium ſanctiſsimi corporis mei, cum omnibus motibus ſingulorũ membrorũ, ac totam ſeriem meæ perfectiſſimæ conuerſationis, cum omni amaritudine meæ innocentiſsimę paſsionis & mortis (quã pertuli pro redemptione generis humani) in emendationem omnium peccatorum, quæ tempore illo quocunq; motu vel modo ſingulorum membrorum mundus contra propriã ſalutem ſequẽdo committit.

¶ Circa tertiam verò apparuit ei dominus Ieſus in tali diſpoſitione, quo ad ſtatuã eſt flagellatus, ſtans inter duos lictores vinctus: quorum vnus videbatur eum cædere ſpinis, alter verò flagello nodoſo. Vterque verò cædebat eum in faciem. Vnde faciei eius tam miſerabilis videbatur aſpectus, quòd corde liquefacto omnia interiora viſcera conſpicientis eum commouebantur

ad compaſsionem, intantum, quòd per diem illum quotiens illi in memoriam venit forma illa, lachrymas continere non potuit. Quia nunquam æſtimauerat in corde ſuo, quòd homo tam miſerabilis aſpectus viſus eſſet in terris, ſicut illa hora dominus Ieſus ei apparuit. Nam pars illa faciei quæ ſpinis cædi videbatur, intantum apparuit dilacerata, quòd etiam pupilla oculi interius erat vulnerata, inſuper & liuida ex tumore flagelli nodoſi. Videbatur etiam ex amaritudine paſsionis ſubtrahere faciem, quam dum vni ſubtraheret, alter acrius inſurgebat in illum, Tunc conuerſus ad illã, dixit: Nonne legiſti ſcriptum de me: Vidimus eum tanquam leproſum, &c. Ad quod illa: Eia domine, vnde nunc leniri poſſet tam acerbus dolor tenerrimæ faciei tuæ? Cui dominus: Si quis pertractans paſsionem meam, deuoto corde per amorẽ compungeretur, & in tali charitate oraret pro peccatoribus: illius cor eſſet mihi emplaſtrum ſuauiſsimum, quo omnis dolor ille leniretur. Per duos etiam cædentes intellexit, notari laicos, qui apertè delinquentes velut ſpinis dominum cædunt: & aliquos religioſos, qui quanto magis contra religionem delinquunt, eo quaſi nodoſioribus flagellis dominũ cædunt. Sed vterq; in

Obſequium Deo pergratum.

Qui Chriſtũ flagellent in faciem.

in faciem, quia quantum in ſe eſt, regnantis in cælo intuitum non verentur dehoneſtare. Hinc etiam intellexit, quòd ideo ex Euangelio paſsio domini recitatur, vt à ſpecialibus Dei amicis ipſa paſsio tunc deuotius recolatur, tam in honorem domini, quàm etiam in emendationem pro eccleſia. Sed ſpecialiter domini flagellatio bis memoratur, quæ ipſo die huic fuit tam miſerabiliter oſtenſa. In epiſtola etiam charitas commendatur, vt in charitate tam Dei, quàm proximi magis exerceamur, Deo ſcilicet toto corde compatientes pro indebita contumelia: proximiſque compatiamur pro eo, quòd tam diſtrictum iudicem contra ſe prouocant. Vnde pro vtriſque emendandis ſit in nobis præcipua memoria dominicæ paſsionis. Pro qua domino deuotas dicamus gratiarum actiones. Et oremus vt parcat ipſis miſeratus, pro quib⁹ eſt paſſus. ¶ Ad miſſam verò, dum per Introitum inuocaret dominũ, dominus hoc ipſum ſibi vſurpans (eo quòd quaſi propter inſtãtis temporis exacerbationẽ hoc ſibi magis cõgruere videretur) dixit ad eam: Sis mihi tu dilecta in protectricem, proponendo quòd ſi tu præualeres, libẽter me præmunire velles ab iniurijs, quibus ſpecialiter iſto tempore infeſtor: quia nunc à cæteris fugatus

CAPVT XVI.

IN noctedominicæ (Eſto mihi) apparuit dominus Ieſus ſedens in throno gloriæ ſuæ. Et ſanctus Ioannes Euangeliſta ſedebat ſecus pedes domini ſcribens. Tunc iſta interrogauit eum, quid ſcriberet: Cui reſpondit dominus, ait. Ego ſingula obſequia heſterno die à congregatione iſta mihi impenſa, & adhuc per duos dies ſubſequentes impendenda, in hac facio cartha diligenter annotari, in illum finem, vt cùm ego (cui pater omne iudicium dedit) vnicuique poſt mortem ſuam fideliter reddidero menſuram bonam pro ſingulis laboribus operum ſuorum bonorum, & inſuper addidero menſuram confertam ex fructu meæ ſaluberrimæ paſsionis & mortis (Vnde omne humannm meritum mirificè nobilitatur) ducam eos cum hac cartha ad patrem, vt & ipſe ex omnipotentia paternę benignitatis ſuæ ſuperaddat eis menſurá coagitatam & ſupereffluentem pro beneficijs iſtis mihi in hac perſecutione (qua nunc à mundanis infeſtor) benignè impenſis, qui cùm ego ſim fideliſsimus omnium, multo minus poſſum omittere, quin recompenſem benefactoribus meis bona: quàm rex Dauid, qui quamuis omni tempore vitæ ſuæ non prætermiſit benefacienti-

bus ſibi congruis beneficijs reſpondere: tamẽ cùm appropinquaſſet dies mortis eius, & commiſiſſet regnum in manu filij ſui Salomonis, dixit ei: Filijs Berzellai Galaaditis facias gratiam, eruntq́ue comedentes in mẽſa tua, quia occurrerũt mihi cùm fugerem à facie fratris tui Abſolonis. Quia ſicut à quolibet magis acceptatur beneficium exhibitum in aduerſitate, quàm in proſperitate: ſic & ego magis accepto fidelitatem illam, quæ mihi exhibetur tempore iſto, quo mundus plus peccando me infeſtat. Beatus itaque Iohannes ſedens & ſcribens, videbatur quandoque calamum intingere in cornu quod manu tenebat, & ex eo literas nigras conſcribere. Quandoque verò intingens calamum in vulnus amatorium lateris Ieſu, quod coram ſe apertum patebat, & exinde roſeas literas faciebat, diſtinguens eadem rubea ſcripta partim nigro colore, partim vero aureo. Intellexitque iſta per ea quæ nigro colore erant ſcripta, deſignari opera illa quæ ex vſu faciunt quique religioſi, vt eſt ieiunium, quod ab omnibus religioſis communiter in hac ſecunda feria inchoatur, & ſimilia. Per illa verò quæ roſeo colore erant conſcripta, deſignari opera illa, quæ fiunt in memoriam paſsionis Ieſu Chriſti pro,

pro emendatione eccleſiæ affectu ſpeciali. Per hoc verò, quòd eadem roſea ſcripta partim erant nigro colore, partim aureo diſtincta, intellexit quòd illa quæ in memoriam paſsionis dominicæ fiunt tali intentione, quod ille qui ea facit, deſiderauit per ea gratiam Dei obtinere, vel ſimilia, quæ propriæ cedunt ſaluti, ab alijs deſcribuntur colore nigro. Illa quoque quæ fiunt ita purè ad laudem Dei in vnione paſſionis Chriſti, & ad ſalutem vniuerſitatis, quòd omnino abrenunciat quis omni merito, præmio & gratiæ, vt ſaltem poſsit Deo laudem & amoris exhibitionem offerre, deſcribuntur aureo colore, quia quamuis prædicta opera copioſam apud Deum obtineant remunerationem: illa tamen quæ purè fiunt pro amore laudis Dei, multo maioris ſunt meriti ac dignitatis & inſuper conferunt homini in infinitum maius augmentum ſalutis æternæ. Recognouit quoque poſt binas diſtinctiones vbique locum vacantem. Et cùm perquireret à domino, quid per hoc notaretur, reſpondit: Cùm moris ſit apud vos mihi tempore iſto deuotis ſemper deſiderijs & orationibus in memoriam meæ paſsionis adeſſe, ſingulas cogitationes, & verba quibus mihi deſeruitis, diligenter feci conſcribi. Locus

Quæ opera maioris ſint apud Deum meriti.

verò vacans, deſignat quòd opera bona quæ facitis: facere in memoriam paſsionis meæ, non habetis in vſu. Tunc illa: Et quomodo, inquit, amantiſsime Deus hoc poſſemus tibi laudabiliter perficere? Reſpondit dominus: Vt omnia quæ facitis in ieiunijs, vigilijs, cæteriſque regularibus diſciplinis, faceretis in vnione meæ paſsionis. Et quandocunque ab aliqua re abſtineretis in viſu, auditu, verbo, aut ſimilibus, ſemper illud offerretis mihi in vnione illius amoris, quo ego omnes ſenſus meos continui in paſsione mea, licet enim vel vnico intuitu potuiſſem terruiſſe omnes mihi aduerſantes, vel vnico verbo conuiciſſe falſi omnes mihi contradicentes: ego tamen tanquam ouis quæ portatur àd victimam, inclinato humiliter capite, oculiſque depreſsis in terram, coram iudice non aperui os meum ad reſpondendum vel vnicum excuſationis verbum contra tot falſas querimonias mihi obiectas. Tunc iſta: Eia doce me doctor optime vnum ſaltem factum, quod ſpecialiter in memoriam paſsionis tuæ poſsimus perficere? Reſpondit dominus: Hoc ergo accipe, vt orantes expanſis manibus formam meæ paſsionis Deo patri prætendatis, pro emendatione vniuerſalis eccleſiæ, in vnione illius amoris quo ego

Omnia opera bona facienda in vnione paſsionis domini.

Oblationis piæ modus.

ego in crucemanus expādi. Et illa. Si quis hoc facere vellet, oporteret eum angulos quærere, eo quod iſte modus non habetur in vſu. Ad quod dominus: Hoc ipſum ſtudium quærendi angulos mihi complaceret, & opus illud exornaret, velut gemmæ monile perornant. Et adiecit dominus: Si quis hoc in vſum duceret, quod palam expanſis manibus orans nullius in hoc cōtradictionem expauéſceret: ille tantum mihi honoris exhiberet, quantum ille regi defert honoris, qui ipſum ſolenniter inthronizat. Deinde ad quælibet ſcripta intentionum ſiue orationem per conuentū Deo exhibitarū videbatur annotata etiam illa perſona quæ facientes admonitionibus ſuis ſiue exemplis inſtigauerat. Per quod clare patebat ſupereffluens bonitas diuinæ liberalitatis: quæ etiam gaudens de ſalute noſtra, exoptat dupliciter remunerare, ſi quid ſibi paruitas conditionis humanæ ſimpliciter conatur offerre. Hinc iſta dixit: O domine cur ad iſta deſcribenda non potius beatum benedictum (cuius ordinis eſt cœnobium noſtrum) elegiſti aut quemcunq; alium, quam beatum Ioannē; Reſpōdit dominus: Quoniā ipſe electus diſcipulus me⁹ maxime conſcripſit de dilectione Dei & ꝓximi. Ergo ipſum in hoc miniſteriū deputa

ui,quia iuſtiſsime confidendum eſt de eo, quod taliter ſcribat,qualiter perſoluere deceat meam diuinam imperialemque liberalitatem Et etiam,quia ſic magis veſtræ cógruit vtilitati. ¶ Poſt feriá quartá, dum in perſona eccleſiæ quaſi cum ea & pro ea veniret ad dominum,præbens ſe ad emẽdationem quadrageſimalis pœnitentiæ, tanta ſerenitatis blanditate ab ipſo inter iucundos amplexus ſuſcepta eſt, quod indubie per propriam experientiam didicit Chriſtum ſponſum vere nimio affectu duci erga ſponſam ſuam, ſcilicet eccleſiam, in cuius perſona ipſa tunc eum adire videbatur.

Quomodo Ieſus ſuis meritis animam purgat & ornat, & de tribus eius victoriis, & de merito bonæ voluntatis.

CAPVT XVII.

DOminica Inuocat, dum ſe minus paratá ſentiret ad ſumendum corpus dominicum, exorabat dominum deuoto corde, vt ieiunium ſuum ſanctiſsimum (quo quadraginta diebus & totidem noctibus ſe pro ſalute noſtra macerauit in terris) ſibi conferre dignaretur in ſuppletionem.

nem illius defectus, quo ipſa corporali infirmitate detenta, quadrageſimale Ieiuniũ ſoluere cogeretur. Ad cuius petitionem filius Dei alacri vultu feſtiuùs conſurgens & coram Deo patre reuerenter genua flectens, ait. Secundum quod ego vnicus tuus tibi coæternus & conſubſtantialis, ex inſcrutabili ſapientia mea perſpicatius cognoſco defectum humanæ fragilitatis, quã vel iſta quiſquam hominum cognoſcere poſsit: ideo ipſi⁹ multiplici fragilitati multipliciter compaſſus, vniuerſalem ipſius deſiderans ſupplere defectum, offero tibi pater ſancte abſtinentiam digniſsimam ſanctiſsimi oris mei in veram emendationem & ſuppletionem omnium quæ vnquam per inutilem ſermocinationem deliquit aut omiſit. Offero tibi etiam pater iuſte, abſtinentiam ſanctiſsimarum aurium mearum, pro omnibus delictis aurium ipſius. Abſtinentiam quoque oculorum meorũ offero tibi pro cũctis maculis, quæ aliquo illicito viſu contraxit Necnon abſtinentiam manuum pedumque meorum, pro omnibus delictis operum greſſuumque ſuorum. Poſtremo maieſtati tuæ pater amantiſſime offero deificatum cor meum, pro vniuerſis delictis que vnquam cogitatione, deſiderio, ſiue voluntate commiſit. Tũc
ani-

anima ſtans coram Deo patre videbatur in dumentis candidis rubijſque veſtita diuerſiſque ornamentis, velut inclyta proles mirabiliter decorata. Per candidam veſtem figurabatur innocentia que per abſtinentiam Chriſti animæ donatur. Per rubeã vero labor abſtinentiæ. Per ornamẽta quoq; multiplices exercitationes ſingulorum mẽbrorum, domini, quibus nobis ſalutẽ mercatus eſt ſempiternã. Hinc Deus pater aſſumens animã ſic & ornamentis filij ſui dilecti ſatis placite pornatã, ſtatuit eam inter ſe & vnigenitũ ſuũ, quaſi ad menſam quandã delitioſam, circũfulſitq; ea ex vna parte ſplẽdor diuinæ omnipotẽtię Dei patris, vt eam ad tantæ dignitatis excellentiã ſublimaret. Ex altera t vero parte lux inſcrutabilis ſapientiæ filij Dei, quæ tam precipua ornamenta perfectiſsimorum operum virtutumque ſuarum animæ nouit adaptare. In medio quoque diuerſorum ſplendorum, quibus à dextris & à ſiniſtris anima videbatur ornata, apparebat quaſi tenuis quędam rima ipſos ſplendores abinuicem ſecernens, per quam ipſius animæ interpatebat propriæ vilitatis enormitas. Vnde humiliata ex rubore gratæ verecundiæ Deo magis placens, animum regis in ſui concupiſcentiam efficacius inflammauit. ¶ Tũc fi-

filius Dei appoſuit coram ea in ſpecie triũ ferculorum, tres victorias ſuas, quæ ipſo die in Euangelio recitabantur. de quibus tanq̃ quoddam ſaluberrimum antidotum ſumeret contra tria illa vitia, quibus omne genus humanum magis delinquit ſcilicet, delectatione, conſenſu, & concupiſcentia. Et primo, vt de illa glorioſa victoria, qua ſuggerenti diabolo cibi delectationem & dicenti: Dic vt lapides iſti panes fiant, ſapienter rebellauit, dicens (non in ſolo pane viuit homo) ſumeret emendationem omnium, quibus vnquam male delectando deliquit, & vires de cætero reſiſtendi cuilibet delectationi. Nam cum quis impugnatur aliqua delectatione, quanto magis ſequitur impetum delectationis, tanto inualidior efficitur ad reſiſtendum. Vnde quilibet poteſt eandem victoriam filij Dei offerre Deo patri in emendationẽ omniũ quibus vnq̃ in aliqua creatura ſenſualiter vel carnaliter delectãdo peccauit, orãs vt donetur ſibi vires de cætero illis reſiſtendi. De ſecunda vero victoria domini datũ eſt animę vt ſumeret indulgentiam omniũ, quæ vnquam p̱ conſenſum contraxit, & vires de cætero reſiſtendi. q̃ victoriam etiam quilibet offerre poteſt Deo patri pro emendatione omniũ cogitationũ, verborũ, & operum,

Oblatio grata Deo patri.

rum quibus conſcientiam læſit & impetrare vires de cætero reſiſtendi. De tertia vero victoria domini dabatur animæ, vt ſumeret veram emendationem omniũ quæ contraxit ex concupiſcentia eorum, quæ non habens affectaſſet habere, & vires omni concupiſcentiæ reſiſtendi. Quod etiam quilibet poteſt ſimiliter a deo impetrare. Sub miſſa intendens epiſtolæ, vt ex virtutibus que in ea recitantur, aliquas vtiliores colligeret ad imitandum alioſque docendum, dum nullo ſuper hoc ſpirituali intellectu donaretur, dixit ad dominum: Doce me amator benigniſsime, quibus ex his precipue virtutibus tibi poſsim placite deſeruire, quia (heu) nequeo ſingulis quotidie notabiliter inſudare. Reſpondit dominus: Perpende, quod in medio cæterarum virtutum inſeritur in ſpirituſancto. Et quia ſpirituſſanctus eſt bona voluntas, ſtudeas ſuper omnia, vt habeas bonam voluntatem & ſic omnium virtutum ſpecialem poteris habere decorem & profectum: quia ſola voluntas plus lucratur, quam vnquam aliquis poſſet operibus perficere aut obtinere. Qui enim habet integram voluntatem, quod libentiſsime ſuper omnem creaturã me vellet laudare, amare, mihi gratias agere, condolere & in omni virtute ſe perfe-

ctiſsimo modo exercere, ſi poſſet: ille indubitanter à diuina liberalitate mea remunerabitur quandoque copioſius, quam vnquam vllus hominum opere potuiſſet obtinuiſſe. Hinc ſpiritusſanctus paracletus ꝓcedens in medium, & ſtans coram anima ſplendore ſuo diuino medietatem animæ (per quam ipſi propriæ vilitatis enormitas patebat, vt præſcriptum eſt) mirabiliter perluſtrando irradiabat: ſicque ex virtute diuinæ claritatis, anima illa omni ſua vilitate totaliter exuta ipſi viuo fonti luminis ſempiterni feliciter eſt immerſa.

Opera miſericordiæ quomodo ſpiritualiter adimpleantur.

CAPVT XVIII.

SEcunda feria poſt dominicam Inuocauit, dum legeretur in Euangelio (Venite benedicti patris mei. Eſuriui enim) &c. iſta dixit ad dominum: Eiā mi domine, cū nobis non congruat corporaliter eſurientes cibare, ſitientes potare, & cætera opera miſericordiæ perficere, eo quod te ordinā te ſub regulari profeſsione conuerſantes, nihil nobis proprij liceat poſsidere: doce me quo ſtudio poſsimus & nos illam dulciſsimam benedictionis tuæ vocem conſe-

qui-

qui, quam pro operibus miſericordiæ hoc loco Euangelij promiſiſti. Reſpondit dominus. Cum ego vera ſalus & vita animæ ſine intermiſsione, in quolibet homine eſuriam & ſitiam ſui ipſius ſalutem, ſi quis omni die ſtuderet aliqua ædificatoria verba ſacræ ſcripturæ recitare. ille certe meam eſuriem ſuauiſsima refectione releuaret. Si vero lectioni ipſi hanc etiam intentionem adiungeret, quod ſcilicet ex ea compunctionis vel deuotionis gratiam obtinere deſideraret: tunc etiam ſitim meã dulciſsimo poculo refocillaret. Si quis etiam ſaltem vna hora quotidie mihi vacare ſtuderet, tota mentis intentione: ille valde gratum hoſpitium mihi exhiberet. Et qui ſingulis diebus in aliqua virtute exercitari ſtuderet, ab illo me decenter coopertum acceptarem. Similiter qui alicui vitio vel tentationi viriliter reſiſtendo, deuinceret eam, ab illo me in firmum diligenti cura viſitatum reputarem. Qui autem pro peccatoribus & animabus purgandis deuote orauerit, hoc tam dignanter acceptabo, ac ſi ad me incarceratũ crebrius venienda, blandis cõſolationibus ſuis deſolationem meam ſubleuaſſet. Adiecitque dominus. Si quis in prædictis ſe quotidie pro amore meo exercitauerit, & ſpecialiter tempore quadrageſimali: hunc

Quomodo opera miſericordiæ Chriſto ſpiritualiter exhibeamus.

Fructus horũ operum miſericordiæ.

hunc indubitanter cum tota diuina ſuauitate mea regali gloria nec non amicabili fidelitate dignanter remunerabo: ſicut hoc incomprehenſibilem omnipotentiã & inſcrutabilem ſapientiã dulciſsimamque beneuolentiam meam vnquam liberalius decet adimplere.

Oblatio meritorum Chriſti pro peccatis eccleſiæ.

CAPVT. XIX.

Dominica Reminiſcere dum iſta quaſi introducta in thalamum ſponſi potioribus bonis illius nobiliori modo frueretur, & vehementer delectaretur in ſuperabundantibus delitijs diuinæ dulcedinis, & pietatis (de quibus tamen nihil ad humanam exprimere potuit capacitatem) exorabat dominum vt aliqua ſibi donare dignaretur, in quibus homines per ſeptimanam illam poſſent vtiliter exerceri. Cui reſpondit dominus. Affer mihi duos hœdos optimos, id eſt, corpus & animã totius generis humani. In quibus verbis intellexit, quod dominus exigeret ab ea emendationẽ ꝓ vniuerſitate toti⁹ Eccleſiæ tũc ſpiritu ſancto inſtigante legit quinq; pater noſter in honorem quinq; vulnerũ domini ꝓ emẽdatione omniũ pctõrũ quinq; ſenſuũ à toto

Modus piæ oblationis pro peccatis toti⁹ Eccleſiæ.

toto genere humano commiſſorũ. Et tria pater uoſter, in emendationem omnium peccatorum tribus viribus animæ id eſt rationali, iraſcibili, & concupiſcibili per totius vniuerſitatis homines commiſſorum & bonorum omiſſorum, offerens ea domino in vnione illius perfectiſsimæ intentionis, qua eadem oratio in corde ipſius dulciſsimo ſanctificata ad noſtram ſalutem eſt edita in emendationem omnium commiſſorũ & in ſuppletionem negligentiarum, quæ vnquam ex humana fragilitate, ignorantia, ſeu malitia ſunt contracta contra ſuam inſuperabilem omnipotentiam, inſcrutabilem ſapientiam, ac ſupereffluentiam gratuitæ bonitatis. Hæc cum offerret, benignus dominus quaſi in eorum complacentia vltra quam dici poſsit, placatus, extendens manum ſuam à vertice capitis vſque ad plantam pedis, ſignum crucis ducens, eam ſatis affectuoſe benedixit. Sicque inter ſuaues amplexus amicabiliter ad deum patrem gratioſius benedicendam deduxit. Qui eam benigne reſpiciens, & dignantiſſime ſuſcipiens, ineffabiliter benedixit, donans illi benedictionem totius generis humani, tali modo, quod eam ſolam tot benedictionibus ſuperadditis beatificauit, quot vniuerſitati totius mundi deberentur, ſi

qui-

quilibet ſe ſimili modo diuinæ gratiæ adaptaſſet. Vnde quilibet per hanc ſeptimanā ſtudeat per quinq; pater noſter emendare domino delicta totius humani corporis,& per tria pater noſter commiſſa animarum totius eccleſiæ ſanctæ Dei,vt & ipſe tam ſaluberrimæ benedictionis effectum mereatur obtinere per Ieſum Chriſtum filium Dei: qui ſe caput & ſponſum eccleſiæ dignatur exhibere,

Conuerſationem Chriſti pro qua re emere poßimus.

CAPVT XX.

DOminica Oculi,vt huius virginis deuotio concordaret cum officijs eccleſiæ, more ſibi ſolito deſiderauit edoceri à domino, in quo per illam deberet hebdomadam ſpecialius exerceri. Cui reſpondit dominus:Quoniā nunc in officijs Eccleſię recitatur,quòd Ioſeph pro xxx.denarijs eſt venditus, tali exemplo prouocata legendo xxxiij.pater noſter,eme à me conuerſationem meam ſanctiſsimam, qua triginta tribus annis operatus ſum ſalutem in medio terræ. Et hunc fructū communica toti Eccleſiæ in veram ſalutem ad laudem meam æternā.Quod cùm feciſſet, recognouit in

tibi ſecundum tui diuini cordis ſummũ oblectamentũ. Ad quod dominus: Talis voluntas tua beneplacẽs & perfecta per omnia ſufficit. Et ſtatim cognouit vniuerſam eccleſiã miro modo decoratã ante conſpectũ domini pręſentatam. Et ait dominus: Huic multitudini tu hodie miniſtrabis. At illa mox diuinitus inſpirata, procidit ad pedes domini, & vulnus ſiniſtri pedis domini deoſculabatur in emendationem omniũ peccatorum ab vniuerſali eccleſia vnquã cogitationibus, deſiderijs ſeu volũtatibus perueris commiſſorũ, orãs dominũ vt digniſſimam emendationẽ (qua ipſe totius mundi peccata purgauit) ipſi donaret in emẽdationem verã. Et ecce ſtatim dabatur animæ effectus orationis ſuæ in ſimilitudine panis vnius, quẽ ipſa ſtatim cum gratitudine porrexit domino: Dominus aũt ipſam benignè ſuſcipiẽs, & ſubleuatis oculis Deo patri gratias deuotas agẽs, benedixit. Ac deinde reddidit illi ad diſtribuendũ toti eccleſię. Hinc illa vulnus dextri pedis domini deoſculãs, in ſuppletionẽ omniũ quæ tota eccleſia omiſit in exercitatione vtilium cogitationũ, deſideriorum bonorũ ac ſanctarũ voluntatum, orabat dominũ, vt digniſsimã ſuppletionem illã, qua ipſe vniuerſum debitũ humani generis pſoluit, toti donaret eccleſię,

Pium exercitiũ ad quinq; vulnera, ad paſcendam totam Eccleſiã.

in negligentiæ ſuæ ſupplementum. Hinc vulnus ſiniſtrę manus cum deuotiſsima intentione exoſculans in emendationem omnium peccatorum, tam verbis quàm factis totius mundi commiſſorum, deprecabatur dominum, vt illam digniſsimā emendationē (qua omniū noſtrorū tam verborū quàm operū delicta expiauit) eccleſię largiretur in verā emendam. Deinde etiā vulnus domini dextræ manus exoſculans pro ſuppletione negligentiarū totius eccleſię, quę ex omiſsione vtilium verborū operumq; bonorum contraxit, rogauit dominum, vt ſuam digniſsimam perfectionem largiri dignaretur, in totius eccleſiæ ſupplemētum. Cum verò ad ſingula hæc vulnera accepiſſet ſingulos panes, eosq; domino porrexiſſet, eoſdē dominus illi reddidit benedictos ad diſtribuendū eccleſiæ. Poſtremo acceſſit ad vulnus amatoriū lateris Ieſu Chriſti, illudq; ex intimo corde deoſculans exorabat dominum, vt ex abundantia diuinę pietatis ſuæ poſt dignam peccatorū emendationem, & ſufficientem negligentiarū ſuppletionē, etiā nunc merita ſanctiſsimę conuerſationis ſuæ (quibus in ſeipſo digniſsimè reſplendet in cōſpectu Dei patris) ad cumulum beatitudinis æternæ dignaretur ſuperaddere eccleſiæ ſpōſæ ſuæ ſanctę. Quod

cũm ſe ex benigniſsima liberalitate Dei gauderet obtinuiſſe, quaſi pro quinto pane diſtribuit gaudẽs, ſicut ſolent nobilibus iam diuerſis ferculis abũdè ſatiatis aromata vel poma alia, aut palatum delectantia pro ſolo appetitu poſtremo ſuperaddi. ❡ Et dixit ad dominum: Eia mi domine, quid pro piſcibus qui etiã hodie recitantur in euangelio, dignaris mihi ad miniſtrandũ eccleſię ſponſæ tuæ donare? Reſpõdit dominũ: Sanctiſſimam exercitationẽ omnium membrorũ immaculati corporis mei do tibi, ad miniſtrãdum eis pro omni negligẽtia, qua neglexerunt totis mihi viribus & ſenſibus corporis ſui famulari. Et exercitationẽ nobiliſsimæ animæ meæ, pro omni negligentia, qua me ex omnibus virtutibus & affectionibus animæ ſine intermiſsione laudare & gratias mihi agere pro ſingulis beneficijs neglexerũt. Per hoc quod ſuprà dictũ eſt, dominum panes accipientẽ gratias agere Deo patri, intellexit ꝙ quandocunq; aliquis ad laudẽ Dei perficit aliquod opus bonũ, quantũuis paruum, vel legit ſaltẽ vnũ pater noſter, vel Aue Maria, vel aliã quãcunq; orationem vel pſal. ex parte ſiue pro ſalute totius eccleſię: filius Dei mox illud tanquã fructũ ſuæ perfectiſsimæ humanitatis gratiſsimæ acceptãs, pro ipſo gratias agẽs Deo patri, benedicit,

Fructus incarnationis Chriſti quomodo per nos augeatur.

dicit,& ex illa benedictione multiplicatum diſtribuit vniuerſæ eccleſiæ ad profectū ſalutis æternæ. ¶ Quilibet etiā per hāc ſeptimanā legere poteſt quinq; pater noſter, in honorē ſuauifluorum vulnerum domini, & quodlibet deuotius oſculando orare, vt præſcriptum eſt pro emendatione peccatorum totius eccleſię & negligentiarum eius ſuppletione,& confidere quod ſimilem per Dei miſericordiam fructum obtinebit.

Quomodo membra domini ſint ſalutāda, proſpera & aduerſa illi offerenda, ac ſuper contumelijs domino blandiendum, & de miro horum fructu.

CAPVT XXII.

DOminica verò Iudica, dum in honorem dominicæ paſsionis, quæ ſpecialius ipſo die recoli incipitur: ſe totam cum anima & corpore domino exhibuiſſet ad tolerandum & perficiendum tam corpore quām ſpiritu, quicquid ſuæ diuinæ cōplaceret voluntati, pius dominus talem ipſius voluntatem, ineffabili gratitudine videbatùr acceptare. Ipſa verò diuinitus inſpirata ex intimo cordis affectu ſalutare cœpit ſingillatim ſingula mēbra domini, pro ſalute noſtra diuerſis pœnis in paſsione cruciata. Vnde

Via ſalutatio membrorum Chriſti.

Vnde quandocunq; aliquod membrum ſalutabat, ſtatim ex illo mēbro domini ſplendor quidā diuinus procedens, animā ipſius irradiabat. Et in illo ſplēdore dabatur ei illa innocētia, quam per paſsionem eiuſdem mēbri dominus acquiſierat eccleſię. Cumque ex ſingulis membris domini anima fuiſſet mirabiliter irradiata & innocentia Chriſti digniſsimè decorata, dixit ad dn̄m.

Fructus huius ſalutationis.

¶ Eia nunc domine doce me, qualiter cum hac innocentia mihi à gratuita pietate tua collata poſsim tibi laudabiliter paſsionem tuam venerandā percolere. Reſpondit dominus: Vt ſcilicet frequētius mente reuolуas cum gratitudine, & cōpaſsione anxietatem illam, qua ego creator tuus & dominus in agonia conſtitutus prolixius oraui, & præ nimia vehementia anxietatis deſiderij & amoris ſanguineo ſudore faciem terrę irrigaui, & omnia opera tua omniaq́; circa te agenda mihi commendes in vnione ſubiectionis illius, qua ego eadem oratione dixi ad patrem: Pater, non mea ſed tua voluntas fiat. Et ſic omnia proſpera & aduerſa ſuſcipias in illo amore, quo ego tibi omnia illā mitto ad ſalutem. Proſpera ergo ſuſcipias cum gratitudine in vnione illius amoris, quo ego amator tuus fragilitati tuæ condeſcendens, ea tibi procuro; vt

Qualiter paſſio Chriſti recolenda.

Proſpera & aduerſa quomodo de manu domini ſuſcipienda.

per ea diſcas æternam proſperitatem cogitando ſperare. Aduerſa verò ſuſcipias in vnione illius amoris, quo ex affectu paternæ fidelitatis ea tibi immitto ad præparandum tibi pro his æternum bonũ. Hinc iſta propoſuit per hebdomadam illam legere orationem quādam, per quam ſingula membra ſalutaret, ſcilicet: Saluete delicata membra &c. Quod domino multum ſenſit complacere. Vnde & nos idem facere non pigeat, vt conſimilem beatitudinem conſequi mereamur. ¶ Deinde cùm ſub miſſa dum legeretur in euangelio (Dæmonium habes) iſta medullitus ſuper cōtumelia domini ſui commota, nec ſuſtinens vt dilectus animæ ſuæ, tam indebitè ſibi obiecta verba aduerteret, ex intimo cordis affectu his verbis vice uerſa ipſi blandiebatur dicens: Aue viuificans gemma diuinæ nobilitatis. Aue immarceſsibilis flos humanæ dignitatis Ieſu amantiſsime: tu mea ſumma & vnica ſalus. Cui benignus amator more ſolito vicem dignantiſsimam recompenſans, manu ſua benedicta mentum eius appræhendens, ſequè ad ipſam blandè inclinans, auri animæ eius hæc verba ſuauiſsimo ſuſurrio inſtillauit, dicens: Ego creator, redemptor, & amator tuus. per anguſtias mortis, relicta omni beatitudine mea acquiſiui te. Tunc omnes

Pia membrorum Christi ſalutatio, dominum admodum grata.

Pius Christũ ſalutandi modus, quando recitãtur contumeliæ domino illatæ.

omnes ſancti quaſi in admirationem prouocati ex tam mira dignatione Dei cum ingenti gaudio benedicebant dominum, pro tam dignantiſsima ſui ad animā illam inclinatione. Hinc dominus ait: Quicunq; contra blaſphemias & cōtumelias mihi in terris illatas me ſalutauerit illo affectu, quo tu nunc me modo ſalutaſti: huic ego mei in iudicio illo diſtricto (quo in morte iudicandus accuſationibus dæmonum prægrauabitur) eadem blanditate exhibebo, qua me modò exhibui tibi, & eiſdem verbis ipſum conſolabor, dicens: Ego creator, redemptor & amator tuus, &c. Vnde ſi nunc ad illa verba ſancti in cælo ſic ſunt admirati, quanto magis putas obſtupeſcent & territi fugient omnes aduerſarij animæ illius, quæ hoc donum cōſolationis in iudicio merebitur accipere à pietate mea diuina. Ergo totis affectibus cordis & animæ ſtudeamus domino cōblādiri, quotieſcunq; recitatur aliqua contumelia ſibi à quoquam illata. Et ſi nō poſſumus ſimili affectu: ſaltem offeramus ipſi voluntatem & deſiderium habēdi omnem affectum, deſiderium, & amorem totius creaturæ ad Deum, & confidamus de largiflua pietate ipſius, quòd non ſpernat munuſcula pauperum ſuorum: ſed potius illa ſecundum diuitias miſericordiæ & dulce-

Fructus huius ſalutationis.

Quando recitantur contumeliæ Chriſto illatæ, quid homini deuoto faciendum.

 dinis

dinis ſuæ acceptet ſimul & remuneret longe ſupra condignum.

Quo exercitio dominum intra cordis noſtri hoſpitium ſuſcipiemus; de triplici deuotione, de fructuoſa refectione corporis, deque expiratione viciorum.

CAPVT XXIII.

PAlmarum die ſancto, dũ in diuinæ fruitionis iucũditate ſuauius delectaretur, dixit ad dominum: Doce me amantiſsime, qualiter hodie tibi domino Deo amatori meo, cauſa ſalutis meæ ad paſsionem venienti poſsim dignè ac laudabiliter obuiare. Reſpondit dominus: Exhibe mihi iumentũ cui inſideam, turbam gaudendo obuiantẽ, turbam laudando ſequentem, & turbã miniſtrando conſequentem. Verbi gratia, primo exhibebis mihi iumentum in contritione cordis confitendo quod ſæpius neglexiſti ſequi rationem, & velut iumentũ non intendiſti ſingulis quæ pietas mea ſine intermiſsione circa te ad ſalutẽ tuam operabatur. Qua quidem negligentia perdidiſti ſerenam tranquillitatem meã, vt quandoq; cùm in te cuperem ſpiritualiter iucundari, exiſtente iuſtitia oporteret me per interiora

Quomodo in die ſancto Palmarum domino obuiandum.

1.

Trãquillitas animæ negligentia perditur.

ſiue

ſiue per exteriora grauamina te purgare. Et ego ſic quodammodo in te pati compellebar. Quia incōtinens amor diuinæ pietatis meæ cogit me in omni aduerſitate medullitus tibi compati. Tale iumentum cùm te mihi exhibueris, ſatis commodam mihi præbes ſeſsionem. Secundo exhibebis mihi turbam cum gaudio obuiantem, ſuſcipiendo me ex affectu totius vniuerſitatis (in vnione amoris illius, quo ego creator omnium & dominus pro ſalute totius mundi hodie Ieroſolymam adueni) in ſuppletionē pro omnibus qui vnquā neglexerunt mihi pro hoc condigna laude, gratiarūactione, amore & obſequio reſpondere. Tertio exhibe mihi turbam laudando cōſequentem, confitendo quòd nunquā debito modo exempla perfectiſsimæ conuerſationis meæ ſtuduiſti imitari: & offerendo mihi tam feruentis affectus voluntatem, quòd ſi poſſes omnes homines promouere ad imitandum exempla perfectiſsimæ conuerſationis & paſsionis meæ perfectiſsimo modo, hoc ad laudem meam libentiſsimè totis viribus elaborares. Orabiſque, vt tibi detur ſpecialiter per veram humilitatem, patientiam, & charitatem (quibus virtutibus tempore paſsionis meæ clarius me exercitaui) quantum homini vlli poſsi-

2.

3.

 bile-

bile eſt, ardēti me deſiderio imitari. Quarto exhibe mihi turbā miniſtrando ſequentem, confitendo quòd nunquam debita fidelitate pro defenſione veritatis & iuſtitiæ mihi aſtitiſti: proponendo & deſiderando, vt de cætero in omnibus quæ mihi placuerint, ſtudeas cauſas iuſtitiæ & veritatis tam verbis quàm factis promouere: & eandem etiam voluntatem deſideres omnibus horis ad laudem meam obtinere. Et adiecit dominus: Si quis mihi ex parte vniuerſitatis his quatuor modis ſe exhibuerit, ad ipſum certè tam dignanter veniam, quòd ex hoc fructum percipiet ſalutis æternæ. ¶ Hinc communicatura cùm ex intimo affectu offerret domino cor ſuum, videbatur ipſum cor eius velut in latitudine charitatis expandi, tanquam ſi tota ciuitas Ieruſalem pateſieret ad ſuſcipieedum dominum. Quod ingrediens dominus in ſimilitudine iuuenis valdè delicati, viſus eſt facere flagellum quoddam de tribus funiculis. Per quod flagellum figurabatur opus noſtræ redemptionis. Per primum funiculum ſtudioſum exercitium ſui innocentiſsimi corporis. Per ſecundum deuota intentio ſuæ ſanctiſſimæ animæ. Per tertium autem virtuoſa nobilitas ſuæ excellentiſſimæ diuinitatis: quæ tria ſemper in quolibet opere Ieſu

Fructus huius obuiationis.

Chri-

Chriſti cooperabantur. Hoc autem flagello dominus omnia interiora eius leuiſſime contingens, omnem puluerem humanę fragilitatis & negligentiæ ab ea penitus expulit. Quo facto depoſuit idem flagellum in medio cordis eius. Et ecce tres funiculi illi videbantur quaſi thronum quietiſſimum domino exhibere. Super quem dum conſediſſet, produxit quilibet funiculus florem quendam vernantiſsimum: quorum vnus, ſcilicet virtuoſa nobilitas diuinitatis, velut à tergo domini conſurgens, & deſuper caput eius reflexus, videbatur gratiſſimæ auræ vmbram ſuauem domino exhibere. Alij verò duo flores à dextris & à ſiniſtris præbebant aſpectui domini vernantis amœnitatis fragrantiam glorioſam. ¶ Cùm verò ad Tertiam in hymno cantaretur (O crux aue ſpes vnica) iſta obtulit domino deuotionem omnium, qui in illo verſu ipſo die per vij. horas canonicas eum ſalutare ſtuderent. Tunc dominus accipiēs florem egredientem de funiculo deuotæ intentionis ſanctiſſimæ animæ ſuæ, ipſum omnibus prębebat, quorū ſibi deuotionem hæc ſponſa eius Gertrudis obtulerat. Ex cu ius applicatu ſingulæ ſumebant quendam ſpiritualem ſplendorem ſimul & recreationem. Tunc iſta dixit ad dominum: Do-

mine mi, ſi per hanc deuotionem tantum hæ ſorores noſtræ conſequuntur profectum, quid eis daturus es quando poſt proceſsionem cum maiori affectu & deuotione ſe totas tibi impendent, feruētiori te deſiderio ſalutantes? Reſpōdit dominus: Singulorum florum iſtorum ipſis exhibebo amœnitatem, quia triplicis deuotionis modos mihi tunc præſentaturæ ſunt: Quædam enim deuotionem habere deſiderantes, ſed ea carentes: præſentabunt mihi ſtudium laboris & exercitationis exterioris. Et has ex flore, qui progreditur de ſtudioſo exercitio innocētiſsimi corporis mei, recreabo. Quædā verò dulcedine deuotiōis abundātes, præſentabunt mihi affectum deſideriorum ſuorum. Et illas reficiā de flore egrediēte de intētione deuota animæ meæ ſanctiſsimę. Quædā etiā (è quarū voluntas in omnibus meę diuinę vnita eſt voluntati, per quod vnus ſpiritus mecū ſunt effectæ) offerēt mihi ſeipſas totas ad omne beneplacitum meum: & iſtis florē nobiliſsimę diuinitatis meæ aſpirabo ad ſalutē. Poſt proceſſionem verò, dum conuentus faceret inclinationem ad (Gloria laus) & proſterneretur, cùm dicebatur (Fulgētibus palmis) id talia ſingula verba prętēdebat ipſis domin⁹ florem ſtudioſi exercitij corporis ſui ad re-

De triplici deuotione.

crean-

creandum.confortandum, & conſeruandum eas in ſeruitio ſuo. Per hoc inſinuans, quod tales labores nobilitaret cum ſanctiſſimis laboribus ſuis. ¶ Poſt hæc dum iſta rogaretur à quadam, vt ſe recrearet cibo, quia valde debilis erat ipſa abhorrēs comedere antequam audiret paſsionem domini more ſibi ſolito requiſiuit a domino, quid factura eſſet. Cui dominus reſpondit. Reficere dilecta in vnione amoris illius, quo ego amator tuus in cruce vinum myrrhacum felle mixtum cum guſtaſſem, nolui bibere. Ad quod cum illa gratiarum actione volūtatem ſuam deflexiſſet, prebuit illi dominus cor ſuuum dicens: Ecce in vaſculo memoriæ verbi illius, ſcilicet (cum guſtaſſet noluit bibere) prȩſento tibi deſiderium illud, quod me traxit, ne ego illud biberē, ſed tibi bibendum reſeruarem. Tu ergo, bibe ſecure, quod ego medicus probatiſsim⁹ preguſtaui, & per hoc tibi ſaluberrimæ potandum temperaui. Mihi quidem ad hoc oblatum erat vinum myrrhatum cum felle mixtum, quo citius morerer. Sed deſiderium multa patiendi pro homine retraxit me ne biberem. Tu vero e diuerſo in eodem amore ſume omnia neceſſaria & commoda vt per ea in ſeruitio meo diutius viua conſerueris. Per poculum denique mihi

Cur dominus in paſsione ſua vinū myrrhatum noluit bibere.

hi

hi oblatum tria conſidera. Erat itaque vinum myrrharum cum felle mixtum. Ad cuius ſimilitudinem & tu in quolibet commodo triplici ſtude intentioni. Primo, vt omnia cum gaudio ſpiritus ad laudem meam facias: quod notatur per vnum. Secundo vt intentione quæque commoda admittas, quo diutius pro amore meo poſsis pati: & hoc ad ſignificationem myrrhæ quæ cõſeruat a putredine & corruptione. Tertio, vt pro amore meo libenter velis quouſque mihi placeat, fruſtrari gaudio iucundiſsimæ præſentiæ meæ, quæ habetur in cœlis, & eſſe in hac valle miſeriã: quæ per fel ſignificatur. Quotieſcũque aliquod commodum tali intentione admiſeris, hoc ego acceptabo taliter: ſicut amicus ab amico ſuo acceptaret, ſi ipſe ſibi fel oblatum, penitus ebiberet & pro eis ſibi nectar ſuauiſsimum propinaret. Cum vero iſta comedendo, ad ſingulas offas hunc verſiculum ruminaret dicens (Virtus tui diuini amoris incorporet me totam tibi amantiſsime Ieſu. Et ſimiliter ad ſingulos hauſtus diceret hunc verſiculum. Effectum charitatis, qui tam vehementer in intimis tuis præualuit amantiſſime Ieſu, tranſfunde & conſerua in intimis meis, qui penetrando totam ſubſtantiam meam iugiter diſtillet per omnes motus,

Quomodo corporis refectio fiat fructuoſa.

vires,& ſenſus corporis & animæ meæ tibi ad laudem tuam æternam) quæſiuit à domino qualiter ſimilem deuotionem à quibuſlibet acceptaret. Reſpondit dominus: Quoties tali deuotione comeditur à quoquam vna bucella, ego me fatebor cum illo comediſſe,ac per hoc ab ipſo quaſi im potionatum eſſe:ac ſi tot pocula amoris in centiua cum eo bibiſſem,quæ in alterutrũ noſtros affectus ardentiſsima inflammaſſent.Ideoque ſecundum diuinam omnipotentiam meam affectum amoris illius tempore congruo ſatis dignanter illi manifeſtabo. ¶ Deinde cum in paſsione legeretur (Emiſit ſpiritum) iſta ex nimo affectu, proſtrato corpore in terram,dixit.Ecce domine mi,in honorem precioſæ mortis tuæ toto proſtrato corpore, peto per amorem illum, qui te viuificatorem omnium creaturarum mori coegit:vt mortifices in anima mea omnia quæ tibi in ea diſplicent. Cui reſdondit dominus Expira modo om nia vitia & defectus,quos in te mori deſide ras.Et intrahe tibi ex ſpiritu meo omne q̄ ex virtutibus & perfectione mea habere optas,ſciaſque indubitanter, quod omnium quæ modo expiraueris, plenam indulgentiam:& omnium quæ ex ſpiritu meo tibi intraxeris,effectum ſalutarem obtinebis.

Et

Et quotieſcunque de cætero pro deuincendis defectibus iam expiratis, ſiue pro obtinendis virtutibus iam à me tibi inſpiratis, laborare ſtudueris: duplicem ſemper fructũ.ſ.meæ paſsionis & tuæ victoriæ reportabis. ¶ Hinc poſt prandium: dum nimiũ laſſata membra repauſatura lectulo ſe repoſuiſſet, non tam vt dormiret quam vt ſe à tumultibus crebrius ſe viſitantium abſtraheret, ait ad dominum. Ecce domine in memoriam ſaluberrimæ prædicationis, qua tu hodie laboraſti in templo tota die, auerto me ab omni creatura, & tibi ſoli amatori meo intendens, deſidero vt tu loquaris animæ meæ. Cui dominus. Sicut diuinitas requieuit in humanitate mea: ſic delectatio diuinitatis meæ pauſat in laſsitudine. Et cum iſta aduerteret, qđ homines parcerent, ne eam inquietarent, putantes eam dormire, requiſiuit à domino vtrum eis docere deberet quod non dormiret, ne impedirentur facere quicquid vellent. Reſpondit dominns. Non. Sed permitte eos charitatis exercitationibus promereri remunerationem charitatis, quam ego tantopere delector pſoluere. Et adiecit domin⁹ Ecce modo propoſui tibi duo themata, in quib⁹ per meditationẽ te exercendo pergende, quod nihil vtilius poſsit homo in hac

hac vita perficere, quam quod in talibus laboribus laſſetur, in quib⁹ diuinitas delectetur pauſare· & ſic ſe extendat erga proximum in operibus charitatis. ¶ Veſpere autem facto in memoriam domini, qui ipſo die de ſero dicitur iuiſſe ad Martham & Mariam in Bethaniam, iſta deſiderio hoſpitandi dominum vehementer ſuccenſa, iuit ad quandam imaginem crucifixi, & intimo, affectu vulnus ſanctiſsimi lateris deoſculans intraxit ſibi omne deſiderium amantiſsimi cordis filij Dei, orans cum effectu omnium orationum quæ vnquam de eodē corde dulciſsimo ꝑfluxerunt. vt ad hoſpitiolum indigniſsimi cordis ſui dignaretur declinare. Cui benignus dominus (qui ſemper præſto omnibus inuocantib⁹ eū) deſideratā ꝑſentiam ſuā exhibens, ſerena blanditate ait. Ecce aſſum. Quid mihi datura es Et illa. Optime veniat vnica ſalus mea, & totum, imo ſolum verum bonum meū. Et adiecit. Heu domine mi, ego indigna nihil quod tuam diuinam poſsit cōdecere magnificentiam, præparaui: ſed totam ſubſtantiam meam offero pietati tuæ, deſiderans & orans, vt tuipſe tibimet digneris in me præparare, quicquid tuam diuinam in me ſumme delectare poſsit, benignitatem. Cui dominus. Si vis, inquit, mihi hanc in-

Chriſtus dominus quomodo hoſpitio ſuſcipiendus.

Clauis hoſpitij.

te præſtare libertatem, da migi clauem, qua omnia libere poſsim accipere & reponere, quæcunque mihi tam ad commodum quam ad refectionem placent. Ad quod illa: Et quæ eſt clauis? Reſpondit dominus: Voluntas tua propria. In quo verbo intellexit, quod ſi quis deſiderat dominum hoſpitio recipere, debet ipſi clauem propriæ voluntatis ſuæ reſignare, ſe plene laudabiliſsimo beneplacito ipſius commendando & indubitanter de benigniſsima pietate ſua confidendo, quod in omnibus ſuam operetur ſalutem. Tunc dominus intrat & perficit in corde & animaeius omnem diuinæ delectationis ſuæ voluntatem. Eapropter diuinitus inſpirata, legit ex parte omnium membrorum ſuorum, ccclxv. vicibus illud Euangelicum: Non mea ſed tua voluntas fiat, amantiſsime Ieſu. Quod domino multum ſenſit complacere. Hinc requiſiuit à domino, qualiter acceptaret à quolibet homine, qui feſtum inſtans celebraret ea deuotione, qua ipſa conſcripſerat celebrandum, ſumens materiam de Heſter, & ſermonem ſic incipientem: Egredimini filiæ Ieruſalem, &c. Reſpondit dominus: Ego celebrationem illam ſic in corde meo diuino gratifico & accepto, quod ſi quis deuota intentione ipſum ita percolere-

re ſtuduerit huic ego in æterna vita (præter omnẽ remunerationem quam ipſi perſoluam pro ſingulis operibus ſuis bonis) præparabo etiam cõuiuium nuptiarum ſecundum regalis munificentiæ meæ liberalitatem: qua tantum habebit dignitatis, gaudij, & delectationis, prę alijs, quantum ſponſa in conuiuio nuptiarum ſuarum habet præ cæteris, quibus Rex ob honorem & amorem ipſius pro liberalitate ſua largitur munera larga.

De genuflexione gratiſsima, oratione pro debitoribus noſtris, & latronis merito.

CAPVT XXIV.

FEria deinde quarta poſt palmarum, dũ inciperetur miſſa. In nomine, &c. iſta ex intimo affectu cordis in honore nominis ipſius digniſsimi genua flectebat, in ſuppletionem omnium, quibusſ ipſa vnquam neglexerat dominum debita reuerẽtia honorare. Quod cum ſenſiſſet dominũ benigne acceptare, flexit ſecundum genua in illo verbo (cœleſtium) pro ſuppletione omnium quæ ſancti iam in cœlo domino conregnantes vnquam neglexerunt in lau de

laude Dei. Tunc omnes ſancti ſurgentes cũ maxima gratitudine, laudabãt dominũ pro eo quod hanc iſti gratiam contulit. & orabãt ꝓ ea. Tertio in illo verbo (terreſtrium) iterum flexit genua ꝓ ſuppletione omnium quæ vniuerſalis eccleſia neglexit & negligit in laude diuina. Tunc filius Dei cum benigna hilaritate reddidit illi fructũ totius deuotionis, quæ ſibi ab vniuerſa eccleſia offerebatur. Quarto illo verbo (& infernorum) ſimiliter genua flexit pro ſuppletione omnium quæ illexerunt, qui ſunt damnati in inferno. Tunc filius Dei exurgens & ſtans coram Deo patre, ait. Hoc meum eſt, quia cum pater omne iudicium mihi dederit, ego eos iuſto iudicio æquiſſimæ veritatis meæ damnatos, cruciatibus depu taui æternis. Ideoque & hanc ſuppletionẽ tantopere gratifico ab iſta, quod illius remunerationem humanus non capit intellectus, ſed in futurũ ipſi reſeruatur, donec capax æternæ beatitudinis efficiatur. ¶ Dũ vero in paſsione legeretur (pater ignoſce illis) iſta ex intimo affectu orabat dominũ, vt illo amore quo ipſe in paſsione pro crucifixoribus ſuis orauit, dignaretur dimittere omnibus, qui vnquam in aliquo contra ipſam deliquiſſent. Ad quod omnes ſancti cum magna admiratione ſurgentes orabant

De oratione pro debitoribus noſtris.

bant dominum, vt indulgeret ei quicquid ipſa deliquiſſet contra quemlibet eorum feſta ipſorum debita deuotione non celebrando, vel alio modo eos non ſatis digne venerando, filius etiam Dei procidens coram Deo patre, obtulit pro ea fructum totius ſanctiſsimæ conuerſationis ſuæ in emendationem digniſsimam omnium, quibus vnquam cogitationibus, verbis, & factis contra ipſum deliquiſſet. ¶ Cũ autem legeretur (Hodie mecum eris in paradiſo) intellexit per ſpiritum, quod ſicut nemo conſequitur dignum fructum pœnitentiæ in vltimo ſuo fine, niſi ad hoc habilitetur alicuius virtutis merito Deo cooperante. Latro ille qui tam ſalubrem adeptus eſt fructum pœnitentiæ, vt ipſo die gauderet cũ domino in paradiſi amœnitate, ad illam fuit habilitatus per hoc, quod quamuis ſceleratus & latrocinijs deditus eſſet: tamen vbicunque manifeſtam cognouit iniuſtitiam, ſæpe redarguit ſocijſque reſtitit Quod etiam in cruce fecit, ſocium de conuicijs domino maieſtatis irrogatis arguendo, ſeque culpabilem & iuſte damnatum confitendo. Vnde & miſericordiam conſecutus eſt apud Deum

De merito latronis.

In

In die Cœnæ. De modo obtinendi veniam ex merito Chriſti pro eccleſia De purgatione. vij affectionum De merito compaſsionis. Et de amore Chriſti in ſacramento.

CAPVT XXV.

IN feſto autem cœnæ dominicæ, dum ad matutinas cantarentur Lamentationes Ieremiæ, iſta coram Deo patre ſtans conquerebatur ipſi in amaritudine cordis ex parte totius vniuerſitatis omnia peccata, ex humana fragilitate cōtra ſuá diuiná om nipotentiá vnq̃ cōmiſſa. Ad ſecũdá vero lamétationé aſtitit filio Dei ſimiliter querimoniá mouens de omnibus peccatis contra inſcrutabilem ſapientiam Dei ex humana ignorátia cōmiſsis. Ad tertiá aut cōquerebatur ſpiritui ſancto omnia peccata quæ vnq̃ cōtra benignitaté ipſi⁹ malitioſe ſunt commiſſa. Hinc dum ad verſus Ieſu Chriſte, &c. puellæ cantarent Kyrie eleeſon, per primũ acceſsit ad cor Ieſu dulciſsimũ illud que deuote exoſculans, ex parte totius eccleſiæ, impetrauit remiſsionem omniũ peccatorum, quæ vnquá cogitationibus, deſiderijs & affectionibus, ac voluntatibus per uerſis ſunt cōtracta. Per Chriſte elee. vero deoſ-

deoſculans os domini benedictum, petijt remiſsionem omnium peccatorũ, quæ vnquam ore ſunt commiſſa. Iterum per Kyrie eleiſon venerandas manus domini deoſculans, obtinuit indulgentiã omnium peccatorum à quoquã in eccleſia per opera commiſſorũ. Deinde per illa quinq; Kyrie eleiſon, quę populus canebat ad hymnum, Rex Chriſte, per ſingulos verſus ipſa quinq; vulnera domini roſea deoſculabatur pro indulgentia omniũ peccatorum quinq; ſenſibus hominum commiſſorũ. Quod dum faceret, protinus dei ipſis quinque vulneribus copioſo impetu emanare cœperunt quinq; riuuli ſalutaris gratiæ, qui per totã eccleſiam defluentes, ipſam ab omni macula peccatorum emundabãt. Sicq; perſenſit ſe plenum obtinuiſſe effectum omniũ, quæ tam per lamentationes quàm etiam per Kyrie eleiſon exorarat. Vnde quilibet eiſdem intendere poteſt his tribus noctibus, confidens de diuina bonitate, quòd ſi deuotè in talibus laborauerit, conſimilem merebitur effectum. Cùm verò ad laudes cantaretur Antiphona: Oblatus eſt ait dominus: Si credis me in cruce Deo patri oblatum, eo quòd ipſe volui tali modo ſibi offerri: crede etiam indubitanter. quòd adhuc quotidiè deſidero eodem amore pro

Nota ineffabilem Dei amorem erga homines

quolibet peccatore Deo patri offerri, quomé in cruce pra ſalute totius mundi obtuli. Vnde quicunque (quamlibet graui pondere peccatorum ſe ſenſerit depreſſum) reſpirare poterit in ſpem veniæ, offerendo Deo patri meam innocentiſsimam paſsionem & mortem. Et credat, ſe per hoc ſaluberrimum fructum indulgentiæ obtinere,

Memoria paſsionis domini cæ cum vera pœnitētia & fide, quàm efficax.

quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, quàm deuota memoria meę paſsionis, cum vera pœnitentia & fide recta. ¶ Et cùm in euangelio (Ante diem feſtum) legeretur (cœpit lauare pedes diſcipulorum) dixit ad dominum: Eia domine, cùm ego indigna ſim vt abluar à te, vtinam ſaltem ab aliquo beatiſſimorum apoſtolorum tuorum (quos tu dominus vniuerſitatis abluere dignatus es) merear ab omni macula peccatorum lauari, vt hodie dignè accederem ad tui ſacratiſsimi corporis & ſanguinis myſteriū. Reſpondit dominus: Ego certè hodie tuas & etiam omnium illorum maculas ablui & exterſi, qui ſecundum doctrinam tuam ſeptem affectiones ſuas petierunt mundari à me. Tunc illa: Heu domine mi, licet ego alios hoc docuerim, & idem etiam facere propoſuerim: tamen alijs intendens, in his negligens fui. Reſpondit dominus.

Ego

Ego bonam voluntatem tuam pro opere ſuſcepi, quia gratuita bonitas mea hoc exigit, quòd quicunq; integra voluntate proponit aliquod bonum opus perficere, aut intendere alicui deuotioni, ſi ex humana fragilitate vel neceſsitate hoc negligit, ego pro facto voluntatem illius reſpiciam ſimul & remunerabo copioſe. ❡ Cùm autem eſſet communicatura, dixit ad dominum: Ecce domine, offero tibi vota omnium perſonarum, quæ ſe indignis orationibus meis commiſerunt. Cui dominus: Tot facibus amoris cor meum diuinũ ſuccendiſti, per quot mihi perſonas aſtas. Tunc illa: Eia, inquit, doce me domine, quomodo tibi pro perſonis totius Eccleſiæ dignè aſtabo, & tot facibus amoris deificum cor tuum accendam, quot homines ſunt in eccleſia vniuerſa? Reſpondit dominus: Hoc ſi deſideras perficere his quatuor modis potes, vt ſcilicet primo laudes me pro creatione eorum omnium quos ad imaginẽ & ſimilitudinem meã creaui. Secundo, vt gratias agas mihi pro omnibus beneficijs eis vnquam impenſis ſiue impendendis. Tertio, vt querimoniam moueas pænitendo pro omnibus modis quibus vnquã gratijs meis obicẽ poſuerunt. Quarto, vt ores pro omnibus quo ſinguli iuxta meã diuinam ordi-

Voluntas bona quàm Deo grata.

Quomodo cor domini facibus amoris accendamus.

1. 2. 3. 4.

ſeipſa. Et ait dominus ad eam: In eodem amore quo ego tempore mortalitatis meæ, omnem anxietatem, tribulationem & amaritudinem paſſionis & mortis pertuli in corpore meo pro ſalute humana, etiã nunc cùm iam immortalis ſim effectus, hodie eaſdem ſuſtinui in corde tuo, quod toties ex intima compaſſione anxietatum & amaritudinum mearum medullitus eſt commotum & penetratum in ſalutem veram omnium ſaluandorum. Vnde & per hanc compaſsionem (qua mihi per diem illum compaſſa es) do tibi omnem fructum meæ venerandæ paſsionis, & precioſæ mortis, in augmentum tuæ beatitudinis ſempiternæ. Et hunc honorem cordi tuo ſic mihi compaſſo ſuperaddo, quòd vbicunque adoratur lignum crucis quod mihi ad ſupplicium ſeruiuit, ſimul cum illo anima tua ſuſcipiet fructum intimæ compaſsionis quam mihi per diem iſtum exhibuit. Hoc etiam ſuperaddo, quòd pro quacunq; cauſa oraueris, nunquam cõtra beneplacitum meum cauſa illa ſtabit, ſed bono fine terminabitur. Adiecitque dominus: Quandocunq; pro aliqua cauſa orare volueris, cor meum (quod tibi in ſignum mutuæ familiaritatis ſæpius donaui) applica mihi in vnione amoris illius, quo illud humanũ ſuſce-

De merito compaſsionis.

Efficacia interceſsionis S. Gertrudis.

pi pro ſalute humana, & illud tibi ſæpius dedi in ſpecialis amicitiæ prærogatiuam, vt inde benefaciam illis pro quibus oras, ſicut diuiti præſentatur arca, vnde ſumat quo benefaciat ſuis amicis. Hinc illa requiſiuit à domino: Eia domine, inquit, quo nomine patrem orans in agonia inuocabas? Reſpondit dominus: Ego frequentius hoc nomine inuocabam eum, dicens: O integritas ſubſtantiæ meæ. ¶ Sub miſſa antequam Conuentus eſſet communicaturus, tempore ſecreti apparuit ei dominus Ieſus non ſedens, ſed iacens velut in extremo ſpiramine omnibus viribus adeo penitus deſtitutus, quod intuentis ſe viſcera omnia commota ſunt penè vſq; ad defectum ſpiritus. Et dum ſic velut in vltima miſeria iaceret vſq; ad horam qua congregatio erat communicatura, vidit quadam mirabili viſione, quòd ſacerdos ipſum leuaret, qui multo maior erat ſe menſura corporis, & portabat eum, à quo non ſolum portabatur ipſe, verum etiam à quo omnia portantur verbo virtutis ſuæ. Vnde & iſta hæc videns dulciſſimo quodam ſuauis compaſſionis affectu, intellexit quòd illa inualetudo præoſtenſa in filio Dei omnipotentis, exprimebat illam superſuauiſſimi amoris prævalentiſſimam virtutem, qua noſter Beniamin

Viſio mirabilis.

amabilis adoleſcentulus in exceſſu mentis factus dulcis Ieſus in delitijs expectatio-num illarum, tam dilectis ſibi animabus deſiderabat vniri per communionem ſacram. Vnde & quaſi exanimis (qui proprijs viribus omnino vti non poteſt) ex amore factus manibus ſacerdotis tractatur atque portatur. ¶ Item intellexit alia vice, quod quotiens homo cum deſiderio & deuotione inſpexerit hoſtiam, in qua latet corpus Chriſti ſacramentaliter, toties meritum ſuum auget in cælo, quia æternaliter in futura viſione Dei, tot ſibi ſpeciales delectationes alludent, quoties in terris cum deuotione & deſiderio inſpexit corpus Chriſti, vel etiam vellet videre ſi poſſet, cùm rationabiliter impeditur.

De amore Chriſti in ſacramento.

Deuota contemplatio ſalutaris hoſtiæ quàm ſit meritoria.

In die S. Paraſceues. De purioribus animæ raptibus, de lachrymis & memoria paſsionis Chriſti, & quomodo in eius vnione orare, eiq; vicem reddere debemus.

CAPVT XXVI.

LIcet ex præſcriptis ſatis euidenter appareat, hanc Chriſti ſponſam tam feſtiuis quam ferialibus diebus tota cordis de-

uotione domino intendiſſe: hoc tamen ſingulariter adijciendum puto, quòd dulciſſimæ paſſionis Chriſti memoriam viſceribus animæ ſuæ adeo profundè geſtare ſolebat infixam tamque ardenti deuotione ruminare, vt ipſa paſſio eſſet ei quaſi mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Quapropter inſtante ſacratiſsimo die paraſceues, cùm ad completorium audiret ſonitũ tabulæ, totis viribus cordis medullitus cómota tanquam ſi vnici fideliſſimi & chariſſimi amici ſui agonem ſibi præſentiret intimari, ad cuius exitum anhelans feſtinaret, ſic toto conatu ad intima ſua ſe retrahebat ad recolendam diuinam paſsionem eius, vt per amatoriam compaſsionem dilecto pro ſe paſſo, amoris fideliſſimi qualemcunque redderet vicem. Idcirco tota illa die & etiam ſacratiſsimo Sabbato ſequente habebat animam ſuam conglutinatam animæ dilecti ſui, intantum quòd ſibi difficilimum videbatur ad aliqua per exteriores ſenſus declinare, excepto quòd ad illa opera duntaxat quæ ductu charitatis ad laudem Dei proximo potuit impẽdere, ſi ſine omni hæſitatione vbicunque occaſio dabatur, liberè exhibebat, manifeſtè per hoc inſinuans, ſe veraciter in hoſpitio intimorum ſuorũ illum tenere amplexatum, de quo dicit In-

Ioanes: Deus charitas eſt. Si diligimus in- *1.Ioan.4.*
uicem, Deus in nobis manet, & charitas
eius in nobis perfecta eſt. Vnde per maxi- *De purioribus animæ raptibus.*
mam partem huius diei ſacratiſsimæ, & e-
tiam Sabbati ſequentis quaſi ſine humano
ſenſu tranſegit, inſuper ſæpius vſque adeo
in Deum rapta manſit, quod nullis imagi-
nationibus ad humanum intellectum ex-
primere potuit, quod ſibi inſinuatum fuit
ex mutua familiaritate dilecti ſui fortiſſi-
ma inhæſione ſibi dulciter conglutinati. &
propter amatoriam compaſsionem tam in-
ſeparabiliter cum ea liquefacti. Et hoc
quidem nō imperfectionis ſed ſummę per-
fectionis eſſe teſtatur Bernardus ſuper il- *Sermo. 41. in Cantic.*
lud in Canticis morenulas aureas facie-
mus tibi, ſic dicens: Cùm diuinitus & vel-
uti in velocitate coruſca luminis aliquid
raptim interluxerit menti ſpiritu exceden-
ti, ſiue ad temperantiam nimij ſplendoris,
ſiue ad doctrinæ vſum continuo (neſcio
vnde) aſſunt imaginatoriæ quædam rerum
inferiorum ſimilitudines infuſæ diuinitus
ſenſibus conuenienter accommodatæ, &
quibus quodammodo adumbratus puriſ-
ſimus ille ac ſplendidiſsimus veritatis ra-
dius & ipſi animæ tolerabilior fiat, & qui-
bus communicare illum voluerit capabi-
lior. Aeſtimo tamen ipſas ſimilitudines

formari in nobis ſanctorum ſuggeſtionibus angelorum, quibus id miniſterij eſt. Vnde ſentiamus Dei eſſe quod omnino purum eſt abſque omni fantaſia corporearum imaginum & elegantem quamlibet ſimilitudinem, qua id dignè veſtitum apparuit, miniſterio deputemus angelico. Hæc Bernardus: Nec eſt iudicandum inferioris illud eſſe dignitatis, quod Deus per ſeipſum dignatur influere in animam, & inter ipſam & ſe ſolum quaſi ſub ſigillo amicitioris familiaritatis conſeruare ſecretum ſuum purum abſque omni fantaſia corporearum imaginum. Nam & propter hanc cauſam plura in hoc libro ſunt ſilentio tecta, quæ magnifica relatione forent digna. ¶ Veruntamen ne prorſus hoc celeberrimum feſtum ſine aliqua deuotionis danda occaſione prætcrire videamur, adiungam aliquas ſcintillulas, quæ de camino illo in memoriam paſſionis Chriſti fortiter ſuccenſo exilierunt. Die enim quodam Paraſceues, cùm circa primam gratias deuotas Deo perſolueret, pro eo quòd iudicandus gentili homini aſtare voluit, vidit ipſum filium Dei ſerenum in lætitia perfecta Deo patri aſſidentē in throno Imperiali, & pro quibuslibet opprobrijs & blaſphemijs pro redēptione noſtra per-

peſſis, à patre mira blanditatis ſuauitate demulceri, ſingulosque ſanctorum flexis genibus cum permaxima gratitudine reuerētiam ipſi filio Dei exhibere pro eo quod ipſos iudicio ſuæ doloroſæ mortis ab æterna damnatione dignatus ſit liberare. Cùm verò in paſſione legeretur : Sitio, apparuit dominus quaſi aureum calicem porrigere ad capiendas lachrymas ex compaſſione mortis ſuæ effuſas. Iſta verò cùm ſentiret cor ſuum velut liquefactum ad effundendas lachrymas, & tamē eas contineret tum propter diſcretionem, tum etiam propter ſecretam deuotionem, requiſiuit à domino, quomodo hoc acceptaret. Tunc videbatur riuulus puriſſimus de corde ipſius animæ dominicum os influere, & interim recepit reſponſum domini in hæc verba: Sic mihi intrabo lachrymas deuotionis, quæ tam pura intentione propter me retinentur. Hinc circa Tertiam, cùm ex memoria illius quòd dominus hora illa ſpinis coronatus, ad columnam dirè flagellatus, ſuis feſſiſ cruentatisque humeris crucem dignatus eſt baiulare, vehementius fuiſſet ſuccenſa, dixit ad dominum: Ecce amator mi dulciſſime, ad reſpondendum amori tuo pro tam indebita amaritudine tuæ innocentiſſimæ paſſionis, exhibeo tibi

cor meum, deſiderans omnem amaritudinem & dolorem dulciſsimi cordis & immaculati corporis tui perferre ab hora iſta vſque in horam extremi exitus mei, orans vt quandocunque ex humana fragilitate horum recordatio à mea labitur memoria, facias me corporalem dolorem cordis ſentire, qui dignè reſpondeat amaritudini tuæ paſſionis. Reſpondit dominus: Talis voluntas & fidelitas cordis tui ſatis ſufficienter reſpondet mihi. Sed vt plenam in corde tuo poſſim habere delectationem, da mihi libertatem faciendi & continendi in eo quæcunque volo, non diſponens vtrum dulcedinem ſiue amaritudinem tibi infundam. ¶ Dum verò in paſſione legeretur, quod Ioſeph tulit corpus Ieſu, dixit ad dominum: Ioſeph illi beato datum eſt ſanctiſſimum corpus tuum domine. Quid autem mihi licet indignę dabitur de corpore tuo? Cui mox præbuit dominus cor ſuum dulciſſimum in ſpecie cuiuſdā aurei thuribuli, de quo tot virgulæ fumi ex aromatibus ſuauiter redolentibus, aſcendebāt ad patrem, pro quot generibus hominū dominus mortem ſuſtinuit. Et cùm ſecundùm ritum Eccleſiæ poſt paſſionem fierent orationes pro ſingulis ordinibus Eccleſiæ cum genuflexionibus dicente ſacerdote: Oremus dilectiſ-

De memoria paſſionis.

ctiſſimi,&c. videbantur ſingulæ orationes totius eccleſiæ permiſceri & ſimul aſcendere cũ fumo illo fragrantiſſimo, qui aſcendebat de thuribulo cordis diuini, ex cuius vnione ſingulæ orationes Eccleſię aſſumebant ſplendorem quendam mirificum ac ſuauiſſimum ſpiramentum. Vnde & quilibet ſtudeat ipſo die in vnione paſſionis Chriſti pro Eccleſia deuotius exorare, quo paſſio ipſa efficacius cõſueuit orationibus noſtris apud Deum patrem ſuffragari. *Quomodo in vnione paſſionis Chriſti orandum.*

¶ Item alia vice dum in die ſancto paraſceues circa memoriam dominicæ paſſionis ſuauius afficeretur, vicemque amoris dilecto ex intimo cordis affectu rependere deſideraret, dixit ad dominum: Eia doce me o vnica ſpes & ſalus animæ meæ quomodo tibi pro tua amariſſima mihiq; ſaluberrima paſſione ſaltem aliquam poſſim reddere vicem. Ad quod dominus: Si quis alienũ ſenſum ſequitur & non ſuum, ille mihi captiuitatem qua hora matutinali captus, ligatus, multisq; iniurijs affectus ſum pro ſalute humana, rependit. Qui verò humiliter culpabilem ſe reddit, iudiciũ qua hora prima multis falſiſque teſtibus accuſatus & morti adiudicatus ſum, mihi recompenſat. Qui autẽ ſenſus ſuos continet á delectabilibus, flagella quę ſuſtinui hora tertia, mihi *Quomodo vicem reddere debeamus Chriſto pro eius paſſione.*

rependit. Et qui ſe ſubdit diſcolis prelatis, ſpineam coronam mihi alleuiat. Qui verò læſus primus ad pacem humiliatur, crucis mihi baiulationem reſtituit. Si quis etiam ſupra poſſe ſe extendit ad opera charitatis erga proximum, extenſionem qua hora ſexta in cruce acriter diſtentus ſum, mihi rependit. Qui etiam nõn fugit grauamen contumeliæ vel tribulationis, vt proximũ retrahat à culpa, mortem meam mihi rependit, quam pertuli hora nona pro ſalute humana. Qui autem conuiciatus humiliter reſpondet, me quaſi de cruce deponit. Qui verò proximum ſibi præfert, reputans ipſum maiori honore, vel commodo, aut alio bono ſe digniorem: ille ſepulturã mihi rependit. ¶ Alio quoque die Paraſceues, dum communicatura oraret dominum vt ſe dignè præpararet, tale accepit reſponſum: Ego cum tam magno deſiderio feſtino ad te, quaſi me cohibere non vales; cùm iam in ſinum meum congregauerim vniuerſa quæ hodie per totam Eccleſiam in memoriam meæ paſſionis, per cogitationes, verba & opera ſunt perfecta: vt omnia ſimũl tibi in ſacramento corporis mei infundam ad æternam ſalutem tuam. Ad quod illa: Gratias ago tibi benedicte domine mi, ſed vellem tamẽ donũ illud ſic mihi dari.

dari,vt ego vltra poſſem illud dare plurib⁹ quibuſcunque mihi placeret. Tunc dominus tanquam ſubridens, dixit: Et quid tu mihi dilecta, cum vis tale donum à me tibi tam liberaliter donari. Heu domine mi (inquit iſta) nil habeo quod poſsit tuam dignitatem condecere: ſed tandem illam voluntatem habeo, quod ſi ego haberem omnia quæ tu habes, omnibus vellem abdicare & tam liberaliter omnia tibi dare, quod tu ea poſſes dare cuicumque velles. Ad quod dominus benigne reſpõdit. Si tu hoc inuenis in corde tuo, quod ſic velles mihi facere: certiſsime ſcire debes, qd' ſimiliter tibi volo facere, & tantum ſupra hoc quantum pietas mea & amor meus præponderat tuo. Et iſta. Et quali dignitate obuiabo tibi, cum tam largifluus dignaris venire ad me? Reſpondit dominus. Nihil aliud requiro à te, quam quod euacuata venias ad recipiendum. Quia omne quod mihi placuerit in te, hoc per donum meum totum accipies. Hinc intellexit, quod euacuatio illa ſit humilitas, qua ſe reputaret omnino nihil habere de meritis: nec etiam aliquid poſſe, niſi ex gratuito dono Dei. Et vt omne quod facere poteſt, pro nihilo æſtimaret. *Humilitas.*

In-

In feſto Paſchæ. De liberatione animarum à pœnis, de bona voluntate, de laude Dei per Alleluia.

CAPVT. XXVII.

IO nocte beatiſsima glorioſiſsimæ reſurrectionis domini dum ante matutinas deuotius orationi incumberet: apparuit ei dominus Ieſus, florens & amœnus in gloria diuine maieſtatis & decore perpetuæ immortalitatis. Ad cuius pedes iſta procidēſeũ humiliter ac deuotiſsime adorauit dicens. Cum tu ſponſe floride decus angelorum & gloria me omnium creaturarum extremam tibi eligere dignatus ſis in ſponſam & ego ſolius tui laudem & gloriam ex intimis cordis & animæ medullis deſiderem & ſitiam, & tuos amicos meos propinquiſsimos reputem: ergo peto Ieſu amantiſsime, vt hac hora ob reuerentiam iucundiſsime reſurrectionis tuæ abſoluere digneris animas omnium ſpiritualium tuorum. Ad quod citius obtinendum in vnione innocentiſsimæ paſsionis tuæ offero tibi omnem tolerantiam cordis & corporis mei, quam pertuli in continuis infirmitatibus meis. Tunc dominus cum mira blanditate oſtendit illi, multitudinem animarum à pœnis

De liberatione animarũ à pœnis.

pœnis abſolutam dicens: Ecce pro dote ſponſali has omnes aſſigno tuæ dilectioni, quia æternaliter apparebit in cœlis, quod tuis ſint precibus liberatæ: & hoc coram omnibus ſanctis meis cedet tibi iugiter in honorem. Tunc illa: Et quantus eſt earum numerus? Reſpondit dominus. Numerum earum ſolius diuinitatis meæ ſcientia com plectitur. Cumque iſta intelligeret animas quamuis à pœnis liberatas, nondum tamē æternis gaudijs ſociatas præbuit ſe totam diuinæ pietati ad tolerandum in corde & corpore quæcunque ſibi placerent, pro eo vt animabus illis plenam beatitudinem cō ferre dignaretur, Tunc placatus dominus, omnes eadem hora ſubleuauit ad gaudia cœli. Hinc poſt moram dum grauem ſentiret laterum dolorem, & coram quadam imagine crucis genua flecteret, dominus laborem & dolorem eius contulit predictis animabus in augmentum gaudiorum ſuorum, dicens. Hoc munus deuotionis mihi ex tanto affectu à ſponſa mea oblatum, exhibeo vobis in cumulum beatitudinis ſempiternæ, voſque ipſam honore condigno propterea te honorare ſtudete, precum ipſi xenia remittentes. ¶ Poſt hoc iterū, feruore amoris impellēte, iſta ſe exhibuit domino dicens: Ecce amator vni-

ce,ego indigniſsima tibi regi regum domi no cum affectu aſto,præbens tibi totá ſubſtantiam corporis & animæ, ad ſeruiendú tibi quo ad vixero pro gloria tuæ colendæ reſurrectionis.Reſpondit dominus:Et ego hoc munere tuæ bonæ voluntatis vtar qua ſi pro regio ſceptro diuinæ magnificentiæ meæ,& de eo in conſpectu ſanctæ.Trinitatis omniumq; ſanctorum in perpetuũ gloriabor tanquã à delecta mea mihi donato. Ad quod illa.Licet domine mi,te donante hanc voluntatem tibi vouerim: vereor tamen quod, ex humana inſtabilitate eandem cito tradam obliuioni.Cui dominus. Et quid hoc refert,cum ego ſemel mihi oblatum ſceptrum nunquam de manu mea dimittam:ſed repreſentationem & memoriam tuæ dilectionis erga me iugiter reſeruabo? Et quotieſcunque tu mihi hanc intentionem renouaueris,toties idẽ ſceptrũ amœniſsimis floribus in manu mea efflorebit, ac gemmis exornabitur precioſis.

¶ Dum vero deuotione hac & intentione omnes vires & ſenſus, tam interiores quam exteriores,extenderet, & ſe ad cantandum matutinas in gloriam dominicæ reſurrectionis præpararet, & inchoaretur inuitatorium (Alleluia) dixit ad dominum.Doce me inſtructor benigniſsime,

qua-

quali deuotione te laudare poſsim per(Alleluia)quod toties in feſto iſto repetitur. Reſpondit dominus. Conuenientiſsime, poteris me per(Alleluia)collaudare in vnione laudis ſup cœleſtiũ ciuiũ,qui per idẽ iugiter collaudant in cœlis. Et adiecit dominus. Nota ergo quod in illa dictione (Alleluia)omnes vocales inueniuntur preter ſolam vocalem o:quæ dolorẽ ſignificat & ꝑ illa duplicatur prima vocalis, ſ.a. Vnde per a lauda me in vnione illius excellẽtiſsimæ laudis,qua omnes ſancti coiubilãtes extollũt ꝑſuauiſsimam delectationem diuini influxus mei in meã deificã humanitatẽ,iã immortalitatis gloriã ſublimatã pro multifaria amaritudine paſsionis & mortis,q̃ ſuſtinui ꝑpter humanam ſalutẽ. Per e lauda amœniſsimam delectationem illius gratiſsimæ venantiæ, qua occulti humanitatis meæ delectãtur in floridis paſcuis totius ſummæ & indiuiduæ Trinitatis per v,quoque lauda ſuauiſsimam delectationẽ illam,qua demulcentur aures meæ deificatæ humanitatis in ſuauiſonis blãditijs ſemper venerandæ Trinitatis omniumque angelorum & ſanctorum laudibus indefeſsis. Per id eſt extolle delitioſiſsimã fragrantiã auræ gratioris,qua per ſuauiſsimum ſanctæ Trinatis ſpiramentum nares iam immor-

De laude Dei per Alleluia.

mortalis ſanctæ humanitatis meæ gratiſsime recreantur Per, à, deinde(quæ pro o adiungitur)]collauda magnificum incompræhenſibilem & inæſtimabilem totius diuinitatis influxum in meam deificam humanitatem, quæ iam immortalis & inpaſsibilis effecta pro ſenſu actus corporei(quo caret) duplici fruitur diuinæ influxionis delectamento. Poſt hæc dum procederet in cantando matutinas, ex ſingulis pſalmis reſponſorijs & lectionibus ſuauiſsimos & conuenientiſsimos ſpiritualium delitiarũ percepit intellectus aptiſsime congruentes ſolennitati iucundiſsime reſurrectionis ſimulque mutuæ dilectioni ac fruitioni ſpiritualis vnionis Dei cum anima: qui multũ delectare poſſent animum deuoti lectoris: quos tamen omnes, ſicut & alia plura, cauſa breuitatis omitto ne forte prolixitas faſtidium generet, & ea diuinæ gratitudini committo, à quo proceſſerunt hæc & vniuerſa beneficia electæ ſuæ largitee impẽſa.

Quam exacte diſcreta ſint omnia merita noſtra coram Deo, & quomodo ornentur per merita Chriſti.

CA-

CAPVT. XXVIII.

FEria ſecunda paſchæ: dum communicātura oraret dominū vt per illud dignisſimum ſacramentum ſupplere dignaretur omne quod ipſa vnquam neglexerat in ordine religionis, ſuſcipiens eam filius Dei penetrauit Deo patri indutam tunica religionis: quæ tunica videbatur ex tot partibus diſtinctim compoſita, quot annos vixerat in religione: ita qđ inferior pars tunicæ reputabatur pro primo anno, ſecunda pro ſecundo anno, & ſic deinceps vſque ad annum, in quo tunc erat. Videbaturque tunica illa ita expanſa & extenſa, quod nullius omnino plicæ vmbra quicquam in ea cōtegere poterat, ſed in quolibet anno diſtinctim apparebant annotati omnes dies & horæ & inſuper ſingulæ cogitationes, verba, & opera, tam bona quam mala, quæ in illo anno peregerat de die in diem, de hora in horam. de cogitatione in cogitationē de verbo ad verbum, de opere ad opus: & quid ſingulis verbis & factis ſuis intenderat, vtrum ſcilicet Dei laudem, & animæ ſuæ profectum, aut humanum fauorem vel alicuius damnum: quid etiā in quolibet cōmodo vel abſtinentia vel quocumque opere ex pura obedientia quidve ex propria deliberatione perfecerat. Vbi autem in aliquo

quo opere ſibi blandita fuerat, quaſi ex obedientia illud feciſſet, quod magis ex propria deliberatione ſibi à magiſtratu obrinuerat permitti, aut per aliquam callidam occaſionem extorſerat ſibi mandari: talia nimirum opera obedientiæ apparebant in tunica illa, velut quædam gemmulæ luto fragili infixæ, quæ nutantes & quaſi caſuræ vix poterant hærere. Orante autẽ ꝑ ea filio Dei & ſuam innocentiſsimam ac ꝑfectiſsimam conuerſationem Deo patri offerente videbatur tunica illa veluti quadam aurea lamina ſplendiſsima & perſpicaciſsima obtecta: per quam tum omnia prædicta cogitationum, verborum & operum, necnon intentionum, neceſsitatum vel ſimulationum (quæ vel ſcienter, vel negligenter, ſponte vel coacte quolibet tempore vel hora peregerat) merita adeo clare permicabant & diſtincte: quemadmodum per putum cryſtallum quilibet color ſuppoſitus poteſt diſcerni. Nec aliquis ſaltem minimus puluis aut punctus latere poterat, qui in luce cognitionis infalibilis veritatis, tã Deo quam etiam omnibus cœlicolis, euidentiſsime non appareret. Vnde diuinitus intellexit, quod cuiuſlibet hominis ſtatus ſimiliter patet Deo & omnibus ſanctis per æterna ſecula. Quod autem dominus dixit

xit per prophetam. In quacumque hora conuerſus fuerit peccator, &c. ſic intelligēdum eſt, quod non recordabitur dominus vltra peccatorum condigna penitentia deletorum ad iudicandum. Veruntamen iugiter apparebunt in nobis ſingulæ maculæ peccatorū noſtrorum ad laudem & gloriā dulciſsimæ miſericordiæ eius, qua tam benigne pœnitentibus peccata dimiſit & inſuper tam multimodis beneficijs ſuæ diuinæ pietatis nos circumuenit, ac ſi nunquā contra ipſum in aliquo deliquiſſemus. Singula etiam opera noſtra bona, cogitationes, verba, & voluntates, quas vnquam pro amore & laude Dei perfecimus, ſimiliter in ſempiternum efflorebunt ad laudem ipſius (cuius dono & cooperatione omnia perfecimus) & ad cumulum gaudiorum noſtrorū ſicque ſemper proinuicem laudabimus & & amabimus Deum, qui in trinitate perfecta viuens & regnans operatur omnia in omnibus nobis.

De renouatione matrimonij ſpiritualis.

CAPVT XXIX.

FEria tertia Paſchæ, dum communicatura, deſideraret à domino, vt per idem ſacramentum viuificum renouare

dig-

dignaretur in anima eius matrimonium ſpirituale,quo ipſi in ſpiritu erat deſponſata per fidé & religionem,nec non per virginalis pudicitię integritatem: Dominus blãda ſerenitate reſpondit.Hoc, inquiens, indubitanter faciam : Sicque dignantiſsime inclinatus ad eam blandiſsimo affectu eam ad ſe ſtringens oſculum prædulce animæ eius infixit:per oſculum renouans in ea interiorem ſpiritus exercitationem,per amplexum autem imprimere videbatur pectori eius monile quoddam ſplendiſsimum gemmis precioſis miraque vermiculatione exornatum.Per quod reformauit in ea, quicquid neglexerat in exercitijs ſpiritualibus quibus potuiſſet inſudaſſe.

Quod ſolius domini virtute poſſumus fructum facere.

CAPVT XXX.

FEeria deinde quarta deſiderauit à domino,vt dignis eam virtutum fructib9 per effectum corporis ſui faceret fœcundari.Reſpondit dominus. Certe faciam te in memetipſo fructificare, & per te plurimos mihi attraham.ad quod illa: Domine quomodo poteris tibi aliquos per me indignam attrahere,cum ego iam ex magna parte

parte perdiderim gratiam loquendi & alios inſtruendi, qua aliquando abundaui? Reſpondit dominus: Si gratiam haberes loquendi, æſtimares fortaſsè quòd ex tua eloquentia hoc præualeres, vt homines ad me traheres: ergo hoc tibi ex parte ſubtraxi, vt non ex te ſed ex gratia mea ſpeciali cognoſcas te hoc præualere. Aperuitque dominus ſanctiſsimum os ſuum & attraxit ſpiritum, dicens: Sicut modo attraxi ſpiramen meum, ſic omnes qui cum deuotione & affectu propter me inclinauerint ſe tibi, eo reuera attraham mihi faciamque eos de die in diem proficere ad meliora.

Quàm fructuoſum horum librorum lectioni piè incumbere.

Quàm vtile ſit omnia opera noſtra Deo commendare.

CAPVT XXXI.

Feria quinta Paſchæ, dum de beata Maria Magdalena legeretur Euangelium, inclinauit ſe & proſpexit in monumentum & vidit duos angelos, &c. dixit ad dominum: Vbi eſt domine monumentum, in quod ego proſpiciens inuenire poſsim conſolationem ſpiritus mei? Tunc dominus vulnus lateris ſui ipſi oſtendit. Ad quod dum ſe acclinaret deuotè, quaſi vice duorum angelorum, intellexit hæc duo ſibi

 dici.

dici. Quorum primum erat: Tu nunquam poteris à mea ſocietate diſiungi. Secundũ verò fuit iſtud: Omnia opera tua mihi perfectiſſimo modo placent. Ad quod illa ſtupefacta, cùm hæſitans perquireret, quomodo hoc eſſe poſſet, cùm ipſa in omnibus ſic imperfecta exiſteret, quod nulli homini in terra opera eius omnia placere poſſent propter occultum defectum quem in eis quandoque depræhenderet: quomodo tunc lucidiſſimæ cognitioni diuinæ poſſent placere, quæ ibi quaſi mille defectus recognoſcit, vbi humana cæcitas vix vnum depræhendit? Dominus reſpondit: Sicut tu tenens rem aliquam in manu tua, quam leuiter poſſes & benè ſcires ſic emendare, quod omnibus placita fieret, ſi bonam ad hoc voluntatem haberes, nequaquam negligeres: ſic ego ex eo quod habes de more opera tua mihi ſæpius commendare, ea quaſi in manu mea teneo, & cùm ex mea omnipotentia præualeam, & ex inſcrutabili ſapientia optime ſciam: certè ex benignitate delector, omnia opera tua ſic emendare, vt tam mihi quàm omnibus cœleſtibus poſſint perfectiſſimè complacere.

In conſuetudine habere debemus opera noſtra Deo frequenter commendare.

Quo-

Quomodo ad ſuſceptionem ſpiritusſancti nos præparemus.

CAPVT XXXII.

OCtauo die dominicæ reſurrectionis, dum in euāgelio legeretur, quòd dominus diſcipulis ſuis per inſufflationē dedit ſpiritumſanctum: iſta deuota intētione dominū orabat, vt etiam ſibi ſuauifluū ſpiritū largiri dignaretur. Cui reſpōdit dominus: Si deſideras ſpiritū ſanctum accipere, oportet te ad modū diſcipulorum meorum prius latus & manus meas contrectare. In quibus verbis intellexit, quòd quicūq; ſpiritum ſanctū deſiderat ſuſcipere, debet contrectare manus domini, id eſt, cum gratitudine perpendere amorē cordis diuini, quo nos ab æterno prædeſtinauit in filios & hæredes regni ſui, & quomodo tā infinitis bonis continúè nos indignos preuenit, & ingratos ſubſequitur gratis. Manus etiā dñi debet cōtrectare, hoc eſt, cū gratitudine recolere ſingula opera redemptionis, quibus dominus xxxiij. annis pro amore noſtro laborauit, & ſpecialiter in ſua paſsione & morte. Cumq; ex horū memoria & gratitudine incaluerit, offerat Deo cor ſuum in vnione illius amoris, quo ipſe dixit: Sicut miſit me viuens pater, & ego mitto vos, &c.

Quomodo accipere poterimus ſpiritum ſanctum.

Amor cordis diuini erga nos, cum gratitudine perpendendus.

Memoria operum redemptionis.

Pius modus offerendi Deo cor noſtrum.

ad omne beneplacitum diuinæ voluntatis: ita, quòd homo in nullo quicquam velit vel deſideret, quàm ſummum beneplacitū Dei: & inſuper ſe ad omnia faciēda & ſufferenda præbeat quæcunque dominus ſibi iniungit. Quod cùm quis fecerit, indubitanter ſpiritum ſanctum paracletum ſuſcipit eo affectu, quo diſcipuli hoc die ſuſceperunt eum per inſufflationem filij Dei. Hinc inſufflauit dominus, & dedit etiam huic ſpiritum ſanctū, dicens: Accipite ſpiritum ſanctum in vobis, quorum remiſeritis peccata, remit. eis. Ad quod illa: Domine quomodo poteſt hoc fieri, cùm hæc poteſtas ligandi & ſoluēdi ſolis data ſit ſacerdotibus? Reſpondit dominus: Cuiuſcunq; cauſam tu per ſpiritum meum diſcernendo iudicaueris nō eſſe culpabilem, ille certè innoxius apud me reputabitur, & cuius cauſam diſcernis eſſe culpam, reus coram me apparebit: quia ego loquar per os tuū.
» Ad quod illa: Cùm ſæpiùs dignatio tua
» piiſsime Deus de hoc eodem dono me cer-
» tificauerit, quid modò ex hoc conſequor,
» quod iterū idem mihi cōcedis? Reſpondit
» dominus: Cùm quis conſecratur in diaco-
» & poſtea in presbyterum, non ideo perdit
» officium diaconatus, ſed maiorē ex ſacer-
» dotio conſequitur honorem: ſic etiā cum ani-

animæ donum iteratur, certè per repetitionem firmius in ea ſtabilitur, & per hoc cumulus beatitudinis eius augmentatur.

De effectu Letaniæ & inuocatione ſanctorum.

CAPVT XXXIII.

IN die ſancti Marci Euangeliſtæ, dum Conuentus proceſſionē faceret cum Letania, apparuit huic dominus Ieſus in throno maieſtatis ſuæ, exornatus tot monilibus precioſis in modum ſpeculorum lucidorū, quot ſancti ſibi iam conregnāt in cœlis. Cumque in Letania fieret inuocatio ſanctorum, quam cito nomen alicuius ſancti inuocabatur, ſtatim ille ſanctus cum ingenti lætitia reuerenter exurgens, flexit deuotè coram domino genibus, extenſiſque manibus videbatur contingere monile illud in veſte domini: per quod ipſemet figurabatur. Quod cum faceret, apparebant ſub manibus eius ſcripta nomina omnium qui ipſius ſancti auxilium inuocabant. Et quæ cum intentione & deuotione hoc faciebant, earum nomina velut aureis literis videbantur aſſcripta. Quæ autem tantum ex vſu hoc faciebant, earum nomina nigris literis apparebant aſſignata. Sed quæ cum tædio & diuagatione cordis hoc facie-

Effectus inuocationis Sanctorum.

 bant,

bant, illarum nomina ita tenebroſa apparebant, quòd vix poterant diſcerni. Vnde per hoc, quod nomina perſonarum auxilium ſanctorum inuocantium apparuerunt in veſte domini, intellexit notari, quòd quandocunque à nobis inuocati ſancti orãt pro nobis, illa oratio ſtatim quaſi memoriale miſericordię nobis impetratæ relucet in Deo, ipſum continuè admonens & inſtigans, vt nobis miſereatur. Quandocunq; etiam aliquis ſanctorum ſpeciali affectu & deuotione inuocabatur ab aliqua, ſtatim ille ſanctus recepit in ſe ſplendorẽ monilis in veſte domini ipſum figurantis, cum aſcriptione perſonarum ipſum ſpeciali deuotione venerantium in memoriam ſempiternã, qua ſemper prouocetur ad obtinendum ſe inuocantibus vtriuſque vitæ ſalutem.

Effectus orationis Sanctorum.

Effectus ſpecialis deuotionis ergà quoſdam Sanctos

De dulci memoria S. Ioannis & Gertrudis, & obliuione defectuum tempore confeßionis.

CAPVT. XXXIIII.

IN feſto S. Ioãnis ante portã latinã apparuit B. Ioãnes huic ſpõſæ, & mira blãdita cõſolabatur eam, dicẽs: Ne graueris electa ſponſa domini mei, pro defectu virium corporaliũ: quia modicũ & quaſi momẽtaneum eſt omne, quod in præſente ſeculo toleratur, reſpectu æternarũ deliciarũ illarũ, qui-

Non ſunt conte digna paßionis huius temporis ad futuram gloriam &c.

quibus nos iam beatificati fruimur in cęlis quas & tu poſt modicũ temporis nobiſcum poſſidebis, quaſi vna ex nobis: cùm ſcilicet ingreſſa fueris thalamũ ſponſi tã amati, tan to tẽpore expectati, tot deſideriorum ſuſpi rijs aduocati, & tandẽ pro votis adepti. Et ſubiunxit: Recordare, inquã, quòd ego dilectus ille diſcipulus (quẽ reuera diligebat Ieſus) multo plus defeceram viribus & ſenſibus corporalibus, quã tu, cùm eſſem adhuc viuẽs in terris: qui tamen nõ id omniũ cordibus adeo floridus appareo & delicatus, quòd vix aliquis fidelium inuenitur, qui in memoria mei ſpeciali deuotione nõ afficiatur. Vnde & memoria tui ſimiliter poſt mortẽ tuam in multorũ cordibus refloreбit, ac plurimorum mẽtes attrahet ad delectandum in Deo. Tunc ipſa conquerebatur ſancto Ioanni, quòd timeret ſe ex hoc aliquod impedimentum incurrere, quòd quandoq; aliqua, quamuis modica, ex obliuione omitteret confiteri, eo quòd interdum copiam confeſſoris non haberet, & ex debilitate ea retinere nequiret. Super quo beatus Ioannes blandè eam conſolabatur, dicens: Noli timere filia, quia quãdocunq; tu integram voluntatem tuam diſponis ad confitendum ſingula peccata tua: & requirens confeſſorem, non potes habere

Memoria Iuſtus virginis Gertrudis.

De obliuione defectuũ tempore confeſſionis.

ipſius facultatem: omnia quæ tunc ex obliuione omittis confiteri, coram pio domino in anima tua effulgebunt in ſpecie gemmarum precioſarum, vnde miro modo gratioſa omnium cæleſtium ciuium conſpectibus apparebis. Hinc dum ſub miſſa retractaret cum gratitudine ſcripta illa, quæ ſpeciali beneficio familiaritatis á domino acceperat, & ad Sequētiam illam (Verbum Dei Deo natum) ea ipſa deponeret, vt liberius intenderet verbis illis quę ad honorem beati Ioannis decantabantur, affuit illi iam dictus beatus Euangeliſta, & quaſi aſſidens ad dexteram eius prohibebat, ne aſſumpta exercitia deponeret: & obtinuit ei mirabili modo, quod intendēs ſcriptis iſtis nullum impedimentum ſentiret, quin in ſingulis verſibus ſequentiæ ſpecialem perciperet intellectum. Cùm verò cantaretur (Audit in gyro ſedis) dixit beato Ioanni: O quali iucunditate tunc fruebaris, cùm taliter eſſes ſublimatus. Ad quod ille: Verum dicis. Sed hoc ſcias, quòd iam maiori delectatione iucundor ex illis, quæ tu modò retractas, congratulans benignæ dignationi amantiſſimi domini mei. Sicque cum ea quaſi idem ſentiens, amicabiliter aſſidebat, donec cantaretur verſus (Iſte cuſtos virginis) Sub quo videbatur ſubleuari.

uari vſque ad thronum gloriæ Dei : vbi admirabili præfulgens decore, ab omnibus cælicolis inæſtimabili extollebatur affectu. Vnde incredibilibus delitijs perfruebatur ex prædulcibus verbis, quæ ſequebantur, ſcilicet (Cæli cui palatium.

De ſalutatione omnium vulnerum Ieſu, & quàm meritorium ſit infirmis ſeruire, & de humani affectus impedimento.

CAPVT. XXXV.

ANte feſtum celeberrimæ Aſcenſionis domini, dum in ſalutationem celeberrimorum vulnerum totius corporis domini Ieſu legeret quinque milibus quadringentis lxvj. vicibus hunc verſiculum (Gloria tibi ſuauiſſima, dulciſſima, benigniſſima, nobiliſſima, Imperialis, excellentiſſima, fulgida, ſemperque tranquilla Trinitas pro roſeis vulneribus mei vnice electi amatoris) apparuit ei vice quadam dominus Ieſus pre vultibus angelorum forma ſpecioſus, ſuper quodlibet vulnus ſuum habens flores aureo ſplendore coruſcantes, vultu ſereno, blandiſſimoque affatu ipſam reſolutans, & dicens inter alia: Ecce in hac prærutilanti forma & gloria *Salutatio vulnerum Ieſu.*

Effectus piæ ſalutationis ſalutation is vulnerũ Chriſti.

(qua me modò tibi exhibeo) etiam in hora mortis tuæ tibi totus florens & amœnus apparebo: & tali decore, quali nunc vulnera mea ex ſalutatione orationum tuarum ſunt adornata, ego omnes maculas peccatorum & negligentiarum tuarum contegens, adornabo, & etiam omnium qui ſimilĩ ſtudio & deuotione ſingula vulnera mea ſalutant cum eadem vel ſimili oratione. ❡ Dominica verò proxima ante Aſcenſionem, dum ad matutinas feſtinanter conſurgens, legeret matutinas, vt poſtea longiorem morá orandi haberet, & domino (quẽ ipſa per quatuor dies præcedentes Aſcẽnſionem in corde ſuo affectuoſius deſiderabat hoſpitari) liberius & ſuauius poſſet blãdiri, & iam vſq; ad quintam lectionem matutinas compleſſet: videns aliam infirmam non habentem quæ coram ea legeret matutinas: ipſa, vt plena erat viſceribus charitatis, miſericordia mota ſuper illam, dixit ad dominum: Cùm tibi domino meo pateat, quam ſupra vires meas laborauerim ſola legendo has matutinas: tamen quia te dominum charitatis per hos dies deſidero hoſpitari, & (heu) per hebdomadam parum me præparaui orationum ſtudio & exercitio virtutum ad præbendam tibi dignam manſionem: modò ad laudem tuam.

am æternam & in ſuppletionem omnium, quæ tibi amicabiliſſimo hoſpiti meo debebam præparaſſe, in charitate quæ tu ipſe es, legam iterum matutinas. Cumque ſic reinciperet, dominus verificans illud (Infirmus fui, & viſitaſtis me) & illud (Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis) exhibuit ſe illi in tantæ benignitatis ac blanditatis ſerenitate, quod hoc nullis verbis explicari ſeu etiam humanis ſenſibus poteſt compræhendi. Vt tamen pauca de multis vtcunque tangam. videbatur ſibi quòd dominus Ieſus in gloria ſublimi tanquam ad menſam quandam delitioſiſſimam ſedens, non ſolum de ſingulis verbis verumetiam quaſi de ſingulis literis quę legendo matutinas proferebat, ineffabilia & inæſtimabilia dona gratiarum, gaudiorum & præmiorum æternorum diſtribueret omnibus cæleſtibus, terreſtribus, & animabus purgandis. Interlucebat etiam ei ex ſingulis verbis pſalmorum, lectionum, ac reſponſoriorum inexplicabilis ſuauitas diuinæ cognitionis, ac influebat animam eius medullitus efficax delectatio intellectuum ſpiritualium: de quibus tum præ multiplicitate vix pauca retinuit ad enarrandum alijs: licet ad delectandum in prægustatis abundaret in intimis. Cùm enim in

Quàm meritorium ſit infirmis ſeruire.

Bonorum operum glorioſus eſt fructus.

pſalmo: Ad te domine clamabo, in illo verſu: Saluum fac populum tuum domine, & benedic hæreditati tuæ, deſideraret vt dominus largam benedictionis gratiam porrigeret ſuper vniuerſam eccleſiam, dominus reſpondit: Quid vis dilecta mea, vt faciam? Nam ego me tam dignanter modò in tuam dedi poteſtatem, ſicut in patibulo crucis charitatis imperio me patri totaliter mancipaui. Vnde ſicut tunc contra placitum patris nequiui deſcendere de cruce: ita & nunc nihil aliud velle poſſum, quàm quod tuæ placuerit dilectioni. Ergo quæcunque deſideras, ex virtute diuinitatis meæ tu cuilibet diſtribue largè. ¶ His & ſimilibus cùm per totas matutinas frueretur diuinæ blanditatis delectationibus, tandem finitis matutinis, cùm ſe pauſaturam in lectum recollegiſſet, blandiſſima ſerenitate ait ad eam dominus: Qui laſſatur ex operibus charitatis, iuſtiſſimè requieſcet in tranquillo thalamo charitatis. Et his dictis accepit eam inter amplexus ſuos diuinos, ac ſupra pectus ſuum quaſi ſuper quendam quietiſſimum thalamum reclinauit. Tunc quaſi de medio intimorum cordis diuini (ad quod verſa iacere videbatur) effloruit arbor charitatis, ſtatura venuſta, ramiſque ac fructibus valdè decora,

cora, habens folia quaſi ſtellas ſplendentia, quæ demittens ac dilatans ramos ſuos, vndique thalamum in quo requieuit anima, circumuallabat, ac per hoc tam frondentium quàm fructuum ſuorum fragrantia ac ſapore animam delectando recreabat. Videbatur etiam, quòd de radice eiuſdem arboris erumperet vena quædam puriſſima quaſi aquæ ſalientis, quæ in altum reſiliens, ac protinus originem ſuam repetens, animam illam beatam mirifica ſuauitate reficiebat. Vnde per illam venam intellexit præfigurari excellentiſſimę diuinitatis ſuauitatem cuius plenitudo in humanitate Ieſu Chriſti corporaliter requieuit, quæ & animas electorum incompræhenſibili ſuauitate delectat. ¶ Hinc ſub miſſa qua erat communicatura, expoſuit Deo omnem defectũ animæ ſuæ: ſicut amicus amico ſuo, quem ſciret ſibi prouiſurum, vt omnibus bonis abundaret: orans vt in die delitioſiſſimæ Aſcenſionis ſuæ ſibi apud Deum patrem omnium negligentiarum ac defectuum ſuorum obtineret commendationem. Ad quod dominus hoc permbenignum illi dedit reſponſum: Tu es illa amabilis Heſter, quę incredibili pulchritudine oculis meis es gratioſa, pete ergo quod vis, & dabitur tibi. Cumque illa cœpiſſet

Chriſto aſcenſuro neceſſitates noſtras cõmendabimus.

orare pro ſibi commiſſis, & etiam pro omnibus qui aliqua ſibi impenderent beneficia, dominus blandè ſe inclinans ad eam, & quaſi pallio ſuo eam contegens, ſecretum animæ eius impreſſit oſculum. Per quod illa ſtatim recognouit, ſe præcedenti die côtraxiſſe aliquam maculam ex hoc; quòd humano affectu acceptauerat quoddam beneficium á quadam perſona ſibi impenſum. Et dixit ad dominum: Eia cur permittis domine, vt aliquis reſpiciat me aut reuereatur vt ſanctam, cùm tu dominus omnium in terris voluiſti eſſe nouiſsimus virorum, & tibi ſit ſummè laudabile quòd electi tui deſpecti & vilipenſi habeantur in hoc mundo, quia eo magis coæquantur tibi in gloria, quo contemptibiliores æſtimantur in terra? Reſpondit dominus: Verbum meum eſt per prophetam: Iubilate Deo omnis terra. Et infra: Date gloriam laudi eius. Permitto ergo, vt nonnulli in ſpiritu ſublimius de te ſentientes tibi dulciter afficiantur, teque benignius reſpiciant, vt illos per hoc ſanctificem & gratiæ meæ coaptem, necnon mihi magis gratos efficiam. Ad quod illa: Domine, quid de me fiet, ſi illos per hoc ſanctificas, per quod ego defectum contraho: Reſpondit dominus: Ego aureum ornatum tuum, id

eſt,

eſt,gratiam,quam in te poſui,delector fuſco nitentique colore vermiculare. Vnde per hoc verbum (fuſco)intellexit ſignari, quod cum homo aliqua ſibi impenſa beneficia recolit,ſe humano affectu acceptaſſe, & inde dolens humiliatur, per talem humilitatem tanto magis placet Deo:ſicut niger color euidentius aurum diſtinguit.Per hoc autem quod dominus ait(ac nitenti colore)recognouit, quod gratitudo illa, qua quis acceptat beneficia tam à Deo q̃ ab hominibus propter Deum ſibi impenſa, magis habilitat animam ad quælibet dona Dei ſuſcipienda & conſeruanda.

Quomodo pro alijs orandum. Et ſalutatio domini aſcendentis.

CAPVT XXXVI.

Feria ſecunda ante Aſcenſionem, dum ea qua dictum eſt, deuotione intenderet exponere domino defectum omnium peccatorum mundi,& ante matutinas iterum in charitate prædictam accedens in firmam,ſupra vires ſuas eidem miniſtraret,obtulit etiam hoc domino in laudem æternã pro emendatione omniũ peccatorũ que in vniuerſo mũdo cõtra ipſius diuinã fiunt voluntatem.Quod cum faceret, videba- *Modus offerẽdi opera noſtra Deo.*

debatur ſibi quod infinitam quãdam multitudinem diuerſi ſexus velut fune quodã aureo (per quem figurabatur charitas) circumcingeret, ac perduceret ad dominum. Vnde miſericors & pius dominns mira blanditate ſerenatus, hoc ab ea multum acceptabat: ad ſimilitudinẽ, ſicut rex aliquis acceptaret à dilecto principe ſuo, ſi omnes aduerſarios ſuos captiuos adduceret ad pacem faciendam, ac pro placito ſuo deinceps eidem famulandum. ¶ Feria quoq; tertia, dum ſub miſſa ſimili modo exponeret domino defectum & imperfectionem omnium iuſtorum, orans, vt eos dignaretur ſibi placitiſsimo modo perficere in omni ſanctitate, dominus extenſa manu ſua, ſigno victorioſæ crucis omnes pariter conſignans, benedixit. Ex cui⁹ ſalutifera benedictione ros quidam ſuauiſsimus reſpergebatur in corda omnium iuſtorum, vnde omnes reflorere videbantur: quemadmodum roſæ & flores vigent ad ſolis ſplendorem. ¶ Feria deinde quarta, cum iterum eodem modo ad eleuationem hoſtiæ dominum exoraret pro animabus omnium fidelium defunctorum, vt earum miſerias etiam per gaudium ſuæ iucundæ aſcenſionis dignaretur releuare: viſus eſt dominus demittere quaſi virgam quandam auream in me-

medium purgatorij, habentem tot vncos quot affectus dirigebantur ad Deum pro animabus. Et per quemlibet vncum extra hebantur aliquæ animæ de locis pœnarũ ad amœna parata quietis. Vnde per hoc intellexit, quod quandocunque fit oratio cõmunis pro animabus in charitate: tunc maxima pars illarum liberatur, quæ viuentes in carne magis exercitauerant ſe in operibus charitatis. ¶ Hinc cum vice omniũ membrorum ſuorum ſalutãdo dominum legeret ccxxv. vicibus hunc verſiculũ (aue Ieſu ſponſe floride in iubilo, quo aſcendiſti ſaluto & collaudo te) videbatur quod quilibet verſiculus præſentaretur domino in ſpecie cuiuſdam ſuauiter ſonantis inſtrumenti muſici, quod delectabat dominum & collaudabat ac ludebat coram eo: quemadmodum hiſtriones in conuiuijs nobilium ludere ſolent. Quod & dominus oſtendit multum benigne acceptare. Recognouit etiam illos verſiculos, quos cum deuota legerat intentione, ſuauiſonos domino reddere concentus. Illos vero quos legerat incurate, mœſtiores & ſubmiſsiores voces perſonabant..

In feſto Aſcenſionis. De reſignatione voluntatis. Et de fructu feſtum iſtud deuote celebrantium.

CAPVT. XXXVII.

DIe autem ſolemni preiucundæ Aſcenſionis, dum manc tota intentione ſua in hoc laboraret, vt ſcilicet domino in hora Aſcenſionis ſuæ, videlicet in meridie, ſuauiſsimo modo blandiretur, dominus ſubintulit. Quicquid blanditatis mihi volueris in hora præcelſæ aſcenſionis meæ exhibere: hoc totum mihi iam exhibe, quia iucundiſsima gaudia Aſcenſionis meæ mihi per hoc renouantur, quod ad te venturus ſum per viuificum altaris ſacramentum. Tunc illa: Eia doce me amator meus vnice qualiter tibi laudabilem peragere poſsim ꝓceſsionem ob reuerentiã celeberrimæ ꝓceſsionis illiꝰ, qua tu ad patrẽ iturꝰ diſcipulos tuos eduxiſti foras in Bethaniã. Reſpõdit dominus. Cũ Bethania interprætetur domus obedientiæ, ille per omnia placitiſſimam mihi ac laudabiliſsimã celebrat proceſsionẽ (que me ducit ad intima ſua) qui offert mihi integrã voluntatẽ ſuã, reuoluẽſque ea diligentius, in quibꝰ magis ꝓpriã q̃ meã diuina pfecit volũtatẽ, dolet & digne pœ-

De reſignatione volũtatis.

pœnitet, pponens deinceps in omnibus meã requirere, deſiderare, ac perficere voluntatem. ¶ Cumq; deferretur ei cõmunicaturæ corpus dominicũ, ait ad eã dominus. Ecce ad te nũc ſpõſam meã venio, nõ ſolum quaſi tibi valedicturus: imo etiã te iã mecũ aſſumpturus, ac Deo patri meo præſentaturus. In quibus verbis intellexit, qđ dominus per ſacramentum corporis & ſanguinis ſui veniens ad animam, deſiderium & bonam voluntatem eius ſibi intrahit vnde ſicut cera impreſſã ſigillo eius imaginẽ in ſe repſentat. Sic ipſe ſimilitudinẽ animæ in ſe Deo patri repræſentat, eumque pro illo placansobtinet beneficia gratiarum. ¶ Tunc obtulit domino ſuas & etiam quarundam aliarum perſonarum oratiuuculas quas perſoluerant filio Dei, quaſi pro diuerſis ornamentis ſuper vulnera & membra ſua ſanctiſsima, quibus præfulgeret in gloriam ſuæ præcellentiſsimæ aſcenſionis. Tunc apparuit dominus Ieſus, velut his omnibus decentiſsime perornatus, aſtans conſpectui, Dei patris. Dominus autem pater cœleſtis videbatur cum omnipotenti virtute diuinitatis ſuæ intrahere ſibi omnem, ornatum illum vnigeniti ſui ex bona voluutate electorum ſibi oblatum, ac de ipſo, remitte-

re-

re quendam ſplendorem mirificum ad ſe-des gloriæ his, quæ eaſdem orationes perſoluerant, ab æterno præparatas, ex quo (cum poſt hoc exilium peruenirent ad regnum) magnifice glorificarentur. ¶ Hora vero nona cum intenderet domino, tanquam ea hora cum gloria cœlos aſcenſuro apparuit iterum dominus Ieſus præ natis hominum forma ſpecioſus, amictus tunica viridi & pallio roſeo. Et notabatur, per tunicam viridem omnium virtutum viror, quarum ſumma perfectio in ſanctiſsima humanitate Chriſti floruit. Per pallium vero roſeum figurabatur amor ille fortiſsimus, qui dominum inſtigauerat, vt tam immania pro nobis pateretur, quaſi nullum habuiſſet ius ad regnum, quam quod per patientiam paſsionis obtinuiſſet. His indumẽtis inſignitus rex gloriæ dominus virtutũ concomitante ſe infinita multitudine angelorum, proceſsit per chorum & quamlibet perſonam de congregatione, que ipſo die communionem acceperat, dextro brachio ſuo ſancto blande circumplectens, ori cuiuslibet oſculum prædulce impreſsit cum his verbis: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. ¶ Quibuſdam vero perſonis videbatur etiam annulum porrigere aureum gemma precioſiſsima.

ma inſignitum,dicens.Non relinquã vos orphanos,veniam ad vos.Quod iſta vidẽs & admirans,dixit ad dominum.Et quid amantiſsime Deus iſtæ præ cæteris meruerunt,quas in ſignum ſpecialis amicitiæ annullis ſubarraſti;Reſpondit dominus.Iſtæ, inquam;inter prandendum memoriam deuotam habuerunt illius dignationis, qua ego aſcenſurus cũ diſcipulis edebã & bibebã.Vnde quot bucellas quælibet carũ comodit cũ memoria illius verſiculi(Virtus tui diuini amoris me totam tibi benigniſſime Ieſu incorporet)tot virtutibus viget gemma annuli ſui. Cum vero cantaretur Antiphona(Eleuatis manibus)virtute ſua diuina ſubleuatus dominus, concomitãte ſe multitudine angelorum reuerenter ſibi miniſtrantium,quaſi in aere deſurſum ſigno crucis communem conuentum benedixit,dicens.Pacẽ meã do vobis,pacem relinquo vobis.Quo intellexit,ꝙ per illam benedictionẽ dominus tã efficaciter cordibꝰ omnium ſpeciali deuotione diem Aſcenſionis celebrantium pacem ſuam diuinam infudiſſet,quod nunquam deinceps deberent perturbationibus adeo diſtrahi, quin ſemper veſtigium pacis illius in cordibus eorum latere deberet:quemadmodum ſcintilla ignis ſubcinere latet.

Præ.

oraret pro concordia charitatis, dominus virtute illa velut quodã opertorio cætera dona ſpiritusſancti conſeruanda in anima eius contegens, firmiter communiuit. Cũque ipſa iterũ timeret ſe hoc opertoriũ cõcordiæ amiſſuram per duriores contradictiones aliquarum contra religionem ſentientium, dominus Reſpondit. Virtus concordiæ non diſtrahitur, quãdo homo reſiſtit iniuſtitiæ. Imo ego meipſum impono ſciſſuris cordis zelo mei diſtracti, atque tutius in eo obfirmo & conſeruo inhabitationem & operationes ſpiritus mei diuini. Intellexitque, quod quicunque deuote oraret prædictis virtutibus ad ſuſceptionem ſpiritusſancti ſe à domino preparari, & in ipſis proficere ſtuderet, ſimilem certe conſequeretur effectum.

Concordia nõ læditur per iuſtam correptionem

In feſto mellifluo Pentecoſtes. Quomodo anima tota mundatur & renouatur per ſpiritum ſanctum & eius dona. Et quomodo opera noſtra commendemus domino Ieſu.

CAPUT XXXIX.

IN vigilia ſacroſancta, dum ſub officio diuino deuotius oraret ſe preparari ad aduentum ſpiritusſancti, audiuit in ſpiritu do-

dominum ſuauiſsima blanditate ſibi dicẽ-
tem. Accipietis virtutem ſuperuenientis
ſpiritusſancti in vos. Ex quibus verbis do-
mini dñ mirã ſentiret ſuauitatẽ cœpit quo-
que ſuã cum deiectione retractare indigni
tatẽ. Vnde videbatur ſibi ꝙ recordatione
indignitatis ſuæ faceret quaſi fundũ quen-
dam in corde ſuo, tanto profundiorem quã
to ſe reputabat viliorẽ. Hinc de corde mel-
lifluo Dei diſtillabat vnà quedem puriſsi-
ma in ſimilitudine faui mellis, quæ paulla-
tim fundum cordis eius inſtillans vſque ad
ſummum replebat. Per quod perſenſit de-
ſignari ſuauitatem ſpiritus paracleti, qui
per cor filij Dei ſuauiter influit corda ele-
ctorum. Tunc filius Dei manu ſua Deifi-
cata repletionem fundi illius benedixit
ad ſimilitudinem fontis baptiſmi: vt quan-
documque anima illum intraret, ab omni
macula purificata ſibi redderetur accepta.
Hac ſalubri benedictionis gratia, dum ſe
gauderet donatam, dixit ad dominum. Ec-
ce domine mi ego indigna peccatrix, fate-
or cum dolore, heu, ex humana fragilitate
me contra tuam diuinam omnipotentiam
multipliciter deliquiſſe, ac contra tuam di
uinam ſapientiam per ignorantiam diuerſi
mode peccaſſe, necnon tuam inæſtimabilẽ
benignitatem me multis modis malitioſe
irr-

irritaſſe. Ergo pater miſericordiarũ miſerere mei, & da mihi de tua omnipotentia vires reſiſtendi omnibus quę tibi ſunt contraria: & de tua inſcrutabili ſapiẽtia da mihi cautè præuenire omnia, quæ oculos tuæ puritatis in me offendere poſſent. Atq; ex ſuperabundantia pietatis tuæ concede mihi tã ſtabili fidelitate tibi adhætere, vt nunquam vel in minimo à tua volũtate diſcordem. Et cùm hæc verba diceret, videbatur per eadem fundo illi velut regeneranda immerſa. Indeq; poſt morã rediens, apparuit ab omni macula peccati ſuper niuẽ cãdidata. Sicq; conſpectui diuinæ maieſtatis aſſiſtens, commendabat ſe omnium ſanctorũ patrocinijs: ſicut baptizati ſolent commendari patrinis, deſiderans & exorans omnes pro ſe orare. Tunc omnes ſancti cum gaudio ſurgẽtes obtulerũt domino merita ſua in ſuppletionem omnium negligentiarum eius ac indigentiarũ. Ex quibus cùm mirabiliter fuiſſet decorata, dominus blandè aſſumens eam, ſtatuit ita directè coram ſe, quòd diuinus afflatus ipſius animã ſuauiter aſpirabat, ac vniuerſa efficaciter intrahebat ſibi flatũ, id eſt, voluntatẽ animæ. Et ait dominus ad eam: Hæ ſunt delitiæ meæ, in quibus eſſe delector cum filijs hominũ. Per flatũ enim animæ notabatur voluntas

Virtus huius orationis.

eius bona. Per afflatū verò domini dignatio diuinæ pietatis, qua dignatur bonā voluntatē animę acceptare. Sicq; anima inter amplexus domini ſuauiter repauſans, velut in quadā expectatione debebat ad ſuſceptionē ſpirituſſancti decētius preparari. ¶ Cū verò per orat ões ſpeciales obtinere ſtuderet à domino vij. dona ſpirituſſancti, & oraret primò pro dono timoris, quo retraheretur ab omnibus malis, apparuit ilico dominus quaſi in medio cordis ſui ſtatuere arborem quandā elegātis ſtaturę, quæ dilatās ramos ſuos totum habitaculū cordis ipſius contegere videbatur. Habebatq; quoſdam aculeos deflexos, de quibus flores pulcherrimi procedebant ſurſum erecti. Vnde per arborem illam intellexit, ſignificari timorem domini ſanctum, qui quaſi quibuſdam aculeis compungit animam, & retrahit ab omnibus malis. Per flores verò voluntatē illam, qua homo deſiderat per timorem domini cōtra omnē peccatū ꝑmuniri. Cumq; homo ſic per timorē domini aliquod bonū opus perficit ſiue mala dimittit· tunc arbor illa fructus pulcherrimos producit. Similiter cùm pro ſingulis donis dominum deuotius exoraret, apparuerunt ſingula dona in ſpecie venuſtarum arborum florentia ſingulos fructus ſecundum ſuas virtutes producere.

De 7. donis Spirituſſancti.

Timor domini.

ducere. De arboribus enim ſcientiæ & pietatis videbatur velut ros quidam diſtillare. Quo intellexit, quòd hi qui ſtudent in virtutibus ſcientiæ & pietatis, quaſi rore quodam ſuauiſſimo reſperſi florent & vigent. De arboribus conſilij & fortitudinis viſi ſunt funiculi quidam aurei dependere Quo figurabatur, quòd per ſpiritum conſilij & fortitudinis anima trahitur ad ſpiritualia capienda. De arboribus quoq; ſapientiæ & intellectus riuuli quidam nectare fluebant, ſignantes quòd per ſpiritum ſapientiæ & intellectus animam efficaciter influit & ſuauiter ſatiat diuinæ fruitionis dulcedo. ¶ In nocte verò ſancta, dum ad matutinas tantam ſentiret debilitatem, quòd illis diutius intereſſe non poſſet, dixit ad dominum: Et quid tu domine mi, poteris ex eo habere gloriæ & laudis, quòd ego indigna diuinis officijs tam parua interſum mora? Reſpondit dominus: Ecce vt per exteriorum ſimilitudinem ducâris ad intellectum ſpiritualem, perpende quid ſponſus conſequatur ex hoc, quòd ſponſæ ſuæ blanditur pro delectamento cordis ſui. Sed ſponſus nunquam tantum affectum habere potuit in ſponſæ ſuæ blanditijs, quantum ego habeo in quãtauis breui hora, qua electi mei pura mihi præbẽt corda ad dele-

Spiritus ſcientiæ & pietatis.

Spiritus conſilij & fortitudinis.

Spiritus ſapientiæ & intellectus.

ctandum in eis. Cùm verò accederet ad communionem, videbatur dominus veluti de omnibus mẽbris ſuis ſanctiſſimis ſuauiſſimo ſpiramine animã eius refocillare, vnde mirabilem & ineffabilem quandã ſenſit delectationem. Quam recognouit ſe per hoc meruiſſe, quòd ſtudioſe orauerat pro donis ſpiritusſancti. ¶ Hinc communicata obtulit Deo patri totam ſanctiſſimam *Pia oblatio.* Ieſu Chriſti conuerſationem pro ſuppletione, quòd ab hora qua in baptiſmo renata ſpiritumſanctum ſuſcepit nunquam digniſſimo hoſpiti illi condignam in corde & anima ſua exhibuerat manſionẽ. Ad quam oblationem ſuauiſſimus ſpiritus prouocatus, quaſi inſtar aquilæ celerrimo quodam impetu aduolauit in ſpecie columbæ ſuper viuificum ſacramentum: & requirens cor Ieſu dulciſſimum, illudque ingreſſus ſe manſione ipſius pectoris ſanctiſſimi optimè contentum demonſtrauit. ¶ Cùm verò ad tertiam cantaretur Hymnus (Veni creator ſpiritus) apparuit ei dominus Ieſus tanquam ambobus manibus aperiens verſus eam cor ſuum omni dulcedine plenum. Tunc ipſa flexis genibus cecidit in ſuam faciem, ita quòd caput in medio cordis do- *Voluntas, anima caput.* mini reclinabat. Dominus verò caput eius ſuſcipiens, ſibiq; applicans, per hoc voluntatem

tatem ipſius (quæ caput animæ dicitur) ſibi vniuit & in ſeipſo ſanctificauit. Hinc per ſecundum verſum (Qui paracletus diceris) ipſa edocta à domino manus animæ, id eſt, opera cordi diuino immittens, obtinuit diuinæ conſolationis ſubſidiū in omnibus operibus ſuis, ita vt ipſa vniuerſa eſſent domino perfectiſſimo modū deinceps placitura. Poſt hæc ad tertium verſum (Tu ſepti formis gratia) ipſa pedes animæ, id eſt, deſideria ſua ſimiliter cordi imponens, promeruit omnium deſideriorum ſuorum ſanctificationem. Deinde per quartum verſum (Accende lumen ſenſibus) ſenſus ſuos domino commendans, hoc acepit in promiſſis, quod ſenſus ſui ſic deberent illuminari, quod etiam alij per eam eſſent illuminandi in cognitione & ſuccendendi in amore Dei. Ad quartum autem verſum (Hoſtem repellas) dominus acclinans ſe blandiſſimè ad animam, oſculum perſuaue ipſi indulſit: Per quod quaſi quodam firmiſſimo ſcuto omnes inſidias inimici ab ea potenter propulſauit. In his autem tantam ſuauitatem perſenſit in anima, quòd liquidè intellexit hoc eſſe, de quo nòn immeritò præcedenti die prædictū erat ſibi illud: Accipietis virtutem ſuperuenietis ſpiritus ſancti in vos.

Opera, manus animæ.

Deſideria, pedum animæ.

De ſuppletione ſpiritualis habitus, & exercitio ad Agnus Dei.

CAPVT XL.

FEria ſecunda, dum ad eleuationem hoſtiæ offerret eandem pro ſuppletione omnium quæ vnquam in habitu ſpirituali non ſequendo aut etiam extinguendo tractum ſpiritus neglexit, videbatur eadē hoſtia ſalutaris, ramos pulcherrimos ex omni parte ſui producere, quos Spiritusſanctus colligens cum ipſis ſepire videbatur thronum ſemper venerādę Trinitatis. Vnde per hoc, quòd hoſtia ramos emittebat, intellexit ſignari, quòd omnis negligentia ipſius per dignitatem ſacramenti pleniſſimè foret ſuppleta. Et ecce facta eſt vox de throno, dicens: Confidenter accedat ad thalamum vnionis, quæ ſponſum paſcere facit per hos flores amœnitatis. In quibus verbis intellexit, quòd dominus per oblationem illius ſacramenti dignabatur eam reſuſcipere, vt perfectā in habitu ſpirituali. ¶ Hinc dum more ſibi ſolito ad primum Agnus Dei oraret pro tota Eccleſia, vt dominus eam in omnibus paternè gubernaret: & ad ſecundum Agnus Dei peteret pro animabus omnium fideliū defunctorū, vt dominus eas miſericorditer à pœnis releuaret: ac per tertium

Dignitas ſacramenti Eucharistiæ ſupplet negligentias noſtras.

Pium exercitiū ad Agnus Dei.

tium Agnus Dei deſideraret, vt dominus merita omniũ ſanctorum & electorũ iam ſibi conregnantiũ in cęlis adaugeret: dominus in verbo illo (dona nobis pacẽ) blandè illi acclinatus, oſculũ animę eius efficax impreſſit, quòd oẽs ſancti efficacia illius dulcedinis medullitus affecti & dulciter penetrati, ex ea omniũ gaudiorum & meritorũ ſuorum grandè ſumpſerunt augmentum. ¶ Deinde cùm procederet ad communionem, oẽs ſancti cum gaudio ipſi aſſurgebãt: quorum omniũ merita de fulgore diuinæ claritatis irradiata mirificè refulſerũt (quẽadmodum clypei aurei à ſolari radio illuſtrati refulgent, & ex illo ſplendore ſingulorum ſanctorum merita amœnam reſplendentiam reddebant in animam eius. Cumque ſic aſſiſteret domino velut in quadam expectatione, & necdum amitteretur familiari eius frui vnione, tandem cùm percepiſſet viuificum ſacramẽtum, anima ipſius plena fruitione (quantum poſſibile eſt in vita) ſuo amatori eſt vnita. Sicque rami prædicti, quibus ſpirituſſanctus circumſepſerat thronum beatiſſimæ Trinitatis, repente cœperunt reuirere ac florere: ſicut herba marcida refloret ad inundationem pluuiæ ſalutaris. Et ex hoc ſancta ſemperque tranquilla Trinitas ineffa-

bili modo delectata in omnibus ſanctis nouæ iucunditatis miniſtrabat gaudia.

Spiritusſanctus per ſacram communionem vnit ſecum animam bonæ voluntatis.

CAPVT XLI.

FEria deinde tertia, dũ hoſtia dominici corporis dño offerret pro ſuppletione, quod ſpeciali gratia vnionis ac familiaritatis (qua eam dominus præ multis alijs ſuauius in ſpiritu ſibi attraxerat) nunquã debita gratitudine vſa fuiſſet (nec ſe ad vacandum & intendendum illi ſicut dignum fuiſſet, ab omnibus exterioribus exoccupaſſet: & hoc faceret ea fidelitate, vt ipſa deſideraret in ſe ſemper pœnam negligentiarũ ſuarum perferre, quo tantummodò ſuppleret domino, quicquid ſibi ſubtraxiſſet condecentis gloriæ & honoris, per negligentias ſuas: benignus dominus (qui bonam voluntatem acceptat pro facto) videbatur per hoſtiam illam perfectiſſimo modo implere omne deſiderium ipſius. Hinc benigniſſimus ſpiritus recolligens in ſe omnem perfectionem illam, ſeipſum cum illa demiſit ad animam, ſeq; per eandem hoſtiã dum cõmunicaret, animæ illi beatæ veluti quo-

quodam tenaciſſimo glutino feliciſſima vnione inſeparabiliter conglutinauit.

In feſto glorioſæ Trinitatis. De modo ſanctiſſimam Trinitatem per cor Ieſu deuotè laudandi. Et de humani affectus impedimento.

CAPVT XLII.

CElebri feſto fulgidæ ſemperque tranquillæ Trinitatis, dum ob reuerētiam ipſius legiſſet hunc verſiculum (Gloria tibi imperialis, excellentiſſima, glorioſiſsima, nobiliſsima, dulciſsima, benigniſsima, ſemperque tranquilla & ineffabilis Trinitas, æqualis vna Deitas, & ante omnia ſecula, & nunc & in perpetuum) & hoc offerret domino, apparuit filius Dei in humanitate (in qua minor dicitur eſſe patre) ſtās in conſpectu Trinitatis venerandæ in florentiſſimæ iuuentutis grata vernantia, ſuper quolibet membro habens florem tantæ venuſtatis ac ſplendoris, quòd nulli viſibili materiei poterat cōparari. Per quod notabatur, quòd cùm humana paruitas noſtra nequaquam ſupereſſentialem laudem excellentiſsimæ Trinitatis poſsit vel attingere, Chriſtus Ieſus in humanitate ſua exiguum noſtrum ſuſcipit ſtudium: & hoc in

ſe nobilitādo dignum efficit holocauſtum ſummę & indiuiduæ Trinitati. Cùm verò inchoarent veſperę, filius Dei cor ſuum benigniſſimum & dignisſimum offerens in ſpecie cuiuſdam citharæ, conſpectui glorioſæ Trinitatis præſentabat. Perquod omnis deuotio & omnia verba quæ cantabantur per totum feſtum illud, ſuauiter coram Deo reſonabāt. Illorum autem cantus, qui ſine ſpeciali deuotione duntaxat ex vſu vel humana delectatione pſallebant, tanquam ſpiſſæ chordæ graui ſono ſubmurmurabant. Sed qui cum deuotione venerandam Trinitatem laudare intendebant, hi per cor Ieſu Chriſti ſanctisſimum velut in acutis altiſona modulatiōne ac ſuauisſimo clangore perſonabant melos. Hinc dum cantaretur Antiph. (Oſculetur me) facta eſt vox de throno, dicens: Accedat filius meus dilectus, in quo mihi per omnia optimè complacui, & delitioſitati meæ perſuauisſimum præbeat oſculum. Tunc filius Dei procedens in humana forma, præbuit ſuauisſimum oſculum incompræhenſibili diuinitati, cui fœdere inſeparabilis vnionis ſola eius humanitas ſanctisſima, feliciſſimè meruit copulari. Poſt hæc filius Dei blandisſimè ad matrem ſuam virgineam (in cuius honore eadem cantabatur Antiph.)

Fructus deuotè pſallentiū.

tiph.) dixit: Accede & tu mater mea dulciſsima, & ſume oſculum à me perſuaue. Cumque ſereniſsima blanditate matri ſuæ beatiſsimæ oſculum ſuauiſsimum dominus Ieſus impreſsiſſet: videbatur ilico virgo glorioſa in ſingulis ſuis membris mirabiliter exornata eorundem florum venuſtate, quibus dominus dignatus eſt ex orationibus ſibi oblatis apparere decoratus. Et hanc dignitatem filius Dei contulit matri ſuæ pro eo, quod ex ipſa ſumpſerat humanæ naturæ formam, cuius membra ſanctiſſima noſtrarum deuotionum & orationum licet exiguarum oblatione apparebant decorata. Intellexit etiã, quod quoties in feſto illo nominabatur perſona filij, toties Deus pater ineffabili & ineſtimabili modo ipſi filio ſuo amãtiſſimo blandiebatur. Et ex illa blãditate humanitas Ieſu Chriſti miro modo clarificabatur, & ex illa clarificatione humanitatis Chriſti omnes ſancti percipiebant nouam cognitionem incompræhenſibilis Trinitatis. ¶ In matutinis vero dum ad laudes cantaretur Antiph. (Te iure laudant) & iſta ex totis viribus per eandẽ Antiph. collaudaret ſemper venerandam Trinitatem, ea intentione, vt ſi poſsibile eſſet, quod in agone ſuo tanta deuotione ipſam Antipho. decantare poſſet, qua omnes vi-

res ſuas conſumendo in laude Dei vitam amitteret, hoc libentiſsimè perficeret: videbatur tota fulgida ſemperq; tranquilla Trinitas benigniſsima dignatione ad cor Ieſu digniſsimum (quod in modum citharæ in conſpectu ſanctiſſimæ Trinitatis mirabiliter tangebatur ac dulciter reſonabat) inclināri: & in eo nectere tres chordas, quæ ſine intermiſſione ſecundum inſuperabilem Dei patris omnipotentiam ac filij Dei ſapientiam, necnon ſpiritusſancti beneuolentiam omnem ipſius defectum ad plenū beatiſsimæ Trinitati perſoluere deberent. ¶ Cumque totas matutinas deuota intentione perſoluiſſet, ſecum pertractare cœpit, ne fortè per aliquam negligentiam aut culpam demeruiſſet, quòd tam excellentes nó ſuſcepiſſet illuminationes intellectus, quales ſolita erat ſuſcipere, ex illis quibus ſimili deuotione intendere conſueuit. Vnde diuinitus edocta eſt his verbis: Quamuis iuſtitia librante interna ſuauitate ſpiritualis intellectus carueris pro eo quòd propriæ voluntati conſentiens in modulatione ſonori cantus es humanè delectata: tamen ſcias tibi meritum futuræ retributionis adauctum ex eo, quod in ſeruitio meo laborem commodo prætuliſti. Eas autem, quas ante & poſt hæc in hoc præclaro ſibique

Humani affectus impedimentum.

ſpe-

ſpecialiter gratiſſimo feſto à diuina largitate accepit gratias & reuelationes ſpirituales (cùm deſint verba, quibus ad humanũ intellectum poſſint proferri) ideo pro eis ſicut & pro cæteris ſoli Deo notis ſit datori omnis laus & gratiarumactio illa, quæ ſpecialiter in eccleſiarum officijs iſto die Deo replicatur.

In feſto S. Ioannis Baptiſtæ. De eius gloria pro ſua bona voluntate. Et de eius interceſsione.

CAPVT XLIII.

DIe ſancti Ioannis Baptiſtæ, dum iſta deuotius quo potuit, intenderet matutinali officio, apparuit eidem beatus Iones, aſtans in conſpectu throni gloriæ regis cælorum miro modo amabilis in flore vernantiſſimæ iuuentutis glorioſæ præfulgens ſpecialium priuilegiorum dignitate, videlicet, quòd dignus fuit eſſe baptiſta Chriſti, & præcurſor atque demonſtrator, &c. Cumque ipſum conſiderando recoleret, quòd valdè diſſimili forma pictura eũ oſtenderet, quia ſenex & deſpicabilis vbique pingeretur: beatus Ioannes eam docuit, quòd hoc ipſum culmen gloriæ ſuæ non deſinit augmentare. Nam Deo diſponente idcirco eum pictura prouectæ ætatis *Cur Ioan. Baptiſta pingatur prouectæ ætatis.*

oſtendit, quia conſtantē animum habebat pro diuino amore vſq; in ſenectā & ſeniū, ac conſumptionē omnium viriū ſenſuumque ſuorum fideliter in omnibus cōtra omnem iniuſtitiam decertare, & in omni vita ſua ad ſummam perfectionem tendere. Vnde quia in tali voluntate ſimul & opere vitam ſuam finiuit, talibus præmijs remuneratur. Cùm vero iſta perquireret, ſi etiā meritum ipſius ex eo adauctum eſſet, quod iuſtos & honeſtos parētes habuit, ille reſpondit: Quod iuſtos parentes habui, & ideo magis nutritus ſum ad iuſtitiam, hoc me ſublimat ad ſimilitudinem throni qui columnis artificioſe compoſitis ſublimatur. Quod autem honeſti erant ſecundum ſeculum aut pulchri vel diuites, aut nobiles, inde nō plus exaltor, niſi quantū ego ea vilipendēdo me ad cęleſtia erexi. Ex hoc enim tanto maiorē gloriam cōſequor, quanto miles cùm victoria rediens de prœlio, tāto magis gaudet, quanto plures inimicorum laqueos ſe cognoſcit euaſiſſe. ¶ Ad miſſam vero, dum Conuentus communicaret, apparuit iterum beatus Ioan. Baptiſta, roſeis veſtibus valdè compoſitus: quæ tot aureis agniculis erant exornatæ, quot perſonæ in tota eccleſia in memoriā natalis ſui corpus dominicum ſuſceperunt. Videbatur etiam idem

Meritum bonæ voluntatis in Ioāne Bap.

Parentum virtutes quid filijs conferāt.

De interceſſione S. Ioan.

idem baptiſta orare pro omnibus qui vene rationi eius intererant, & hoc obtinere vt ſuo interuentu daretur ipſis illud meritum quod ipſe præcurſor illo fideli labore acquiſierat, quod ſuper ſtudioſe curabat ad Deum conuertere corda populorum.

De ſancto Leone papa. Modus vincendi tentienes & vſurpandi aliorum merita.

CAPVT XLIV.

SAncti Leonis papæ feſtum dum eueniſſet in dominica, & iſta orationi deuoti⁹ inſiſtens, conſpiceret eundem venerabilē antiſtitem in valde mirabili gloria: memor quod idem legitur ſibi manum propriam abſcidiſſet pro deuincenda tentatione, col laudabat intentius dominum pro conſtanti victoria, qua ipſum tam glorioſe fecit triumphare: orans, vt per ipſius merita donare dignaretur cuidam perſonæ, vt in omnibus tentationibus, Deo laudabiliter ſibiq; vtiliter poſſet triumphare. Tunc edocta eſt à ſancto Leone papa, vt inſtrueret illam perſonam (pro qua orabat) quod quandocunque accedere debet ad aliquē locū vel opus, in quo ſuſpicatur occaſionē tentationis, ſemp dicat verſum (fiat domino cor meum *Modus vincē- di tētationes.*

meum & corpus meum immaculatum) & poſt perfectum opus, collaudet dominum pro his à quibus eum cuſtodiuit. Quia nullus homo adeo grauiter cadit, quin grauius & periculoſius cecidiſſet, ſi ipſum miſericordia Dei non cuſtodiſſet. Porro quamcito ſenſerit ſe aliquam contraxiſſe culpā, pro illius emendatione offerre debet Deo patri innocentiſsimam Ieſu Chriſti paſsionem & mortem. Adiungens, quod ſi hoc fecerit, nunquam tamen labi permittetur à Deo quod ex hoc animæ ſuæ incurret damnum. ¶ Hinc dum iſta accederet ad communionem adeſſe ſibi intellexit ſanctum Leonem deuote pro ea domino ſupplicantem vt ipſa per ſuſceptionem eiuſdem ſacramenti mereatur eandem ſuauitatem diuini influxus ſentire, quam ipſe ſanctus papa ſenſit in miſſa illa, cum primo recuperata per virgineam matrem abſciſa manu ſua diuina celebraret myſteria. Cuius precum interuentu, cum dominus abundantiam diuinæ pietatis ſuæ huic dignantius infudiſſet, donauit ei etiam omne meritū, quo idem beatiſsimus papa refulget in cœlis pro tam veneranda victoria ſuæ tentationis ſublimatus. Et hoc propterea benignus perfecit dominus, quia iſta ex humilitate (qua ſpecialius præpollebat) cum ſciret, quia

Oblatio pro emendatione culpæ.

quia virtus non impugnata,in cœlis appa, ret minus glorioſa,ſemper timebat ſe care• re premio caſtitatis,cum ex nimia puritate cordis nullis carnalibus tentationibus à domino permitteretur impugnari. Quod ipſa tamen ſuæ aſcribebat fragilitati,quia æſtimabat dominum idcirco eam à carnalibus tentationibus miſericorditer cuſtodi re,quia preſciret eam adeo fragilem & infi delem,vt ſi ab illis infeſtaretur,potius ſuccumberet quam reſiſteret.Sicque talem de fectum ſuum quem cauſabatur,dominus il li ex meritis huius ſancti ſupplebat. Inſuper addidit ei dominus omne meritum,qđ illa perſona pro qua orauerat, adhuc eſſet adeptura, ſi ſecundum inſtructionem ſuã tentationes viriliter ſuperaret.Vnde & p hoc intellexit,quod quandocũque aliquis regratiatur Deo pro victoria, ſiue pro alio beneficio cuiquam collato,vel inſtruit aliquem vnde proficiat.Ille profecto meritum vtriuſque lucratur. *Vtilitas gratiarum actionis & alienæ inſtructionis.*

In feſto ſanctorum apoſtolorum. Quomodo oues Chriſti in anima noſtra paſcamus,Et de effectu ſacræ communionis.

CAPVT XLV.

Prin-

PRincipum Apoſtolorum Petri & Pauli feſto preclaro, dum ad matutinas cantaretur ſecundum Reſponſ. Si diligis me) iſta requiſiuit à domino quas oues ipſa paſcere poſſet, per quod ſummam dilectionem in opere ſibi demõſtrare valeret. Reſpondit dominus. Paſce mihi quinque agnos tenerrime mihi electos. ſ. cor tuum paſce diuinis meditationibus, os tuum ſalutaribus locutionibus, oculos tuos ſacris lectionibus, aures tuas vtilibus, admonitionibus, manus tuas continuis exercitationibus. Nã quoties horũ vnicuiq; ſtuderis, hoc ſemꝑ ſuſcipiã pro ſumma exhibitione dilectionis. per diuinas meditationes cordis intellexit notari omne, quod cogitari poteſt ad laudem Dei & ꝓpriam proximique ſalutẽ. Similiter de ſalutaribus locutionibus ſentiendũ eſt. Per ſacras vero lectiones, omne ꝙ eſt ſalutiferũ ad videndum, vt imago Chriſti crucifixi, infirmorum indigentia, & exempla iuſtorum. Inter vtiles admonitiones intellexit ſalubrius paſci aures ad placitum domini, quando patienter recipiuntur correptiones. De continua vero exercitatione manuum, dũ cogitaret, ꝙ nõ poſſet ſimul fieri cum lectione, intellexit ꝙ dominus quaſi ꝓ opere acceptat ſtudiũ vel intentionem legendi vel etiam ꝙ liber manibus

nibus tenetur,& ſimilia. ¶ Poſt hæc dum ſub miſſa laudibus extolleret beatum. Petrum pro ſpecialibus ſuis priuilegijs,& inter cætera pro eo quod audiuit à domino. Quodcunque ligaueris,&c. apparuit idem Apoſtolus in papali gloria ſacerdotalibus indutus:& extenſa ſuper eam manu, benedictionem dedit ad perficiendum in anima ipſius omnem ſalutem, quam vnquam preualuit operari in aliqua anima ex poteſtate ſibi in verbo prædicto collata. Cum vero progrederetur ad ſuſceptionem corporis Chriſti,& ſuam indignitatem recolens trepidaret; videbantur accedere prædicti principes, vnus à dextris,& alius à ſiniſtris, quaſi eam cum magna gloria adducentes. Et cũ perueniſſet filius Dei aſſurgens & vtriſque brachijs eam circumplectẽs, dixit. Ecce eiſdem brachijs quibus te ſuſcipio, eiſdem etiam te adduxi:ſed malui hoc perficere per meos apoſtolos, vt deuotio tua inde cumuletur. Tunc iſta reddens ſe culpabilem, quod elapſum à memoria beatum Paulum ſpeciali deuotione non extulerat, orauit dominum, vt ipſe per ſemetipſum ſuam negligentiam dignaretur ſupplere. Poſt ſuſceptionem autem ſacramenti, cum ſe in orationem dediſſet: apparuit ipſa cum domino, tanquam regina cũ

rega-

rege in ſolio ſedens, & ſæpedicti principes coram vtroque genua flectentes, ac ſi milites à domino dominaque ſua premia ſuſciperent. Nam de virtute ſacræ communionis videbatur meritum ſanctorum augmétari. Vnde cum iſta miraretur anne ſufficientia merita habere poſſent apoſtoli, eo qđ ipſi in terris ſæpius idem ſacrificium obtuliſſent: tali eſt edocta ſimilitudine. Quamuis regina ſatis ex hoc habeat honoris, quod regi eſt coniuncta: tamen multum gloriatur & delectatur in filia in feſto nuptiarum ipſius: ſic omnes ſancti congratulanter animæ, quæ ſacramētum altaris ſuſcipit cum deuotione.

De effectu ſacræ communionis.

In feſto S. Margaretæ. De ineffabili gloria ſanctorum pro quolibet modico labore.

CAPVT. XLVI.

VIrginis inclytæ beatiſsimæ Margaretæ feſto dum ſub veſperis iſta intenderet deuotioni: apparuit ei eadem virgo glorioſa tota florens & virens vernantia immarceſcibilis æternitatis, incomparabilibuſque ornamentis gloriæ mirabiliter decorata, ſtans ante thronum diuinæ maieſtatis. Et dum inciperetur Reſpon.

(Virgo

(Virgo veneranda) videbatur rex gloriæ dominus Ieſus ex integerrima puritate ſuę innocentiſsimæ & virgineæ humanitatis emittere ſplendorem quendam clariſsimũ & illo perluſtrare virginale decus beatæ Margaretæ, quaſi ad renouandum & duplicandum in anima eius meritum castæ virginitatis: ad ſimilitudinē, ſicut pictor imaginem pulchre ornatam fernifio liniens, facit eam amplius nitere. In illo verbo (In magna ſtans conſtantia) filius Dei in augmentum gloriæ cumulumque meritorum paſsionis ſponſæ ſuæ iterum emiſit ſplendorem quendam mirificum incomparabili gloria ſuæ innocentiſsimæ & amariſsimæ paſsionis in animam eiuſdem virginis ex quo ineffabiliter decorabatur. Deinde dum in hymno cantaretur (Sponſiſq; reddens premia) dominus quaſi blandiendo alloquens ſponſam ſuam beatam Margaretam dixit. Nunquid, o filia, non ſatis ſufficienter adauxit tibi premia meritorum, quia modo admoneor de præmijs? Sicque amicabiliter illi blandiens, dominus intraxit ſibi deuotionem omnium per vniuerſum mundum feſtum beatæ Margaretæ colentium, & ex illa ipſam beatam Margaretam glorioſam virginem & inæſtimabilibus premijs meritorum honorifice ſublimauit.

mauit. ¶ Hinc beata Margareta conuerſa ad iſtam dixit. Gaude & lætare ſpecialis electa domini mei, quia certe poſt modicum tempus (quo in hoc ſeculo diuerſis infirmitatibus & aduerſitatibus grauaris) in æterna gloria perpetuo lætaberis, vbi pro ſingulis momentis grauaminum corporeorum remetientur millies mille anni cœleſtium conſolationum à ſponſo & amatore tuo, quia omnia quę perfers in corde vel corpore ex ſpeciali tibi immittit amore: vnde ineffabili modo de die in diem, de hora in horam ſanctificeris & eternæ beatitudini magis habilitaris. Perpende, inquit, quia die illo, quo ego hanc (in qua modo exulto) gloriam ſum adepta, nequaquam ita honorabar, vt nunc glorificor ab vniuerſis, ſed potius deſpiciebat & ab omnibus pene miſerabilis reputabar. Et ideo cõfide quia & tu indubitanter poſt huius vitæ felicem terminum iucundis amplexibus ſponſi immortalis ſine fine perfrueris gloria delitioſitatum illarum ſupercœleſtium, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparata, ſunt his, qui diligunt Deum.

De S. Maria Magdalena. De pœnitentia vera, vnguento, bonaque voluntate.

CAPVT XLVII.

AMatricis Chriſti Ieſu beatiſsimæ mariæ Magdalene feſto ſub primis veſperis apparuit dilectrix Chriſti veneranda tota aureis floribus inæſtimabiliter ſplendentibus, gemmiſque precioſis perornata, quot peccatorum maculis quondam fuit deturbata. Stanſque à dextris filij Dei ſplẽdore gloriæ ſuæ totam cœleſtem patriam videbatur mirifice perluſtrare. Dominus autem Ieſus mentum eius amicabiliter tenens, ſuauiſsimis ille blandiebatur verbis. Vnde diuinitus edocta eſt iſta p flores aureos pietatem clementiæ figurari, qua De⁹ ipſi iam miſericorditer peccata dimiſit. Per gemmas autem dignam pœnitententiam, qua gratia Dei cooperante peccatorũ ſuorum maculas abſterſit. Sub matutinis vero, dum verbis & neumis, quæ cantabãtur ad honorem beatæ M. Magdalene, deuotius intenderet ad laudem dei, exorabat ipſam beatam, vt tam pro ſe quam etiam pro ſibi commiſsis intercederet. Ad illa progrediens procidit ad pedes domini, ſuauiter illos deoſculans, & poſtmodum

dum eoſdem manibus ſuis eleuans omnibus per veram pœnitentiam ipſos adire cupientibus meritis ſuis coaptabat.¶ Tūc iſta etiam deuote accedens, eoſdem pedes ſanctiſsimos blandiſsime, deoſculatur, dicens. Ecce nunc amantiſsime domine mi, offero tibi grauamina famularum tuarum mihi commiſſarum, & cum illis abluo pedes tuos beatiſsimos, ad quod dominus. Optime & decentiſsime ex parte illarum pedes meos lauiſti: & nunc dicito illis pro quibus oras, vt & ipſi crinib' ſuis eos detergant, oſculenter & vngentis deliniant. In quibus verbis intellexit, tria, ad que ſtudere debent. Primo vt ſcilicet quaſi crinibus pedes dominicos tergendo diligenter conſiderent & numerent, ſi aliquid in grauaminibus ſuis inueniăt, quod eſſet contra Deum, vel quod eos impediret à Deo: & in hoc intentionem dirigant ad Deum tali modo, quod pro emendatione illorum libenter ſeipſos exponerent ad quæque aduerſa toleranda. Secundo, vt velut pro oſculis eorundem pedum ſanctiſsimorum plene & ſecure confidant de fideliſsima pietate Dei, quod ipſis omnia faciſime demittet de quibus pure pœnituerit. Tertio vt quaſi pro vngentis integra voluntate proponant omnia Deo contraria

Quomodo pedes domini lauădi tergĕdi oſculandi & vngendi.

pro

pro poſſe ſuo libenter pręcauere. Et adiunxit dominus: Si delectat te etiam illud mihi vngentum adhibere, quod eadem deuota mulier alabaſtro legitur ſuper caput meum effudiſſe (vnde & domus impleta eſt ex odore vnguenti) ſcito te amando veritatem illud decentius habituram. Nam qui amans veritatem pro illa defendenda quandoque amicos amittit, vel alia grauamina incurrit, aut laboribus ſe ſponte ingerit: ille reuera fracto alabaſtro vnguentum preciosum capiti meo ſuperfundit, vnde & domus repletur odore bono: quia ipſe efficitur cauſa exempli boni, dum qui alios corrigere ſtudet, ipſe efficitur à vitijs emendatior, adhibendo ſibi maiorem cautelam eorum quæ in alijs corripuit. Sicque fit odor bonus in omni loco, dum & ſe emendat, & alios ſuo exemplo ædificat. Si verò amans veritatem, pro illa defendenda in aliquibus delinquit, durioribus verbis zelo impellente aliquos corripiendo, aut alio quocunque modo, ſiue negligentius, ſiue diſtrictius agendo: hunc ego certè apud Deum patrem & omnes cæli ciues fideliter excuſabo: quemadmodũ Mariam excuſaui, imo pro ipſo vniuerſa emendabo. ¶ Et iſta: O domine cùm Maria dicatur hoc precioſiſsimum vnguentũ

Vnguentum domini amor veritatis & correptio fraterna.

emiſſe, vnde poſſem ego tibi tam gratũ obſequium exhibere quaſi ſimile tibi compaſſem: Ceſpondit dominus: Quicunque offert mihi bonam voluntatem ſuã in quacunque cauſa, quam deliberat pro amore meo perficere, quantumcunque etiam ipſum in hoc oporteret laborare, vt tantummodo laudem meam poſſet promouere: ille veraciter precioſiſsimum mihique acceptiſsimum vnguentum comparat, dum commodo ſuo honorem meum præponendo ſe voluntariè quibuslibet exponit incommodis: etiam ſi impeditus voluntatem bonam nunquam perducere poſſet ad effectum.

Effectus bonæ voluntatis

De S. Iacobo. *De merito peregrinationis ad Compoſtellam. Et quomodo honorantur ſancti per ſaram communionem.*

CAPVT XLVIII.

GLorioſi Apoſtoli Iacobi maioris feſto apparuit, huic idem Apoſtolus honorabiliter nimis exornatus meritis omnium peregrinorum corporis ipſius ſanctas reliquias venerantium. Vnde iſta multum admirans, requiſiuit à domino, cur ipſum præ cæteris Apoſtolis tali honore extuliſſet, vt ſci-

Cur D. Iacobus lõginqua peregrinatione à Deo honotatus.

ſcilicet de longinquis regionibus populus ad eius reliquias colendas concurrat deuotiori ſtudio, quàm ad tumbas principum Apoſtolorum Petri & Pauli, aut aliorum apoſtolorum & ſanctorum. Reſpondit dominus: Ego hunc dilectum mihi Apoſtolum hoc ſpeciali priuilegio inter cæteros ſublimaui, propter feruidum zelum quo incitabatur amore mei ad ſalutem animarũ. Vnde quia æterna prædeſtinatione mea ordinante tam cito ſublatus eſt à corpore, quòd nõ præualuit tantam multitudinem populorum ad fidem conuertere, ſicut ad laudem meam deſiderabat. Idcirco voluntas eius bona in conſpectu meo ſemper vigens & viuens, mihique per omnia placens hoc promeruit, vt quod morte præoccupante, in hac vita omiſit, hoc nunc poſt mortem ſuam vſque in finem mundi per hoc ſuppleatur, quod tam multa ſignorum miraculis ad tumbam eius crebreſcentibus moti deuota peregrinatione ipſum viſitantes à peccatis abſoluuntur, & in fide catholica roborantur. ¶ Vnde iſta etiam deſiderans per merita eiuſdem Apoſtoli à peccatis ſuis abſolui, propoſuit vice peregrinationis faciendæ in honorem ipſius eodem die dominicum ſuſcipere ſacramen-

Meritum feruidi zeli pro ſalute animarum.

Sanctæ peregrinationis meritum.

tum. Qud cum feciſſet, videbatur ſibi quaſi ad menſam quandam diuerſis epulis ſumptuoſe ditatam cum domino maieſtatis reſidere. Et cùm ipſa ſuſceptum corpus Chriſti obtuliſſet domino in laudem æternam, & in augmentum beatitudinis & gloriæ apoſtoli Iacobi, ſtatim adueniens idem apoſtolus in ſpecie præclari principis, apparuit ſe menſæ illi reuerenter coram domino, gratias immenſas referens pro tam magnifica oblatione ſibi per viuificum ſacramentum Chriſti collata. Hinc orabat dominum deuotè, vt omnem effectum ſalutis, quem ipſe pius dominus per merita ſua vnquam in aliquo homine dignaretur operari: hunc totum in anima eius (quæ ob honorem ſui hoc prænobile obtulerat ſacramentum) glorioſe operaretur.

Sancti per ſacram communionem à nobis plurimum honorantur.

Honoratio hæc quãtum ipſi communicanti cõferat.

In feſto Aſſumptionis glorioſæ virginis. De modo eam fructuoſe ſalutandi & honorandi. Et quàm promptè iuuet ſe inuocantes, etiam ſacræ communioni eos præparans Necnon de gloria eius ineffabili. Et de modo canendi, Te Deum.

CAPVT XLIX.

Appro-

APpropinquante feſto dulciſſimæ Aſſumptionis intemeratæ virginis, dũ iſta iterum decumberet lecto, nec poſſet iuxta deſiderium ſuum ob honorem beatiſſimæ virginis legere (Aue Maria) ſecundum numerum annorum eius, quibus vixerat in terris: conabatur tamen eundem numerum complere deuotè per has tres diſtinctiones: Aue Maria: Gratia plena: Dominus tecum. Et cùm hæc cum diuerſis orationibus ab alijs ſibi ad offerendum beatiſſimę virgini commiſſis inſimul deuotè offerret: apparuit eadem virgo gratioſa circumamicta pallio viridi, quod fulgebat vndique circumpoſitum aureis floribus in modum trifoliorum, & dixit: Ecce quot verba quælibet earum (ex quarum parte hæc mihi offers) orauit, tot mihi flores ad ornatum appoſuit: quorum quilibet magis aut minus vernat, ſecundum quod quilibet orando intentionem ſuam magis aut minus purè adhibuit. Et ego reſplendentiam florum iſtorum reddo in animas ſingularum perſonarum, quæ mihi ea perſoluerunt, vt exinde filio meo totique cæleſti exercitui poſſint complacere. Videbatur quoque beata virgo inter prædicta trifolia intermixtas habere quaſdam roſas ſexfoliorum, valdè

Viſio.

Sancti noſtr orationibus & deſider. pijs ornantur

Ornatus ipſe reſplendet in animas orantium.

valdè præfulgentes: quorum foliorum tria videbantur eſſe quaſi aurea diuerſis gemmis mirabiliter perornata. Alia vero tria folia his interpoſita videbantur aliorum quorundam inæſtimabilium colorum varietate diſtincta. Vnde per tria aurea folio intellexit deſignari prædictas tres diſtinctiones, quibus ipſa in infirmitate ſua cum labore glorioſam virginem ſalutauerat. Quibus dominus ex benignitate ſua tres alios indicibiles colores addiderat aliorum trium foliorum. Vnum pro affectu, quem habuerat ad ſalutandum & laudandum dulciſsimam matrem ſuam. Secundum, pro diſcretione, qua (dum ſenſit ſe non præualere) tantum tres legit diſtinctiones. Tertium, pro plena fiducia, qua confidebat tam dominum quàm benignam matrem eius acceptare idipſum, quod præualebat. ¶ Hinc ſub prima, (poſtquam cantanda erat miſſa de vigilia Aſſumptionis) dum ex intimo cordis affectu deprecaretur ad dominum, vt ſibi apud dulciſsimam matrem ſuam dignaretur gratiam & fauorem obtinere, cui ipſa, vt ſibi videbatur, nunquam debitum obſequium exhibuiſſet. Dominus ſe cum ſumma blanditate in amplexus matris amiciſsimos declinans, exhibuit ipſi omnem

Benignitas domini in remuneratione ope rum piorum.

Nota piam ſuppletionem à Chriſto petendam.

omnem filialem dilectionem, qua vnquam erga eam affectus fuerat, dicens: Recole domina mater amantiſſima, quod peccatoribus ego propter te ſim propiciatus, & reſpice hanc electam meam eo affectu, ac ſi omnibus diebus vitæ ſuæ tibi placita, ſummaque deuotione ſeruiuiſſet. Ad quod virginea mater quaſi tota liquefacta, & in melleam dulcedinem reſoluta, ſe totam huic cum beatitudine ſua ob amorem filij videbatur impendere. ¶ Dehinc ſub miſſa (Vultum tuum) dum legeretur collecta (Deus qui virginalem aulam) exhibuit ſe dominus Ieſus matri ſuæ beatiſsimæ in tanta tamque inæſtimabili blanditate ac amicabilitate, quaſi ea hora renouaret ei multipliciter omnia gaudia quæ habuerat in eius ſanctiſſima conceptione, natiuitate, alijsque gaudijs ſuæ humanitatis. Et cùm iſta deuotius intenderet verbis illis, ſcilicet (vt ſua nos defenſione munitas iucundos faciat &c.) videbatur delicata mater benignè expandere pallium ſuum, quaſi ad ſuſcipiendum omnes ad ſe confugientes in ſpeciale patrocinium. Tunc aduenientes ſancti angeli, adducebant coram ea omnes perſonas, quæ ſe ſpeciali deuotione vel orationibus ad idem feſtũ deuotè præ-

Supplicatio Christi.

Benignitas virginis Mariæ.

Virgo mater ſuſcipit omnes ad ſe cõfugientes.

Miniſterium & tutela angelorum erga homines pios.

parauerant in ſpecie iuuencularum ſpecioſarum: quæ reuerenter ſedentes ante eam ſicut filiæ coram matre, ſanctorum angelorum miniſterio vndique fulciebantur, & ab inſidijs malignorum ſpirituum defenſabantur, & ad quæque bona promouebantur. Intellexitque talem protectionem angelorum obtentam per antedicta verba Collectæ, ſcilicet: vt ſua defenſione munitos. quia ad imperium eius multitudo angelorum vndique defendendo protegit omnes glorioſam virginem inuocantes.

Angeli nos à malignis ſpiritibus tutātur & ad bona promouent.

¶ Poſt hæc videbantur quaſi ſub pallium eius accurrere quædam diuerſi generis beſtiolæ, per quas notabantur omnes peccatores ad ipſam ſpecialem deuotionem habentes. Quas omnes mater miſericordiæ benignè ſuſcipiens, & quaſi pallio ſuo protegens, delicata manu ſua ſingulas contrectando, & deliniendo, ipſis amicabiliter blandiebatur: quemadmodum quis blandiri ſolet catulo ſuo. Per hoc manifeſtè inſinuans, quàm miſericorditer ſuſcipit omnes ſe inuocantes, & quàm materna pietate defendit & protegit etiam adhuc peccatis deditos in ſe ſperantes, donec eos filio ſuo reconciliet veraciter pœnitentes. ¶ Ad eleuationem verò ſalutaris hoſtiæ videbatur dominus Ieſus ſeipſum cum omni-

Pietas Mariæ erga peccatores ad ſe confugientes.

omni beatitudine diuinitatis ſuæ & humanitatis in ſpecie ſacramentalis hoſtiæ præbere omnibus, quæ cum deuotione intererant miſſæ ob honorem dulciſſimæ matris ſuæ: deſiderantes ipſi in feſto Aſſumptionis ſuæ deuotè famulari, vt ex viuacitate diuinæ virtutis omnes dulciter allecti & ſuauiter recreati, confortarentur in ſua bona voluntate: ſicut aliquis recreatus confortatur ex cibo diuerſis aromatum ſpeciebus & condimento temperato.

Quid Chriſtus in tremēdis myſterijs operetur circa homines ſacrificio deuotè præſentes.

Operationis iſtius vir tus „ „ „

¶ Cùm autem poſt miſſam Conuentus ſecundum ſtatuta ordinis procederat ad Capitulum, vidit dominum Ieſum cum infinita multitudine angelorum ad Conuentum venire, congregationem cum magno gaudio præſtolando. Quod ipſa multum admirans, dixit ad dominum: Vt quid amande mi domine ad iſtud Capitulum cum tanta dignatione & multitudine angelorum adueniſti, ad quod nos tamen nullam ſpecialem deuotionem habemus, qualem habuimus in vigilia tuæ ſacratiſſimæ Natiuitatis & incarnationis? Reſpondit dominus: Ego idcirco adueni, quemadmodum paterfamilias hoſpites ad conuiuium ſuum inuitatos benignè ſuſcipit. Hodie verò ob reuerentiam dulciſsimæ matris meæ ad prænunciationem ſolen-

Chriſtus vna cum angelis procedit ad pias deuotorū hominum congregationes.

Quid Chriſtus in iſtu faciat.

Chriſtus in reuerentia habet dulciſſ. matrem ſuā.

nitatis eius præcelſæ Aſſumptionis, ſpeciali affectu ſuſcipiam omnes idem feſtum deuotè percolere deſiderantes. Et inſuper ex authoritate diuinitatis mei abſoluam omnes cum humilitate & deuotione ordinis ſui negligentias profitentes. Et adiecit dominus: Simili modo interſum Capitulo veſtro in omnibus feſtis, & inſuper omnia, quæ ibi agitis, accepto eo modo ſicut præmonſtraui tibi in vigilia Natiuitatis meæ. ¶ Hinc dum ſpeciali deuotione intenderet Nonæ, qua ſecundum ſtatuta noſtra inchoatur feſtum Aſſumptionis, diuinitus illuſtrata intellexit, quòd beatiſsima virgo Maria præcedenti die ſuæ feliciſſimę Aſſumptionis circa horam nonam ita penitus abſorbta eſt in Deum, quòd omni humanitate exuta, iam in præludio cæleſtium deliciarum ſolo ſpiritu Dei vegetabatur vſque ad horam illam iucundiſsimam, qua circa noctis horam tertiam aduenienti domino in omni perfectione virtutum ſummè præparata exiuit obuiam cum ingenti lætitia, nulla omnino remordente conſcientia: ſicque in vlnas eius aduolans, vnus ſpiritus cum eo effecta, introiuit in potentias totius beatitudinis ipſius diuinitatis. ¶ Sub veſperis verò cùm cantarentur pſalmi, videbatur

Vtile eſt feſta deuotè percolere.

Negligentias humiliter agnoſcere.

Chriſtus intereſt ſanctis Capitulis.

S. Maria deliciosiſſimè abſorpta in Deum antequã aſſumeretur.

S. Maria hora tertia noctis aſſumpta & Deo vnita.

Cantica eccleſiæ Deo & ſanctis grata & honorifica

tur dominus omnia in quibus ipſe per pſalmos extollebatur, intrahere cordi ſuo diuino, & de corde ſuo dirigere in beatam virginem tanquam impetus quoſdam validiſsimè inundantes. Ex quibus virgo mater inclyta tot ſuſcepit influxus, quot prædita erat dignitatibus meritorum. Et dum intonaretur Antiph. Tota pulchra es, iſta irruens in amplexus domini, per cordis eius organum ſingula verba illa intonare nitebatur, in memoriam ſuauiſsimarum blanditatum illarum, quibus per eadem vel ſimilia verba blanditus eſſe creditur filius altiſsimi ſuæ beatiſsimæ matri. Et ecce ex tali deuotione, illius diuini cordis impetus efficacius ſuperfluentes tam magnificè in animam virginis inundauerunt, quòd ex nimia impetuoſitate influxus videbantur reſilire, quaſi ſtellæ materiales mira claritate præfulgentes: quæ vndique reginam cæli circundantes, ineffabili decore perornando lætificabant. Quædam verò quaſi præ multitudine in pauimentum cadere videbantur: quos omnes ſancti recolligentes, & coram domino cum gaudio præſentantes, in admiratione illarum inexplicabili modo delectabantur. Per quod figurabatur, quòd omnes ſancti de ſuperabundantia dignitatum

Nota hic & inſequentibus dum & energiam diuinorum influxuum.

Fons hortorum puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de Libano. Cant. 4.

Emiſsiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus, &c. Cant. 4.

Superabũdantia meritorũ & gloriæ S. Mariæ exuberat in omnes honeſtos. tum & meritorum beatiſsimæ virginis copioſe hauriunt gaudium, gloriam, & beatitudinem indeficientem. Sicque in tali exultationis iubilo adiungentes ſe omnes angeli deuotioni congregationis, conſona voce inſimul cum ea dulciter reſonabat Reſponſorium: Quæ eſt iſta. Quo finito, *Angeli cum ipſo Chriſto collaudant S. virginem: pudeat hæretices ſuæ blaſphemiæ ſuperbiæ.* filius Dei altiſone inchoauit verſum: Iſta eſt ſpecioſa. Cuius diuini cordis plectrum ſpiritusſanctus mouere videbantur ad laudandum & glorificandum benedictam virginem matrem ſupra omnem creaturam. ¶ Sub hymno (Quem terra, pontus) virgo beata quaſi præ delitijs affluentibus vltra ſubſiſtere non valens, reclinauit ſe ſupra pectus filij ſui amantiſsimi, & quaſi in iubilo cæleſtium amœnitatum requieuit vſque ad verſum (O glorioſa domina.) *Deuotio fidelium quàm grata ſit S. virgini.* Tunc enim quaſi à deuotione fidelium prouocata, erigens ſe, porrexit omnibus manum ſuæ benignæ defenſionis, ac maternæ conſolationis. Ad illum verò verſum: (Deo patri) conſurgens, videbatur tres genuflexiones facere cum maxima reuerentia, ob honorem & gloriam ſemper venerandæ Trinitatis. Sicque per- *S. virgo perſeueranter orat pro eccleſia.* ſtitit ſub Magnificat, orans pro eccleſia. Ad Antiphonam autem (Virgo prudentiſſima) demiſit lucem quandam cæleſtem ad

ad omnes ſe deuotè inuocantes. Alia viſio. *Illuſtrat ſe deuotè inuocantes, Alia viſio.*
ce eodem glorioſæ Aſſumptionis feſto, dum valde deficientibus viribus iſta vix duci potuiſſet ad locum orationis vbi matutinas audiret, & ibi feſſa ſederet: tandem viſitauit eam oriens ex alto dominus per viſcera miſericordiæ ſuæ. Et videbatur illi in ſexto Reſponſ. quaſi adeſſet in ſpiritu iucundiſsimæ illi feſtiuitati, qua virginea mater Dei debitum carnis exoluens cæleſtia regna petebat. De iam dicto ergo Reſponſ. ſcilicet, Super ſalutem, vſque poſt Te Deum laudamus (quo tempore ad ſeipſam rediјt) nihil cantabatur, in quo ſpecialem mirabilis delectationis intellectum non perciperet. Vnde de pluribus pauca exponam, prout ad exteriorē intellectum poſſunt deflecti. Illud enim Reſponſorium (Super ſalutem) videbatur congregatus totus cœtus tam angelorum quàm Apoſtolorum decantare, quaſi congratulans dominæ ſuæ pro ſuis ſingularibus priuilegijs dignitatum. Cumque interim virgo glorioſa inæſtimabili ſuauitate attracta, quaſi clauſtra carnis egrediens inter dulciſsimos filij amplexus ſuſciperetur: ipſe benigniſſimus Ieſus pater orphanorum Eccleſiæ ſponſæ ſuæ dilectæ perſonam aſſumens, & eius indigentiam

(quæ

(quæ cordi ſuo tam profundè eſt infixa) ſuæ matri quaſi commendare volens, in eius perſona deprompſit vij. Reſponſ. ſcilicet (Sancta Deo dilecta.) Hinc cùm quaſi pararet procedere, filius qui teneriori affectu erga matrem afficiebatur, etiã frequentiori laude ipſam extollere videbatur. Vnde & eam ſalutauit cum per viij. Reſp. (Salue Maria) Cui ſuccedens cœtus ſanctorũ, ſubiunxit: (Salue pia mater Chriſtianorũ). Deinde proſequens Ieſus in perſona ſponſæ ſuæ Eccleſię, adiunxit clara voce (virgo ſolamen deſolatorum.) ¶ Hinc cùm beata virgo inæſtimabili tripudio cæleſtia intrare videretur ad cantica (Audite me diuini fructus) tota cæleſtis curia ad tantæ exultationis nouitatem ita commoueri videbatur, quod nullis hominum linguis poſsit explicari. Apparuit enim quaſi intrare pratum ſupra omnem capacitatem amœniſsimum, quod plenum eſſet omnigenis floribus. Vnde cùm cantaretur verſus ille (Et frondete in gratiam) omnes flores in ſuſceptionem reginæ ſingularis, ex ſingulis folijs ſpecialem emittebant ſplendoris amœnitatem, ac dulciſsimi ſaporis ſuauitatem, ac inſuper clariſſimi ſonoris iucunditatem: quaſi totius mundi ſonus muſicus inſimul dulciſsimum melos decãtare niteretur.

Chriſtus vti filius frequentiori laude extollit virginẽ matrem.

Adumbratio quædam cæleſtis amœnitatis.

tur. Hinc beata virgo quaſi de incomparabili beatitudine ſua exultans & Deo congratulans pſallebat. (Gaudens gaudebo in domino) Deinde Deus pater quaſi placatus in omnimoda perfectione tam elegantis virginis ex abundantia dulcedinis militanti eccleſiæ benedixit, dicens, (Non vocaberis vltra derelicta &c.) Poſt hæc in laudem virginis matris omnis chorus angelorum prorupit alte intonans (Sexaginta ſunt reginæ) Denotans quod ſupra ordines ipſorũ virgo Maria eſſet eleuata. Hinc chorus ſanctorum, ſubiunxit (Et octoginta concubinæ) etiam ſupra ſe virginem matrem priuilegiatam proclamans. Deinde vtrique chori ſcilicet angelorum & ſanctorum in perſona militantis Eccleſiæ decantabant, Et adoleſcentularum non erat numerus, Per hoc etiam matrem Dei, vt digniſsimum eſt, ſupra ſe extollentes, Hinc ſpiritus paracletus ſuauiſsima modulatione ſubiunxit, Vna eſt columba mea. quaſi diceret: Iſtam vnice mihi reperi ſimilimam, in qua placite requieſcere potui. Tunc filius Dei addidit, perfecta mea, quaſi diceret. Omne quod tam in diuinitate quam in humanitate in homine inuenire optarem, in iſta inueni perfectiſſime. Cui dominus pater annectebat.

Vna

(Vna eſt matri ſuæ electa ge.ſcilicet) quaſi præ nimietate affectus reticere volens, qđ ipſe in ea ſentiret, hoc ſolum quod mat i ſuæ ſcilicet eccleſiæ eſſet electa, expreſsit.

Tota cœleſtis curia collaudat S. virginē

¶ Deinde in iubilo laudem reſonante tota cœleſti Curia cum reſponſorio (Salue nobilis) in throno gloriæ à dextris filij cū decenti reuerentia collocatur. Et poſt omnes cœli ciues ante ſolium regni ipſius decenter coadunati, ex abundantia benigniſſimi fauoris extollentes laudabilem conuerſationem vitæ eius, cum ineffabili iubibilo decantabant reſponſorium (Beata es virgo Maria) Cui verſum ſcilicet (Aue Maria) tota Trinitas ſubiunxit, renouans ea ſuauitatem angelicæ illius ſalutationis quę totius ſalutis ſaluberrimum extitit exordium. Cui ſanctorum chorus annectebat (Ecce exaltata es) commendans ei, vt pro eccleſia militante intercederet. Poſt hæc Deus pater ſpecialiori laudē eam extollere delectatus in cuius forma ſibi plene complacuit, ſonore decantabat Reſpon. (Aue ſpecioſa.) Cui filius ſubiunxit) ſunamitis ſecundum cor ſummi regis) Et ſpiritusſanctus addidit (Aue mater Maria) Cui filius iterum addidit (Spiritusſancto teſte) Tūc omnis cœtus ſanctorum addidit (Tu olim Ma.ſor.egip.) Hinc angelorū chorus ſub intu-

inſulit(Tutheo.deſpera.apor.)Tunc omnes ſancti ſimul in perſona Eccleſiæ militantis genua coram beata virgine flecten, tes,canebant.O ſancta,o celſa,&c.Poſt hęc xij.Reſponſ.Quæ eſt iſta.Tota trinitas ex abyſſali ſuper effluentia fauorabilis iucunditatis erumpens,quaſi ex admiratione clariſsimæ decantabat,tanquam omnibus notificans merita beatæ virginis. ¶ Poſtremo intellexit,quod ipſa beata virgo cum omni cœleſti curia & militia pro beatificatione ſua decantaret.Te Deum laudamus in gloriam ſemper venerandæ trinitatis.In primo ergo verſu extollebatur ſimul tota Trinitas ſancta.Per ſecundum verſum(Te æternum patrem) ſpecialiter extollebatur Deus pater Per tertium. Tibi omnes angeli.filius Dei.Per quartum tibi cherubim ſpiritusſanctus. Et ſic per ſingulos verſus ſingulas perſonas intellexit extolli.Exceptis illis,vij.verſibus tu rex gloriæ Chriſte, & cætera quæ ſpecialiter referebantur ad filium Dei,laudantes illum pro ſingulis affectionibus beatæ virginis, quod eas cum ſuo adiutorio ſemper direxerat ad laudem diuinam,nec vnquam eas ad tranſitoria flecti permiſerat.Per ſequentes autem verſiculos ſcilicet.Aeterna fac.iterum alternatim extollebantur ſingulæ perſonæ. Per quæ

Te Deũ laudamus qua deuotione cãtandum.

quæ omnia talis intellectus dabatur iſti, q̄ nullius verſus patri attribuebatur, qui non adeo ſpecialiter illi cõgrueret, vt nullo modo aliter eſſe poſſe videretur. Similiter congruebant qui attribuebam filio & ſpirituiſancto. Poſt hoc cum ad ſeipſam rediret ex hac iucundiſsima ſolemnitate: cui tam mirabili delectatione per ſpiritum interfuerat ſenſit etiam corpus ſuum intantum recreatum, quod omnes ſibi aſsiſtentes ad deducendum ſe tanta velocitate præceſsit, quod omnino nullum ſenſit defectum. Et hæc valitudo durauit vſque dum poſt miſſarũ ſolemnia corporali cibo eſt refecta. ¶ Poſt hæc reuolutis trium annorum curriculis, dum iterum lecto decumberet ægrotans, & in ſancta vigilia Aſſumptionis glorioſæ virginis Mariæ, primo diluculo mentem ſuam deuotioni adaptare ſtuderet, vidit in ſpiritu ipſam beatiſsimam virginem quaſi in horto quodã amœniſsimo diuerſi coloris floribus odoriferaque vernantia delitioſe conſito, tanquam in tranquilliſsimo quodam iubilo ſuauiſsimæ cõtẽplationis iã agonizare incipiẽtem: que amabiliſsimi vultus ſui ſerenitate, ac geſtus amicabilitate omni ſe gratia plenam demonſtrabat. Apparebãt quippe in ipſo horto roſæ pulcherrimæ ſine ſpinis lilia candidiſsima & vio-

violæ fragrantiſsimæ cæterique flores omnigeni ſine herbis. Qui etiam ſinguli flores, quod dictu eſt mirabile, quanto remotiores erant à beata virgine, tanto maioris videbantur eſſe decoris, fragrantiæ & vigoris. Ex quibus ſingulis generoſa virgo ſingulariter, quaſi flatum, intrahendo omnem cuiuslibet floris virtutem inæſtimabili quadam cœleſti auiditate ſibi totaliter intrahebat ac quodammodo ineffabili delectatione reſpirando eandem in cor deificum amantiſsimi filij ſui, quod verſus eam apparebat apertum, alacriter remittebat. Apparuit etiam innumerabilis multitudo angelorum, qui ab eo beatæ virgis circa flatum quem intrahebat vſque ad flores erant occupati ad obſequendum tantæ Imperatrici dominum collaudantes. Vidit etiam ibi beatum Ioannem Euangeliſtam quaſi ad caput virginis matris orationi deuotius incumbentem, à quo etiam mater domini videbatur quaſi vaporem quendam mirificum intrahere ſibi. Cum vero in his omnibus Iſta plurimum delectaretur, mirari cœpit, quid per hæc ſignificaretur. Vnde edocta eſt à domino, quod per hortũ preoſtenſum ſignaretur virginis intactæ corp⁹ p flores vero diuerſæ virtutes qui ipſa beatiſsima virgo

go decenter erat ornata. Per roſas autem, quæ remotiores cæteris apparebant & venuſtiores, ac maiori reuerentia ſpiritum beatorum colebantur, opera charitatis tam Dei quam proximi. In quibus quanto ſe latius extendere ſtuduit, tanto digniorē fructum Deo attulit. Per lilia vero quæ efficaciorem odorem reddunt & candorem gratiorem, notabatur puritas ſanctæ conuerſationis ipſius, quam electi ſunt imitati. Per hoc etiam, quod beata virgo viſa eſt de corde beati Ioannis vaporem trahere, perpendit quod regalis virgo ſpecialem gloriam ex parte beati Ioā. attulerit pro ſingulis bonis, quibus ipſo prouidente liberius potuit vacare in omni vita ſua. Et cum iſta inquireret, quem profectum beatus Ioan. ex talibus haberet, dominus reſpondit. Quaſi tot gradibus affectuum cor meum ipſi eſt dulcius acclinatum, quot obſequijs matris meę virtutibus ipſius ſolicitudinem ſenſi affuiſſe. Per perſonam deinde beatæ virginis quæ in ipſo horto videbatur, intellexit ſignificari precioſam animam glorioſæ virginis, quæ fructu ſingularum virtutum ſuarum mirifice delectata eas cum maxima gratitudine quaſi de corpore ſuo trahens in ſe omnes refudit in Deum. ¶ Et ſic per diem illum viſa eſt in tali iubilo recumbere.

Remuneratio obſequiorū S. Ioānis Euāg. erga S. Mariam.

re vſque ad matutinas. Tunc iſta iterum facta in exceſſu mentis ſub primo Reſpon. vidit ipſam præ omni creatura beatiſsimam matrem ſupra pectus dilecti ſui filij eadem tranquilliſsima pauſatione reclinatam, cui filius verſa vice de corde ſuo dulciſsimo cum ineſtimabili delectatione reinfudit omnem illum fructum virtutum, quem ipſa prius per gratitudinem in ipſum retulerat, tanto digniorem, quanto in corde ſuo diuino excellentius nobilitatum. Quæ circundabant eam tanquam flores roſarum lilia conuallium ineffabiliter gratioſa vernātia ipſam venuſtantes. Ipſum vero primum Reſpon. videbatur ipſe Deus pater omnipotens ſuauiſsima modulatione de promere, dicens, Vidi ſpecioſam &c. quaſi per illa cœlicolis notificans qualem ipſe eam cognouerit in terris, ſcilicet columbam ſine macula per innocentiam: aſcendentem deſuper riuos aquarum: per deſiderium: cuius inæſtimabilis odor ſanctitatis erat nimis in veſtimentis id eſt in conuerſatione eius: & ſicut dies verni cir. eam flores roſ. & lilia conuallium id eſt diuerſæ virtutes. Hinc perſona ſpiritusſancti annectens ſecundum Reſpon. in perſona beatæ virginis ſanctiſsimæ conuerſationis ipſius dignitatem elucidans suauiter decantabat, Sicut

Eccleſia militās & triumphās in hymnis & canticis aliquā videtur habere conſonantiā.

cut cedrus &c. Tunc omnes ſancti tantæ laudis inſtinctu commoti quaſi pre admiratione decantabant tertium Reſpon. Que eſt iſta, Per quorum omnium ſingula verba ſuper iſta infirma ſingularem percepit intellectum: ſed ꝓpter defectũ viriũ omnia retinere nequibat. Sicq; omnes sancti reuerẽda ꝓceſsione ante thronũ virgineũ matris glorioſæ ſolẽniter cõuenientes dulciſsimo concentu ipſam ꝑ quartũ Reſpon. Gaude regina extollebãt in hoc ꝙ ipſa eſſet illa ꝑpotens regina, per q̃ iam æternæ lucis claritas refulgeret eis quæ non ſolum terrarum, ſed etiam cœlorum foret domina digna mox futura: quæ vere omnium virginũ pulcherrima in omni decore virtutum & perfectione gratiarum appareret, & que de plenitudine miſericordiæ ſuæ omnium indigentijs materna pietate ſubueniret, eſſetque eis perennis gloriæ augmentum, dũ ſuis meritis omnium ſanctorũm gaudia cumularet. Tunc honorifice procedẽtes chori angelorum clara voce reſonabãt verſum Fac nos letari, &c. quaſi ꝑ hæc verba prouocantes eã ad gloriam reſolutionis. Poſt hæc omnes ſancti reſonabant, Gloria patri ꝓ omni gratia beatæ virginis tã in corpore q̃ in anima collata. Dehinc omnes Antiph. & pſal. ſequentes, cœliçæ in laudẽ Dei &

virginis matris concinentes, mirificum da bant intellectum. Sub quinto ergo Reſpō. virgo generoſa cum maxima gratitudine ſe erigens in iubilo laudis & gratiarū actionis dulciter hæc verba decantabat: Beatā me dicēt omnes generationes. Et ſanctiſsima anima illa præ omni creatura inæſtimabiliter beatiſsima à carne abſoluta inter amplexus ſpōſi vlnis filij delicatiſsime innixa ipſi fonti totius beatitudinis incōparabiliter feliciſsima cōiunctione eſt immerſa, nunquā amplius emergenda. Tunc tota cœleſtis curia tā præcellentis reginæ gratiſsima præſentia mirabiliter illuſtrata & iucunda ta intuens animam virgunculæ iucundis amplexibus regiś, tam familiari auſu circū datam ſuper omnes choros angelorum & ſanctorum exaltari, & proximam ſemper venerandæ TRINITATI locari cum miræ iucunditatis tripudio congratulantes, in laudem ipſius prorumpunt cum .vj. Reſpon (Super ſalutem) Et ſic viſio illa terminata eſt. ¶ Ecce quam euidenter patet ex preſcriptis, quanta pietate benignus Deus per dona gratiarū, quæ largiter vni homini plurimorum intendat ꝓdeſſe ſaluti: dum hac vice ibi viſionē terminauit, vbi ante tres annos eam inchoauerat: vt dū propria negligentia, nobis intercludit, ſpiri-

ſpiritualem influxum gratiarũ videntes amœnum hortum nobis preparatum, inde ſaltem aliquos flores deuotionum carpere non omittamus. ¶ Alia iterum vice in eodem feſto, dum deuota matutinis intereſſet, tres nocturnos diſtinguens in tres ſpeciales deuotiones, in primo nocturno per ſingula verba & notas admonebat glorioſam virginem ineffabilium conſolationum illarum, quas creditur in expectatione beatiſsimi tranſitus ſui tam à filio quam etiam ab omnibus ſanctis percepiſſe. Vnde ad ſingula verba, quibus tam ab iſta quam ab aliquo fidelium in toto mundo conſolationũ predictarum admonebatur, circundari videbatur ipſa intemerata virgo floribus roſarum & lilijs conuallium. In ſecundo nocturno admonebat eam ſuauiſsimarum delitioſitatum illarum, quibus fruebatur in tranſitu de hoc mundo ad cœli palatium, innixa delicate ſuper dilectum ſuum. De quibus ſingulis totornamentis decorabatur inclyta virgo, quot verbis earundem delitioſitatum apmonebatur in vniuerſo mundo. In tertio quoque nocturno admonebat reginã cœli illius ineffabllis & omnem humanam capacitatem longe tranſcendentis gloriæ, qua recepta eſt in introitu regni & ſublimata ſupra omnem dignitatem

Deuotarum mentium piæ ſuggeſtiones ad S. Mariã ſub canticis Eccleſiæ.

tatem cæli. Ad quæ ſingula verba adminiſtrabant ipſi innumerabiles ſplendores & dulciſsimi ſapores, quales per diuerſorum odorum fragrantiam attrahuntur. ¶ Sub miſſa verò, dum legendo tribus vicibus Laudate dominum omnes gentes, &c. ad primum more ſibi ſolito oraret omnes ſanctos, vt merita dignitatum ſuarum pro ſe offerrent domino, quo per illa digna prępa rata accederet ad ſuſceptionem viuifici ſacramenti. Et ad ſecundum Laudate, ſimiliter oraret beatam virginem, & ad tertiũ dominum Ieſum, beata virgo ad inuocationẽ ſui exurgens, ſtetit in cõſpectu fulgidę ſemperq; tranquillæ Trinitatis, offerens pro ea merita placidiſsimarum dignitatum illarũ, quibus ipſa in die Aſſumptionis ſuæ ſupra omnem humanam imo angelicam dignitatem præparata, ipſi ſummè complacuit. Sicq; cum maxima blanditate, quaſi cedẽs loco innuit animæ, dicens: Veni electa & ſta in loco meo cum omni perfectione virtutum, quibus ego aſpectum ſemper venerandæ trinitatis in mei placentiã inclinaui, vt & tu ſimiliter, quantũ eſt tibi poſſibile, complaceas ipſi beatiſsimæ Trinitati. Ad quod iſta ſtupefacta, cum maxima deiectione ſui reſpondit. Et quibus, inquit, o regina glorię, hoc meritis potero? Quæ reſpondit:

Formula oratiunculæ ad omnes ſanctos præparatoriæ ad communionem.

S. Maria virtutes ac merita ſua ſe inuocantibus prõptiſsimè communicat.

dit: Cùm tribus vtique ad hoc habilitaberis. Primo vt oras per illam innocentiſsimã puritatem, qua filio Dei in vtero meo virginali placitam manſionem præparaui, emundari meis precibus ab omni macula. Secundo orabis per profundiſsimam illam humilitatem, quam ſuper omnes choros angelorum & ſanctorum merui exaltari, vt ſuppleantur omnes negligentiæ tuæ. Tertio deprecare per amorẽ illum inæſtimabilẽ, qui me inſeparabiliter Deo conglutinauit, vt præſtetur tibi copia diuerſorum meritorũ. Quod cùm iſta deuotè faceret, ſubitò trãſlata eſt in ſpiritu vſque ad celſitudinẽ gloriæ ſibi tam dignanter meritis cælorum imperatricis conceſſæ. Cumque ſic quaſi loco eius cum meritorum ipſius prærogatiua honorabiliter appareret domino, complacuit ſibi in ea vltra quàm dici poteſt, dominus maieſtatis. Omnes quoque angeli & ſancti aduenitẽtes conabatur ipſi reuerentiã exhibere. ¶ Hinc dum conuentus accederet ad communionem, aſtitit regina gloriæ à dextris cuiuslibet accedentis, contegẽs illam vna parte mantello ſuo floribus orationum ſuarum adornato, dicens: Sub cultu memoriæ meæ hanc reſpice, dulciſsime fili. Ad cuius petitionẽ dominus miro modo placatus, amicabiliter blandiendo tenebat men-

Quomodo prærogatiuã meritorũ S. Mariæ poſsimus participare.

S. Maria ſibi deuotis piè patrocinatur.

mentum eius,quouſq; porrexit ipſi hoſtiā ſalutarē. Cumq; & iſta ſimiliter communicata offerret idem ſacramētum domino in laudem æternam,ad augmentū gaudij,gloriæ & beatitudinis ipſius beatiſsimæ matris (quaſi pro recompenſa oblationis meritorum ſuorum, qua ſubleuauerat inopiam eius)dominus Ieſus quaſi porrigens xeniū quoddam matri ſuæ dulciſsimæ,ait: Ecce mater tibi tuum reſtituo duplicatum.Nec tamen huic aufero, cui tu amore nominis mei hoc impēdere dignabaris. ¶ Poſt proceſsionē verò,dum Cōuentus rediēs in chorū,cantaret Antiph.Aue domina mūdi Maria: videbatur iſti præ nimietate ſuauiſſimi cōcentus ſupercæleſtiū agminū,quòd quaſi totū cælum in nouæ exultationis tripudio commoueretur.Et ſtatim apparuit glorioſa virgo,ſtans coram altari à dextris filij ſui verſus Conuentum in gloria præcellenti. In illo autem verbo, Aue cælorum regina: omnes ſancti coram ea genua flectentes,ipſam vt domini ſui matrem decentiſſimè venerabantur. In illo quoque verbo: Aue virgo virginum: ipſa virgo veneranda manu ſua delicata prætendit quoddā candidiſsimum lilium ad omnes præſentes, alliciens eas quodammodo & confortās ad imitandum ſuæ caſtiſſimæ virginitatis exemplū.

Sumptio S. Eucharistiæ etiam cedit in augmentū gloriæ & gaudij Sanctorū.

Cantica Eccleſiaſtica quàm grata ſint cælitibus

Cumq; cantaretur: Per te venit redemptio noſtra: tam medullitus commota ſunt omnia viſcera maternæ pietatis eius, quod præ ſuperabundantibus delitijs delectationum illarum, quas perſenſit in eodem verbo: vt ſimilitudine vtar: ſe continere non valens, reclinaret ſe delitioſiſsima blanditate ſuper pectus filij ſui. In illo deinde verbo (Pro nobis rogamus, rogita) conſtringens collū filij ſui dulciter diuerſis delectationibus ipſi regi regum domino blandiebatur nutibus, oſtēdens illi ſorores quaslibet præſentes & pro ſinguli sorás. Cūq; inchoaretur Antiph. (Hodie beata virgo) ipſa immenſa circundata gloria inter blandos amplexus filij viſa eſt ad cæleſtia ſubleuari, concomitantibus ſe & complaudendo iubilantibus vniuerſis ordinibus cæli. Cumque ſic in gloria ſubleuaretur cæleſti, appræhēſa dextera filij, cum ea benedixit omni congregationi. Ex qua benedictione deſuper quamlibet perſonam videbatur forma crucis aureæ cum viridi zona dependere. Per quod intellexit notari, quòd quælibet poſſet effectū benedictionis illius fructuoſius conſequi, cum virenti fide & fiducia bona ad miſericordiæ matrem.

Interceſſio S. Virginis.

Benedictio S. Virginis.

Effectus huius benedictionis quomodo obtinendus.

In feſto S. Bernardi. Quomodo merita ſanctorum fiant noſtra. Et de æquiſſima retributione Dei.

CAPVT L.

BErnardi feſtum die præcedente, dum iſta ſub miſſa retractaret merita eiuſdẽ ſanctiſſimi patris (ad quem ſpecialem habebat deuotionem, propter mellifluorum verborum ipſius prærogatiuam) apparuit idem deuotiſsimus Abbas ineffabili gloria, & (vt ita dicam) cæleſti decore venerabiliter adornatus, ita vt intuenti ſe in vno aſpectu triplex color veſtimentorum eius ſatis mirabiliter perſpicuus repræſentaretur. Nam inſimul micabant in eo lilioſus candor puriſſimæ integritatis virginalis innocentiæ ipſius, cum violaceo nitore ipſius ſanctiſſimæ religionis, perfectiſſimæque conuerſationis. Necnon roſea rutilantia feruentiſſimi amoris: Qui tres elegantiſſimi colores adinuicem in anima tanti patris colludentes, omnibus ſanctis amœniſſimum quoddam præbebât delectamentum. Pectus quoque eius ſanctiſſimum, collum & manus videbantur aureis quibuſdam laminis gemmiſque roſei coloris valdè rutilantibus intextis honorabiliter circumamicta. Vnde & per laminas

S. Bernardus mellifluus.

Triplex gloria & decor S. Bernardi.

Candor virginitatis.

Violaceus nitor religionis.

Roſea rutilãtia amoris.

minas aureas notabatur præcipua elegantia doctrinæ eius ſalutaris, quam corde deuoto ſedulo retractans per gutturis ſacri miniſterium, ore ſacrato edidit, & manibus ſanctis fideliter conſcripſit, omnibus in eis proficere volentibus ad ſalutem. Per gemmas verò figurabantur illa dicta, quæ ſpecialius redolent diuinum amorē: eędem gemmæ videbantur quoſdam radios præclariſſimos extendere ad intima diuini cordis penetralia, & eius diuinitati miniſtrare ſpecialia quædam delectamenta. Dominus autem de cordibus omnium, tam cæleſtiū quàm terreſtrium, intrahens cordi ſuo omnem profectum & deuotionem, quæ aliquis eorum ex dictis & ſcriptis dicti patris vnquam hauſit, ea omnia totaliter cum radijs prænominatis ex ornatibus ſancti Bernardi cordi ſuo diuino immiſſis viceuerſas ipſi reinfudit. Quæ cor eius mirabiliter quaſi plectrum quoddam mouētes, & cum ſuauiſſima delectatione penetrantes, dulſimum quendam virtutum ſuarum perſonabant ſonum, & ſpecialiter innocentiæ & amoris ſui. Geſtabat inſuper in capite ſuo coronam ſplendidiſsimam mirabili varietate radiantē, in qua relucebat omnis profectus, quem idem egregius pater deſiderauerat ex ſcriptis & dictis ſuis ad laudē Dei cui-

Nota quomodo fructus bonorum operū quæ Sancti ſeuerunt, in ipſis redundet.

Fructus mirabilis ſanctorū deſideriorum

euilibet homini prouenire. Hinc cœpit ſponſa iſta legere ducentis vigintiquinque vicibus (Laudate dominum omnes gentes) in honorem eiuſdem ſancti, gratias agens Deo pro omnibus virtutibus eius & gratijs ipſi collatis. Tunc cœperunt protinus omnia illa, quæ legebat, in veſtimentis ſanctiſſimi patris ad modum ſcuteolorum refulgere. In quibus velut ſculptæ videbantur ſingulæ virtutes eius, quibus claruerat in terris, quæ etiam conſimilis formæ reſplendentiam reddebant in animam pro eo gratias domino perſoluentis. ¶ In die verò ſancto ipſius, dum deuotè intereſſet miſſæ in honorem ipſius decantatæ, orans ſpecialius pro ſibi commiſſis, & etiam pro quibuſdam alijs ad beatum Bernardum ſpecialem deuotionem habentibus (licet ſe orationibus ſuis non commendaſſent) vidit iterum eundem patrem venerandum in gloria cæleſti fulgentem. De cuius ſacri pectoris ornatu progrediens ſplendor quidam mirificus ad pectora omnium qui per merita & interceſſiones eius feruentem amorem Dei obtinere deſiderabant formabat coram pectore cuiuſlibet ſpeciem monilis admirandi operis, in quo apparebat omnis exercitatio diuini amoris, qua beatus Bernardus vnquam

Gratiæ Deo agendæ pro virtutibus Sanctis collatis.

Per hanc gratiarum actionem gloria Sanctorum cumulatur.

Gloria sic cumulata reſplendet in animam gratias agentis.

Vtilitas magna noſtra ergà Sanctos deuotionis.

laborauerat in terris, tanquam à qualibet earum ſimiliter eſſe peracta. Quod iſta mul

Sancti gloriã & merita ſua ſibi deuotis pleniſſimè communicant.

tum admirans, ait ad ſanctum: Quid pater inclyte, iſtæ perſonæ ex hoc habent ſalutis, quòd meritis tuis videntur decorari: cùm tamen ipſæ nequaquam ſimilia perfecerũt opera? Ad quod ille: Quid, inquit, minus habet pulchritudinis puella, quæ decoratur ornamentis alienis, quàm illa quæ ornatur proprijs: dummodo ſint eiuſdem ſpecioſitatis & decori operis? Sic etiam virtutes ſanctorum deuotione fidelium, quando pro his Deum laudant, à ſanctis obtentæ tanto ad eos diriguntur affectu, quòd ipſi æternaliter de illis gaudebunt, & quodammodo gloriabuntur in fructu eorum.

Cõmunicatio gloriæ creſcit iuxta vniuſcuiuſq; deuotionem.

Videbantur quoq; eadem monilia diuerſimoda claritate & varietate vermiculata, ſecundum cuiuſq; deſiderium, deuotionẽ ac etiã cognitionem, qua quælibet magis aut minus laborabat amorem Dei obtinere. In monilibus etiam earũ quæ hanc Dei ſponſam orare pro ſe humilibus rogauerant verbis, hæc ipſa rogatio pro augmẽto ornatus

Quàm vtile aliorũ preces expetere.

apparebat euidentius. Et quamuis aliarum quarundam magis amorem Dei deſiderantium monilia plus reſplenderent, illo tamẽ augmento carebant. Per quod notabatur, quòd homo nullum tam paruum opus facit,

cit bona intentione, ex quo ſpecialem non conſequatur profectum. Nec etiam quicquam negligit tam paruum, vnde non incurrat meriti detrimentum.

De S. Auguſtini pœnitentia & amoris feruore & gloria.

CAPVT LI.

IN die prædicto, dum memor præclari antiſtitis Auguſtini (erga quem iſta ab ineunte ætate ſuaui ſemper ducebatur affectu) gratias deuotas ageret Deo pro vniuerſis beneficijs illi collatis: apparuit ei idē glorioſus pontifex iuxta ſanctum Bernardum, compar nimirum ipſi in cæleſti gloria, cui non impar extiterat, tam in ſanctiſſimæ conuerſationis eminentia, quām etiam in ſaluberrimæ doctrinæ ſuaui effluentia. Stabat itaque hic Deo dignus Epiſcopus coram throno diuinæ maieſtatis cæleſtis, pulchritudinis gloria ineffabiliter decoratus: emittens ſimiliter, vt beatus Bernardus, de cordis ſui intimis igniferos ſplēdores ad penetralia cordis diuini. Per quod notabatur ignita eloquentia ſua, qua ipſe ſpecialiter corda hominum ad amorem Dei inflammabat. Spargebatq; ab ore ſuo quaſi quoſdam ſolares radios per to-

Decor & gloria D. Auguſtini.

tam amplitudinem cæli diffuſos, ſignantes affluentiam ſacræ doctrinæ eius, quantam largè ſparſit in totam latitudinem eccleſiæ. Apparebantque ſupra eoſdem radios arcuationes quædam mirabilis claritatis, quaſi cuiuſdam nouæ lucis, quæ aſpicientibus multum alliciens exhibebant delectamenmentum. In quorum omnium delectabili aſpectu dum iſta multum miraretur, edocta eſt à beato Bernardo, quòd radij eloquiorum beatiſſimi præſulis Auguſtini idcirco talis arcuati ædificij reſplenderent delectamento, quoniam ipſe doctor incomparabilis in omnibus ſcriptis & dictis ſuis catholicam fidem ſummoperè intendebat extollere: vtpote qui ad laudem domini (qui ipſum poſt multos circuitus errorum de tenebris ignorantiæ ad lumen gratuito reuocauit ſummâ veritatis) omnibus hominibus viam erroris & ignorãtiæ deſiderabat præcludere, & viam fidei ſalutaris oſtendere. Tunc iſta dixit ad beatum Bernardũ: Nonne & tu ſimilibus intendiſti pater ſancte in ſcriptis tuis? Reſpondit ſanctus Bernardus: Ego in omnib⁹ factis, dictis & ſcriptis meis ſolo impetu ferebar amoris Dei. Hic autem illuſtriſſimus doctor impellebat efficaci amore Dei, ſimulque propriæ miſeriæ experimento in ſalutem proximorum. Cum-

Differentia meritorum S. Bernardi & D. Auguſtini.

que dominus omnem profectum fidei, & conſolationis,eruditionis,illuminationis, & amoris, de cordibus tam cæleſtiũ quàm terreſtrium ex dictis ſancti Auguſtini natum, cordi ſuo diuino intractum. eiusque vnioni inæſtimabiliter nobilitatum, cordi eiuſdem reinfunderet: influxus ille ſuaui-fluus animã eius medullitus inundans, inundandoque penetrans, ac penetrando cor eius in modum liræ circumuoluens, ſuauiſſimum coram Deo reddebat concentum. Et ſicut in corde beati Bernardi Abbatis præcipua ſuauitate ſonuerat innocentia virginalis cum ſuaui amore Dei: ſic in corde ſanctiſſimi præſulis Auguſtini ſuauiori modulamine reſonabat pœnitentia amoroſa, cum igniti amoris Dei feruore. In corde namque vtriuſque tantæ ſuauitatis modulatio reſonabat, quòd difficile diſcerni potuit vtra earũ auditoris animum amplius oblectaret. Hinc beatus Bernardus ait ad eam: Hæ ſunt, inquit, modulationes, de quibus ſcriptura loquitur, dicens (Omnis illa Deo ſacrata & dilecta ciuitas plena modulamine in lau. &c.) quia cor cuiuslibet ſancti iuxta differentiam virtutum ſuarum ſuauiſonas domino iugiter concinit laudes.

Inſinuatio quædam cæleſtium deliciarum.

De gloria maxima illorum, qui ſe totos expendunt in laudem Dei & ſalutem animarum, exemplo Auguſtini, Dominici, Franciſci, &c.

CAPVT LII.

IN feſto igitur eiuſdem glorioſiſſimi Pontificis Auguſtini, dum ad veſperas cantaretur Reſponſ. (Vulnerauerat charitas) apparuit idem præclarus antiſtes in magna gloria ſtans & quaſi ambabus manibus cor ſuum ſanctiſſimum (quod ſæpius amore Dei vulneratum erat, expandens illud domino ad laudem ſuam præſentabat in modum roſæ pulcherrimæ, quæ odoris ſui mira fragrantia omnes cæleſtes incolas ineffabiliter delectando reficiebat. Iſta verò deuotè ſalutans ipſum patrem reuerendum, exorabat pro omnibus ſibi commiſſis, & etiam pro habentibus ſpecialem deuotionẽ ad eundem ſanctum. At ille precibus deuotiſſimis videbatur ſupplicare domino, vt omnium corda (quæ per merita ſua diuini amoris ſui feruorem adipiſci deſiderarent, eodem modo quo cor eius effloreba:) in conſpectu diuinæ maieſtatis perenniter vernando & florendo redolerent, ad laudem & gloriam fulgidæ ſempe que colendæ Trinitatis. ❡ Sub matutinis verò, dum

Gloria D. Auguſtini.

Pietas ſanctorum erga ſibi deuotos.

pro

pro poſſe ſuo intenderet deuotioni, deſide rabat ſcire pro præmio Deo dignus præſul Auguſtinus remuneratur pro eo, quod (vt ipſe in libro confeſsionum teſtatur) etiam viuens in corpore non ſatiebatur dulcedine mirabili conſiderare altitudinem con ſilij diuini ſuper ſalutem generis humani. Et ſtatim demonſtratus eſt ei idem venerabilis pater in gloria inexplicabili. Et ſecundum illud Iſaiæ: Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum: apparebat ſuper caput eius globus quidam tam mirabilis, quàm etiam totus in ſemetipſo ineffabiliter delectabilis, qui celerrimo impetu ſine vlla intermiſſione in ſeipſo circumuoluebatur ex infinitis colorum diſtinctionibus, miniſtrans ſingulis momentis alternatim nouas ſpiritualium gaudiorum delectationes ipſi beatiſſimo præſuli, omnibusque ſenſibus ipſius ſpecialem exhibens amœnitatem. Nam alliciebat aſpectum eius mirabilis claritas innumerabilium ſtellarum delectabiliter rutilantium, quæ de circumuolutione globi illius ſine intermiſſione ſpargebatur. Et per hoc remunerabantur omnes cogitationes eius, quibus delectatus fuerat in Deo in terris. Exhilarabatur quoq; auditus eius ineffabiliter in prædicti globi circum uolutione. Per quod remunerabatur acutiſ-

Adumbratio quædam deliciarum & gloriæ D. Auguſtini.

Remuneratio ſanctarum cogitationum & ſtudiorum

tiſſimus intellectus eius, quem maximo ſtudio direxerat ad diuina. Aſpirabat etiam ipſum viuificans quædam fragrantia leniſſimæ auræ, remunerans eum pro auida delectatione, qua totus intentus Deo, omnem tranſitoriam contempſerat delectationem. Reficiebantur inſuper ſuauiſſimo quodam ſapore fauces eius, pro eo quòd ipſe in ſeipſo delectationem exhibuerat domino Deo, qui [tantoperè] deſiderat delectari in corde hominis: in quo ſecundum verbum ſapientis, delitias ſuas ſtatuit. Reſpergebatur poſtremo ex dicti globi crebra reuolutione imbre quodam gratiſſimo, totam ſubſtantiam eius leniſſima delectatione afficiente. Per quod remunerabantur omnia exercitia corporis ſui, quibus laborauerat totis viribus ſe in laude & amore Dei ac vtilitate eccleſiæ fideliter exercitando per dicta ſcripta omniũq; virtutũ clara exempla. In iſtis enim tam mirabilibus huius pæclari patris delectationibus tota cæleſtis Curia tanta gaudiorũ copia ditabatur, quòd ſola horũ abundantis ſufficere omnibus videretur.

Communio gaudiorum & gloriæ ſanctorum.

¶ Et ait dominus ad animã: Perpẽde nunc qualiter iſte dilectus meus illuſtratur & perluſtratur niuea puritate, grata humilitate, & feruẽti charitate. Ad quod iſta cũ admiratione ait: O domine qualiter hunc affe-

ris illuſtrari niuea puritate, qui licet omni reuerentia dignus ſit ꝓ ſua ſanctiſsima conuerſatione, tanto tamen tempore aberrauit à fide quod haud dubium aliquas contraxit maculas? Reſpondit dominus. Quod ipſum tanto tempore deuiare permiſi, per hoc quodammodo ſplendet in eo mea diuina diſpenſatio, qua dilatam conuerſionem eius tam patienter & miſericorditer expectaui: & benigna miſeratio, qua eum tam dignanter reuocaui: gratuitaque pietas mea, qua ipſum tam excellenter gratificaui. Poſt hæc verba, dum iſta ornatum tanti preſulis diligentius conſideraret, apparuit in veſtitu eius quaſi cryſtallina puritas ſub qua hæc tria, ſcilicet, puritas, humilitas, charitas, quaſi diuerſis coloribus mirabili delectamento contecta nitere videbantur: ſicut aurum lucet cryſtallum. Tūc iſta dixit ad dominum: Nunquid domine mi, amator tuus Bernardus beatiſsimus nō tantum delectari ſtuduit in te, ſicut hic deuotiſsimus Auguſti. cuius cum nuper gloriam conſpicerem, non tamen agnoui ſimilibus delectamentis iucundantem? Reſpondit dominus: Electis meus Bernar. pro ſingulis quæ pro meruit ſuperabundātem remunerationem ſuſcepit: ſed paruitas capacitatis tuæ non ſinit te vel etiam minimi ſan-

ſanctorum meorum gloriam ad plenum perſpicere: quanto minus gloriam tantorũ ſanctorum? Attamen deſiderio deuotionis tuæ aliquatenus ſatiſfaciendo, diuerſa tibi ſanctorum quorumlibet merita oſtendi, vt in illis delectando amplius in amore meo ſuccendaris: & etiam, vt euidentius experiaris, quod in domo patris mei manſiones multæ ſunt, necnon vt intelligas, quid ſit quod in laudem dicitur cuiuſcunque ſancti (Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi) Quia reuera nullus ſanctorum alteri ſic per omnia æquiparatur in gloria, qui non in aliquo merito ab eo diſcernatur. Cũ hoc ita ſit (ait illa) domine Deus veritatis, dignare etiam mihi indignæ aliqua de meritis mihi ab infantia dilectarum virginum, ſcilicet delicatæ Agnetis & glorioſæ Katharinæ reuelare. Quod dum obtinuiſſet, ſecundum quod in feſtis vtriuſque conſcriptum eſt, deſiderauit etiam cognoſcere aliqua de meritis ſanctorũ patrum, Dominici videlicet, & Franciſci: qui duces extiterant duorum ordinum, quorum ſtudijs eccleſia Dei mirabiliter reformata eſt. Apparueruntque iam dicti venerabiles patres, in præfulgenti gloria, nõ ſimiles in meritis glorioſo patri benedicto amœnitate florentium, roſarum ac ru-

Sancti in gloria cœleſti ab inuicem differunt.

tilantis ſceptri venuſtate decorati. Pro ſtudijs etiam doctrinæ, qua prædicationibus inſiſtebant ad laudem Dei pro lucro animarum, apparebat in eis ſimilitudo meritorum beatiſsimorum patrum Auguſtini & Bernardi: ſicut in hac vita ſimilitudinem virtutum illorum ſtuduerant exercere. In hoc tamen diſcernebantur, quod beati Patris Franciſci merita precipue ornata erãt eximia humilitate. Glorioſi vero patris dominici merita per maxime ſplendebant feruentibus deſiderijs ſublimata. Sub miſſa vero, dum tota qua potuit deuotione Deo intenderet, & his quæ cantabantur, & inciperetur ſequentia: iterum rapta in ſpiritu translata eſt ante thronum diuinæ maieſtatis. Tunc omnes ſancti in memoriam & ob reuerentiam ſpiritualium delitiarum illarum (quarum fruitione per noctem præcedentem in contemplatione gloriæ tanti põtificis Auguſtini cæterorumque, de quibus præhabitum eſt, lætata fuerat) dulciter decantabant huius virginis (quæ hæc vidit) animæ ſex priores verſus ſequentiæ, ſcilicet, Interni feſti gaudia noſtra ſonat harmonia, & alios quinque ſubſequentes. Ex quibus ſingulis verbis anima miro intellectu & delectatione fruebatur. Finito autem ſexto verſu, omnes ſancti conticuerunt,

Decor humilitatis S. Franciſci.

innu-

innuentes animæ, vt ipſa vi. conſequentes verſus decantaret verſa vice in laudem eorum: ſicut ipſi precedentes verſus in honorem eius decantaſſent. Tunc ipſa more ſibi ſolito per organum dulciſsimum cordis Ieſu Chriſti ſuauiter intonans, reſonabat in laudem totius cœleſtis Ieruſalem, dicens: (Beata illa patria) & cæteros v. verſus ſequentes. Ad quorum ſingula verba videbãtur omnibus ſanctis ineffabilia gaudia renouari. His finitis, dominus Ieſus ſponſus delicatus dulciter illi blandiens ſuauiſone reſonabat hos duos verſus ſcilicet (Hoc in hac valle miſera) &. Quo mundi poſt exilia, &c. Et inter hęc velut benign⁹ magiſter imo tanquãm pijſsimus pater inſtruebat filiam, ſuam, qualiter frequentius diuinis intendendo in hoc ſeculo æterna promereri gaudia deberet. Hinc omnes angelorum chori, vota eccleſiæ repræſentantes concinebant Harum laudũ preconia, &c. Quorum laudibus adiungentes ſe omnes ſancti in gloriam Dei laudes altiſonas dabant tanto preſuli reliquos verſus coniubilando adiungentes. Interea beatiſsimus pater Auguſtin. ineffabilibus, imo inæſtimabilibus cœleſtis gloriæ ſplendoribus, totum cœli ambitum mirabiliter irradiando nouis gaudiorum delitijs lætificabat. Precibus

Diuinis frequẽtius intendendo, æterna in hoc ſeculo promeremur gaudia.

vero

vero eiuſdem ad vltimos duos verſus, ſcilicet, Cuius ſequi veſtigia: dominus quaſi verbis illius effectum præbiturus, eleuata manu ſua largam benedictionem dedit ſuper omnes ſæpe dictum pontificem deuotis laudibus extollentes.

In feſto natiuitatis glorioſæ virginis. Exercitia ad ipſam deuote. Et de potentiſſimo eius patrocinio ſuper omnes ipſam inuocantes. Et quam gratum ſit Deo, quod matrem ſuam honoramus.

CAPVT LIII.

NAtiuitatis glorioſæ virginis feſto præclaro, dum iſta perſoluiſſet tot Aue Maria, quot diebus ipſa preclara maris ſtella creuit in vtero matris, & hæc deuote offerret eidem, requiſiuit ab ea, quid erga benignitatem ipſius merentur, qui ſimili deuotione ad honorem eius eundem numerum perſoluerent cum ſalutatione angelica. Cui benigniſsima virgo reſpondit: Hoc, inquit, merentur, quod æternaliter in cœlis, ſpeciali iucunditate partici-

ticipabunt mecum felicius omnia gaudia quæ recepi,& ad huc ſine intermiſsione re nouata recipio,eo ſingulis virtutibus, ad quas beata & glorioſa Trinitas animam meam ſingulis diebus ſecundum optimum beneplacitum ſuum, decenter habilitauit. ❡ Hinc ſub Antiph. Aue decus, videbatur cœlum aperiri,& per miniſterium ſanctorum angelorum demitti thronus quidam valde ſublimis in medium chori:ſuper quē in ſumma gloria & honore reſidebat incly ta cœlorum Imperatrix:quæ mira blanditate & amicabilitate ſui exhibebat ſe per feſtum illud vota congregationis dignanter ſuſcepturam. Angeli vero ſancti thronum illum reuerenter circundantes,ſuſtētabant ac ſolemne obſequium cum gaudio exhibebant domini Dei ſui digniſsimæ matri. Adiungebat quoque ſe beatorum ſpirituum exercitus vtriſque pſallentium choris,collaudans cum ipſis reginam gloriæ per ſingula verba,que cantabātur. Videbatur etiam coram quelibet perſona ſtare vnus angelus, ferentes ſinguli ramos vernanti virore venuſtos in manibus ſuis: qui rami ad ſingulas delati, diuerſorum colorum flores ac fructus producebant ſecundum differentiam deuotionis vniuſcuiuſque. Finitis vero omnibus, quilibet an-

Quæ merces Chriſto ac ſanctis ei⁹ deuote ſeruiētiū

ge-

gelus ramum ſuum cum ingenti lætitia de ferebat virgini matri, circumponens cum reuerentia throno in quo reſidebat, ad augmentum ſingularis gloriæ & ornatus ſui. Tunc iſta ait ad matrem domini. Heu me mater pia, quod ego indigna non mereor his beatis pſallentium choris intereſſe. Cui benigna vero reſpondit. Bona volũtas tua plene ſupplet vniuerſa. Et illa deuota intentio, qua per organum ſuauiſonum cordis dulciſsimi filij mei more tibi ſolito his veſperis intendiſti ad honorem meum lõge precellit omne exercitium corporale. Ad quod comprobandum ego propria manu ramum tibi aſsignatum venuſtiſsimis floribus ac fructibus ſuauiſsimis bonæ voluntatis tuæ peramœnum, præſento conſpectui ſemp venerandæ Trinitatis, in oblationem ſummæ delectationis. ❡ Sub matutinis autem recognouit in ſpiritu, qualiter adueniẽtes angeli ſancti deferebant cõgregatos flores & fructus diuerſarum intentionum & deuotionum congregationis & illos decentiſsime offerebant virgineæ matri. Qui ſecundum hoc quod labor cuiuſque fuerat difficilior, apparebant pulchriores & amœniores: & ſecundum quod intentio & deuotio cuiuſque erat purior, reddebantur ſuauiores. ❡ Hinc dum iſta

ad

ad, gloria patri quarti Reſp. collaudaret in-
effabiliter digne extollendam Dei patris
omnipotentiam. ac admirandam filij Dei
ſapientiam, ſpirituſq; ſancti paracleti ſtupē
dā beneuolentiā, qua ꝑualuit, ſciuit, & dig
nata eſt Trinitas ſemꝑ veneranda in ſalutis
noſtræ ſubſidium tam plenam omni gratia
virginem formare, cui ſuꝑ abundantiā di-
uinę ſuę beatitudinis tā large cōmunicaret
exurgens mater gratioſa & reuerēter ſtāſ in
cōſpectu beatiſsimæ Trinitatis, videbatur
deuote ſupplicare, quatenus huic de diui-
na omnipotentia ſapientia, & beneuolen-
tia tantum largiretur gratiæ q̄tum poſsibi-
læ foret in hac vita homini ꝑcipere. Ad cu
ius petitionem tota Trinitas veneranda dig
nanter inclīnata benedictione quadā ſuper
cœleſti videbatur animam iſtius copioſe
donare. Ex cuius affectu rore quodam ſu-
auiſsimo vndique reſpergebatur. ¶ Cum
que cantaretur Antipho. Quam pulchra
es: iſta eandem in perſona filij Dei ad lau-
dem precelſæ mat. is eius decātabat. Quod
amantiſsimus Dei vnigènitus ſecundum
dulcedinem benignitatis ſuæ dignanter ac
ceptans ac motu capitis quaſi pro gratiatia
rumactione eam honorans, ait illi: Hono-
rem iſtum quem in perſona mei exhibuiſti
meæ dulciſsimæ genitrici ſecundum rega-
lem

lem magnificētiā diuinæ liberalitatis meæ tibi reſtituam in tempore opportuno Hinc ſub Antip. Adeſt nanque feſtiuitas: in illo verbo: Ipſa intercedat pro peccatis noſtris: viſa eſt mater domini chartam quandā, in qua eodem verba. ſ. ipſa intercedat, erāt inſcripta literis aureis & per miniſterium angelorum ſibi delata repræſentare reuerenter conſpectui filij ſui. Ad quod blande reſpondit: Ex omnipotentia mea mater reuerenda, tibi conceſsi poteſtatem propitiandi peccatis omniū, qui deuote inuocāt tuæ pietatis auxilium, qualicunque modo placet tibi. ❡ Sub miſſa vero dū in Sequentia Aue preclara: cātaretur verbum illud. Ora virgo nos: conuerſa ad filium inclyta virgo plicatis manibus, ſereniſque oculis, viſa eſt ꝓ ſe inuocantibus exorare. Ad cuius preces dominus omnes ſigno ſalutiferæ crucis communiens benedictione ſua diuina ipſos preparauit ad digne ſuſcipiendum & conſeruandum viuificum corporis & ſanguinis ſui ſacramentum. Ad illum vero verſum: Audi nos: ipſa virgo glorioſa apparuit aſsidere filio ſuo in throno ſublimi: quam ſic iſta allocuta eſt: Quare mater miſericordiæ non oras pro nobis? Ad quod beata virgo: Ego loquor pro vobis corde ad cor dilecti mei. Hinc cū idem

ver-

verſus repeteretur, extendens virgo regalis manum ſuam delicatam ad Conuentum & quaſi deſiderijs ipſorum attracta ſurrexit, & vna cum congregatione coram filio ſupplicatura, ſtetit. Cuius filius imperialis verſa vice aſſurgens benigne ipſe in ſequenti verſu, Salua nos Ieſu: primo ſe flexit verſus congregationem, dicens. Omnibus deſiderijs veſtris me acclinare ſum paratus.
¶ Hinc dum iſta in gloria ſolemnitatis inſtantis delectaretur, ac meditando ſpaciaretur, nec inueniret quod multum cor eius afficeret, ait ad matrem Dei. Cum ſint infinita, que mentes delectent recolētium gloriam tuæ venerandæ Aſſumptionis: vellem etiam edoceri à pietate tua, quid in feſto tuæ Natiuitatis ſpecialius ab angelis recolatur in cœlis: Vnde & noſtra deuotio promoueri poſſet in terris. Cui beata virgo reſpondit. Angeli ſancti modo in cœleſti gloria cum inæſtimabili retractant lætitia gaudia illa ineffabilia, que habebant nouem menſibus illis quibus ego creſcebam in vtero matris meæ, cum ipſi ſecundum vices ſuas incremento meo deuotum obſequium exhiberent. Nam angeli ſancti contēplando in ſpeculo ſanctæ Trinitatis, nobiliſsimi corporis mei: quod formabatur: dignitatem ſingularem, & quam, per me

dominus diſponebat toti mundo conferre ſalutem, toto niſu ad hoc obſequi gaudebant, aeremque & omnem creaturam vnde vegetabar, in vtero per diuinam gratiã nobilitabant. Archangeli quoq; in ſpeculo diuinitatis recognoſcentes ſublimitatẽ diuinę cognitionis, familiaritatis ac vnionis, ad quam anima mea ſuper omnem humanam imo angelicam capacitatem habilitabatur, exultantes miniſteria ſua indefeſſe adhibebant. Similiter & cæteri ordines in his, in quibus me dignitatibus ſuis cognoſcebant ſimilimam futuram, toto conamine miniſterium deuotiſſimum exhibentes, ad laudem & gloriam creatoris cum ingẽti gaudio delectabantur me promouere. Vnde & nunc pro talibus obſequijs ſuis remunerantur & exultant in æternum in cælis. Ad Completorium autem dum ſub Salue regina querularetur domino negligentiam ſuam in hoc, quod nunquã debita reuerentia matri eius deſeruiſſet, deſiderãs vt dominus hoc ſuppleret eidẽ & per cor Ieſu Chriſti, eandẽ Antiph. offerre ſtuderet matri ſuę: emiſit dominus protinus tot aureas fiſtulas de corde ſuo ad cor virginis matris, quot obſequia iſta deſiderabat ſe matri eius exhibuiſſe. Per quas fiſtulas ſingulas reſonabat ei blanditas filialis affectus, quo ipſe domi-

nus Ieſus ſedulò afficitur erga ipſam dulciſsimam matrem ſuam: & per hoc perſoluebatur omnis negligentia iſtius. ¶ Hanc quoq; ſuppletionē nos à benigniſsimo redemptore noſtro obtinere poſſumus, hac vel ſimili oratione: O Ieſu dulciſsime, per amorem quo pro nobis ex puriſsima virgine incarnari & naſci dignatus es, vt pauperum tuorum defectus ſuppleres, obſecro te vt per dulciſsimum cor tuum virgineę matri tuæ ſupplere digneris omnes defectus, quos per negligentiam & ingratitudinem multipliciter admiſi in ſeruitio & honore tam benignæ matris, cuius maternam clementiam in neceſsitatibus meis mihi ſemper fateor promptiſsimè adfuiſſe. Pro cuius condigna gratitudine offer, quæſo, illi pijſsimè Ieſu dulciſſimum cor tuum ſuperabundans omni beatitudine: exhibens eidem in eodem omnem affectum tuum diuinum, quo eam ab æterno præ omni creatura gratuito in matrem elegiſti, præſeruaſti, creaſti, omnibusq; virtutibus & gratijs incomparabiliter decoraſti. Necnon omnē benignitatem, qua ei vnquam blanditus es in terris, cùm te infantem in ſinu ſuo foueret, omnemque fidelitatem, quam deinceps ei per omne tempus quo cum hominibus conuerſatus es, filiali affectu exhibuiſti,

Oratio qua à Chriſto impetramus ſuppletionem negligentiarum in cultu S. virginis admiſſarum.

buiſti,(obediens ei in omnibus, ſicut filius matri, qui es gubernator cæli) & ſpecialiter in hora mortis, dum quaſi proprij cruciatus oblitus & eius deſolationi medullitus compaſſus cuſtodem eidem & filium prouidiſti. Inſuper affectum dignationis illius inæſtimabilis, quo eam in die iucundiſſimæ aſſumptionis ſuæ ſuper oẽs choros angelorũ exaltaſti, ac cæli terręq; dominam reginam conſtituiſti. Sicq; redde eam bone Ieſu mihi placabilem matrem, ac in vita & morte mea piam aduocatam & patronam. ¶ Cumque per verba illa: Eia ergo aduocata noſtra: iſta benigniſsimam matrem in ſui auxilium inuocaret, videbatur ipſa mater inclyta velut funibus quibuſdam validis tracta inclinari ad eam. Per quod intellexit, quòd quoties aliquis ipſam ſuam aduocatam cum deuotione nominando inuocat, per hoc nomen materna pietas eius intantum commouetur, quòd nullatenus ſe valet cohibere, quin benignè precibus illius acclinetur. In illo verbo: Illos tuos miſericordes oculos: beatiſsima virgo mentum filij ſui blandè tangens ipſum verſus terram inclinauit ad nos, dicens: Iſti ſunt miſericordiſsimi oculi mei, quos ad omnes me inuocantes ſalubriter poſſum inclinare: vnde &

vberrimum fructum conſequuntur ſalutis æternæ. Hinc à domino hanc percepit eruditionem, vt ad minus quotidiè matrē ſuā beatiſſimam per iſta duo verba, ſcilicet: Eia ergo aduocata noſtra. Et: illos tuos miſericordes oculos: inuocaret, certa quod per hoc in hora ſua nouiſſima non mediocre ſolatium obtineret. ¶ Tunc iſta obtulit beatiſſimę virgini centum & quinquaginta Aue Maria, in honorem eius lecta, orans vt in hora mortis, materna ſibi pietate dignaretur adeſſe. Et ecce omnia verba, quæ legerat, videbantur in ſpecie aureorum denariorum ante conſiſtorium præſentari, & ab ipſo matri ſuæ commēdari. Quæ mater pia ſuſcipiens, quaſi diſpenſatrix fideliſſima, ſingillatim diſponebat in profectum & ſolatium animæ eius, diligētiſſima cura prouidēns, vt dum egrederetur de hoc ſeculo pro ſingulis ſibi oblatis ſpeciales conſolationes & tuta ſubſidia apud diſtrictum Iudicem ipſi obtineret. Intellexitque quòd, dum aliquis finem vitæ ſuæ cuiuſuis ſanctorum ſpecialibus orationibus commendat, ſtatim orationes illæ deferuntur ante tribunal iudicis: & ille ſanctus cui committuntur, conſtituitur à Deo aduocatus ſuper eas, vt ex ipſis bona prouideat ſibi deuotis tempore opportuno.

Quibus verbis S. Maria deuotè compellanda quotidiè.

Nota fructū deuotarum orationum.

Quomodo Deus honorat crucem, & corda pura: Item de aduerſariorum dilectione. De virtute verborum domini De merito ieiunij regularis. Et quomodo dominum inebriemus.

CAPVT LIIII.

IN feſto Exaltationis ſanctę Crucis, dum ligno domini reuerentiam exhibendo ſe inclinaret, dominus ait ad eam: Perpende, quia non diutius quàm à ſexta hora vſque ad veſperas perpendi in cruce, quam propterea magno honore ſublimaui: & inde æſtima, quibus beneficijs corda illorum remunerare diſpoſuerim, in quibus perplures annos requieſco. Ad hæc dum iſta diceret: Heu domine, quòd tam paruas te delitias in corde meo permiſi habere? Dominus reſpondit: Quod delitiarum habui in ligno illo? Verùm gratuita pietas mea (qua illud præ cæteris elegi) inducit me ad illud honorádum. Vnde ſimiliter quē ego elegi gratuita pietate remunerabo. ¶ Hinc dum intereſſet miſſæ, talibus verbis inſtructus à domino: Conſidera quale exemplum præbeam electis meis in tali crucis honoratiōe. Nam præ cæteris creaturis, quæ mihi in humanitate mea deſeruierunt ad commoda corporalia (vt vaſa, quibus in infantia mea *Crucem & corda pura quantoperè Christus honoret.*

ait illi dominus: Si vis habere reliquias, quæ cor meum efficaciſsimè trahere potuerunt ad habentem eas: tunc perlege textũ paſſionis meæ, & conſidera ibi diligenter, quæ verba maiori affectu dixerim: & illa deſcribens loco reliquiarum conſerua, & ea ſæpius reuoluens pro certo ſcito, quòd ex eis gratiam meam optimè præ cęteris reliquijs promereberis. Nam & hoc ſi per inſpirationem meam edocta non fuiſſes, ratio tibi perſuadere poſſet. Quia cùm amicus vult amicum præterire amicitiæ commonere efficacius, dicit: Recordare affectus illius, quem in corde tuo ſenſiſti, quando illud & illud verbum loquebaris, quàm ſi diceret: Recordare affectus illius, quem ſenſiſti, cùm in illo ſederes loco, vel cum illis veſtibus indutus eſſes. Vnde & credere potes, quòd digniſſimæ reliquiæ meæ, quę in terris haberi poſſunt, ſunt verba dulciſsimi affectus benigniſſimi cordis mei. *Quæ ſint digniſsimæ reliquiæ.*

¶ Et cùm inuocaret auxilium domini adinchoandum ipſo die ieiunium regulare, quod per dimidium annum à religioſis obſeruatur: dominus dignantiſsimè reſpondit: Quicunque religionis zelo inſtigante voluntariá pro amore meo ſe prębet ad obſeruantiam ieiunij regularis, & per hoc nõ ſuam ſed meam deſiderat gloriam: hoc *De merito ieiunij regularis.*

ego licet bonorum veſtrorum non egeam, tamen propria benignitate coactus tanti accepto, quanti imperator acceptaret à fideli principe ſuo, ſi ſe offerret ſingulis diebus ad menſam proprijs expenſis ipſi ſufficientiſſimè miniſtraturũ. Si verò proceſſu temporis aliquando obſeruantiam ieiuniorum relaxare contigerit purè propter obedientiam & neceſſitatem cum contrarietate cordis, qua homo ſentit mentem ſuam in feruore bonæ voluntatis intantum ad me eleuatam, quòd cauſa amoris mei libentiſſimè abſtineret, & tamen benignè propter me ſubijcit ſe magiſtratus ſui voluntati in vnione illius humilitatis, qua ego ad laudẽ patris, me hominibus ſubditi in terris: hoc ego mihi ita acceptum reputo: ſicut amicus ab amiciſſimo ſuo acceptaret, quòd ipſum ad menſam ſuã ſecus ſe collocans tanta blanditate ad reficiendum inuitaret, quòd diceret ſe nullam buccellam guſtaturum, niſi & ipſe comederet primam, & ſic ad ſingula fercula per ſingulas burcellas ipſi blandiretur. Cùm autem ex feruore ſpiritus contigerit ipſum rigore abſtinentiæ intantum diſtendi, quod ad præceptum magiſtratus ſui, neſciens cedere contradixerit, & inde ad ſe rediens pœnituerit, proponens de cętero ſe emendare: hoc ego

tam

tam dignanter ignoſco illi, ſicut imperator exiſtens in bello, ignoſceret ſuo fideli principi pro ſe ſtrenuè contra inimicos decertanti, ſi ipſum improuiſe parumper læderet ſine damno. ¶ Item in die exaltationis ſanctæ Crucis, cùm ſub miſſa ad eleuationem calicis iterum domino offerret præteritam congregationis moleſtiam, hoc accepit reſponſum: Ego bibam & indubitanter bibam calicem hunc, quem mihi feruor deuotionis & deſideriorum veſtrorum intantum dulcorauit, quòd quoties mihi illum porrexit, nunquã deſiſtam bibere quouſque valdè ebrioſum me feceritis, & ad omnia vota veſtra paratum. Et cùm illa diceret: Quomodo domine Ieſu hunc tibi porrigere poterimus: tali modo inſtructa eſt, vt quilibet reuoluens miſeriam ſuã, domino internã laudem offerat, & pœniteat, quòd feruenter Deum nõ deſiderauit vt decuit. Et proponat, quod ſi poſſibile foret, libenter ſuſtineret ad laudem Dei in corde ſuo omnem cruciatum, quem vnquam humanum cor Deum deſideraus ſentire potuit, etiam vſque in diem mortis ſuæ: tunc eum porrigit domino Deo ſuo calicem potationis ſuper dulcedinem nectaris & balſami ſibi gratiorem. Similiter facere poteſt quilibet cùm à communione ſiue alio ſer-

Quomodo domino calicem nectareæ dulcedinis porrigamus.

Oratio. uitio Dei eſt impeditus, cum his verbis: O viuifici fontis profluuium, o aromaticè ſaper diuinarum dulcedinum, o delitioſiſſima ebrietas omnium beatitudinum: ecce tibi propino in tuipſius plenitudine guttulam meæ miſerabilis indigentiæ, qua (licet longè minus iuſto) doleo & ſemper dolebo, quòd animam meam ab inſatibilibus epulis tuis ieiunam contineo, cum qua heu ſponte & proprio vitio gratiæ tuæ viā præcludo. Et nunc formator & reformator meæ ſubſtantiæ, quia omnia impoſſibilia ſolus præuales, ad ſummam laudem tuam da cordi meo perfectè concordare cum illo, quod nunc dico: quia omnem cruciatum deſideriorum, quem vnquam humanum cor ab initio mundi vſq; in finem eſt perpeſſum in amore tuo poſt te libētiſſimè continere vellem in me etiā vſque ad diem mortis meæ, vt eo dignius acceptaculum tibi in anima mea exhiberem, & inſuper emendarem tibi quòd tam inæſtimabiliter excellens dignitas gratię tuæ toties tam ingratis & indignis exhibetur.

In feſto S. Michaelis. De fideli miniſterio angelorum circa nos. Et quomodo eos honoremus. Et quid apud Deum præualeat amans anima.

CAPVT LV.

APpropinquante feſto Archangeli Michaelis, die quadam communicatura recolens dignantiſsimum miniſterium ſpirituum beatorum ſibi indignè à diuina liberalitate indultum, vicem ipſius recompenſare deſiderans, obtulit domino idem viuificum corporis & ſanguinis ſui ſacramentum, dicens: In honorem tantorũ principum tuorum amantiſſime domine, offero tibi hoc præmagnificum ſacramentum, in laudem æternam, & in augmentum gaudij, gloriæ & beatitudinis ipſorũ. Tunc dominus oblatum ſibi ſacramentum mirabili & ineffabili modo diuinitati ſuę intrahens & counіens, ex ipſo beatis ſpiritibus angelicis tam ineffabilia delectamenta miniſtrabant, quòd ſi antea nullam beatitudinem habuiſſent, ſatis copioſe viderentur ex his lætari, & gratioſe omnibus delitijs ſuperabundare. Tunc angeli ſancti per ordines ſuos cum maxima reuerentia genua flectentes, coram illa dicebant: Verè meritò tali nos oblatione honoraſti, quia ſpeciali affectu circa te ſoliciti ſumus. Angelicus itaque ordo dicebat: Nos in cuſtodia tui cum ineffabili gaudio die noctuque peruigiles ſumus atque ſoliciti, nec permittimus tibi quicquam deperire, quo poſſis ſponſo

Quomodo ſanctos angelos honoremus.

De fideli miniſterio angelorum circa nos.

tuo decenter præparari. ¶ Tunc iſta pro tali miniſterio tam domino quàm ipſis beatiſſimis ſpiritibus gratias deuotas perſoluens, delectabatur etiam angelum ſanctum ſibi à domino in cuſtodem deputatũ inter alios agnoſcere. Et ecce ſtatim quaſi princeps quidã illuſtriſſimus mirabilibus ornamentis decoratus, quæ nullis viſibilium ſimiltudinibus poterant ęquiparari, aſtans à tergo inter Deum & animam vno brachio dominum, altera verò ipſam animam cum ſumma reuerentia & delicatiſſimo affectu conſtringens blandè, dixit: Auſu diu mihi aſſuetæ familiaritatis (qua frequenter ſponſum Deum animæ huic acclino, eamq; ad ipſum ſubleuo in mentali iubilo) hic propius adeſſe præſumo. Tunc iſta obtulit eidẽ ſpeciales oratiunculas, quas in honorem ipſius perſoluerat. Quas ille cum ingenti gaudio ſuſcipiens, obtulit eas in ſpecie venuſtiſſimarum roſarum ſemper venerandæ Trinitati. Hinc archangeli blandè ſalutantes animam dixerunt: Omnia arcana ſecretorum diuinorum, quæ ſecundum capacitatem intellectus tui in ſpeculo diuinæ cognitionis diſcernimus tibi vtiliora, o egregia Chriſti ſponſa, familiariſſima blanditate frequenter tibi patefacere ſtudemus. Virtutes quoque dicebant: Nos ad omnia,

qui-

quibus meditando ſcriptis & dictis domini tui laudem & gloriam lucraris, tibi deuotè ſubſeruimus, in ſingulis te fideliter ſemper promouentes & amplius incitantes. ¶ Dominationes etiam aſſerebant: Cùm honor regis iudicium diligat & præceps amor ratione non frenetur, quotieſcunque dominus rex gloriæ in accubitu animæ tuæ delitiando commemorari delectatur, & illa viceuerſa motibus amoris fertur in illum: nos interim vice tui magnificentiæ eius reuerentiam pro te exhibemus: ne quicquam quod imperialem gloriam eius condecet, negligatur. Principatus verò aiebant: Nos omni conamine ſemper ſtudemus te regi regũ domino in omni regio cultu virtutum ſibi decentiſſimâ exhibere ſecundum omne cordis ſui delectamentum. ¶ Poteſtates autem dicebant: Cùm dilectum tibi coniunctum ſciamus felici vnione, nos ſine intermiſſione propulſare omnia impediméta ſtudemus, tam interiora quàm exteriora, quæ inquietare poſſent veſtra præſuauia ſuſurria, è quibus etiam lætificatur tota cæleſtis Curia, & beatificatur omnis Eccleſia. Quoniam plus apud Deum præualet viuis & defunctis ſalutem impetràre vna amans anima, quàm non amantium milia duodena. Tunc ani-

Amans anima quid apud Deum præualeat.

ma gratias deuotas perſoluebat ipſis omnibus beatiſſimis ſpiritibus, & etiam domino Deo pro his & pro pluribus alijs quæ poſſunt ſuperaddi, niſi fragilitas humanæ capacitatis impediret. Vnde diuinæ pietati omnia ſint commiſſa, cuius ſolius cognitioni perlucidè patent vniuerſa.

In feſto vndecim milium virginum. Quo fructu pro ſanctis gratiæ Deo agantur. Quòd Deus fructum requirit ex donis ſuis. Et de virtute Reſponſorij, Regnum mundi.

CAPVT LVI.

NOcte vndecim miliũ virginum dum ſæpius cantaretur verbum illud (Ecce ſponſus venit) tandem iſta incitata per hoc, dixit ad dominum: O deſiderabilis domine, cùm multotiés iam audierim (Ecce ſponſus venit) dic qualiter venies, & quid allaturus es nobis? Ad quod dominus: Ego iam operabor tecũ & in te. Vbi eſt lampas tua? Quę reſpõdit: Ecce domine mi cor meũ tibi pro lampade prębeo. Et dominus: Egoq; illud diuini cordis mei oleo (.i. gratia) adimplebo abundãter. Ad quod illa: Vnde tũc papyrus habebitur vt ardeat? Reſpõdit dñs: Papyrus mihi placidè lucens erit deuo-

deuota intentio tua quam in opere tuo ad me directe premittis. ¶ Dum vero cantaretur Reſpon.(Verus pudicitiæ) & ipſa in illo verbo(Spes & corona virginum)regratiaretur Deo pro meritis virginum & pro omnium gratia ipſis impenſa,vidit omnes virgines aſtantes ante thronū & ꝓ ſingulis gratijs à Deo acceptis emittebant ſingulos radios ſplendoris ad ſedentē in throno,velut ꝓ gratiarū actione:quos ſingulos radios dominus in ſe ſuſcipiens,emittebat animā ipſi⁹ q̄ illi ꝓ virginib⁹ gratias agebat.Vnde intellexit, ꝙ quandocunq; aliquis gratias agit Deo ꝓ ſancto aliquo dominus de merito ſancti illius auget gratiam in anima eius qui ꝓ eo gratias ꝑſoluit.Dū vero cantaretur Reſp.Regnū mundi,in illo verbo(quē vidi quem amaui)venit illi in memoriam, quędam ꝑſona,q̄ frequentius audiuit turbari pro deſiderio videndi Deum.Vnde dixit ad dominum:Et quando benigne Deus ſic dignaris animā illius conſolari, quod hoc reſponſorium cū gaudio poſſit decantare?Reſpondit dominus:videre ac amare me,ac credere in me,tale eſt bonum quod nullus poteſt talia ſine fructu deſiderare. Vnde cū quæuis anima hoc deſiderat coſequi,& prohibetur ex humana fragilitate: ſtatim humanitas mea pro ſorore ſua.ſ.pro

Quo fructu Deo gratias agamus pro ſanctis.

Fructus ſanctorum deſideriorum.

huma-

humana anima, procedit ad diuinitatem, quaſi hæreditario iure hoc bonum ſuſcipiens, vſque dum homo ille carne ſoluta ipſemet valeat ſuſcipere, & perfrui gaudio æternali. ¶ Alia quoque nocte, dum cantaretur Reſp. (Regnum mundi) in verbo illo (propter amorem domini mei) ſenſit & experta eſt, cor diuinum ex deuotione hoc reſponſorium pſallentium tam penetrāti ſuauitate medullitus, commotum, quod corā Deo patre & omnibus ſanctis ipſe filius dei caro & frater noſter Chriſtus Ieſus in hæc verba prorupit: Ego certe hodie me fateor his debitorem ad remunerandum fidele ſeruitium mihi ab ipſis pro poſſe impenſum. In illo quoque verbo, Ieſu, quod interpretatur ſalus, profitebatur dominus ſe illis debitorem ad proficiendum in eis omnem ſalutem, quam vnquam deſiderauerant ab infantia: licet ordinante & diſponente ſua paterna prouidentia differreretur vſque ad tempus idoneum & predeſtinatum. In illo etiam verbo Chriſti quod dicitur vnctus, proteſtabatur dominus ſe debitorem ad recompenſandum ipſis omnem deuotionem ab ipſis deſideratam, quam hactenus eis conferre diſtuliſſet. In his vero duobus verbis. Quem vidi, quem amaui palam proteſtabatur coram Deo patre omnibuſque ſan-

ſanctis ipſas pro amore ſuo fidem catholicã iuſtis operibus comprobaſſe. Et in his duobus. In quem credidi, quem dilexi, profitebatur eas ſpe firma, charitateque perfecta ſibi adhæſiſſe. Tunc iſta. Heu mihi domine quid tunc facies illis, que modo non ſunt in choro? Reſpondit dominus. Omnium que vnquam in hoc reſponſorio delectatæ ſunt, deuotionem mihi modo attraxi, & huic preſenti cõuẽtui, ipſaſque ſimiliter cũ iſtis beatificaui. ¶ Et illa ait. Si cum tam parua deuotione tam magnum poſſunt acquirere lucrum: qu d tunc nocet illis qui ſe negligunt cum tam faciliter queant recuperare neglecta? Reſpondit dominus: Cum imperator alicui principum ſuorum liberaliter multa largitur prædia & poſſeſsiones, & inſuper precioſis cum exornat veſtimentis & ille regreditur ab Imperatore, ab omnibus cognoſcitur ditatus large & honoratus valde. Veruntamen ſi ipſa bona ſibi collocata excolere negligit, ſemetipſum exponit inopiæ damnumque incurrit. Attamen benignus rex non ideo veſtes ſibi aufert, quas regalis liberalitas ſua gratuite contularat ipſi. Similiter cum ego pro parua deuotione magnifica impendo beneficia, tenentur homines poſt modum in talibus ſtudioſius ſe exercere. Et ſi hoc negligunt facere,

cere, fructum certe bonorum illorum amittunt. Sed tamen decor gratuitæ bonitatis meæ, qua ego eis benefeci gratis, perpetuo ad laudem & gloriam meam apparebit in ipſis. Et illa. Et quomodo inquit, ſe exercere debent in talibus, ad quorum notitiam hæc reuelatio & ſimiles forſitan nunquam peruenient? Reſpondit dominus. Hæc ipſa tamen quę pcipiunt doña, tenentur ſtudio ſius p imitationē exercere: quia certe ad cuiuſcunque notitiā aliquid talium peruenire permitto: illę proculdubio ſciat ſe ad gratitudinem & ſtudium imitationis p ſcientiam horum magis obligatum. Vnde etiā ſi ipſe ſcienter per deſidiam ſuam beneficia ſibi impenſa in communi ſiue in ſpeciali, neglexerit cum deuota gratitudine & ſtudio imitationis augere, damnum æternum ſe nouerit ex hoc incurſurum. ¶ Alia quoque vice ſub eodem Reſpon. Regnū mundi, apparuit caterua dæmonum corā vtroque pſallentium choro & quilibet dæmon videbatur diuerſa mundi ornamenta & vanitatum varia machinamenta oſtendere congregationi. Cum vero conuent⁹ ex corde cantaret: (Regnum mundi & omnem ornatum ſecu'i contempſi) omnis illa caterua dæmonum confuſa ſtatim quaſi canes rabidi aqua calida perfuſi velocius aufugit.

fugit. Per hoc intellexit, quod quandocunque aliquis deuoto corde profitetur ſe regna mundi contemnere, & omnia quæ ſibi diabolus ad tentandum obijcit pro amore Ieſu ex corde deteſtari, ſtatim virtus diabolica intantum debilitatur & fugatur, quod nunquam de cætero audet hominem in illa cauſa (in qua ſibi ſemel viriliter reſtitit & reſiſtendo ſuperauit) impugnare.

Quomodo diaboli tentationes vincamus.

In feſto omnium ſanctorum. Quod religioſi boni inter martyres computantur. Quodque per gratiarum actionem ſanctorum merita fiant noſtra.

CAPVT LVII.

IN feſto ſanctorum omniũ, in ſpiritu recognouit ineffabilia myſteria de ſemper venerandæ Trinitatis gloria, & qualiter ipſa beata & glorioſa, Trinitas in ſeipſa ſine principio & ſine fine omni dulcedine & iucunditate & beatitudine ſupeffluens, omnibus ſanctis gaudium & gloriã & beatitudinẽ adminiſtrat æternã. Sed humana fragilitate præpedita, nihil de his quæ tam lucide in ſpeculo diuinæ claritatis perſpexerat, ad humanam intelligentiã potuit enodare, pater iſta pauca quæ ſub aliqua ſimilitudine vix potuit abrupte ꝓferre. Apparuit enim

enim dominus virtutum rex gloriæ in ſimilitudine cuiuſdam patrisfamilias præpotentis, qui faciens grande conuiuium cunctis principibus & optimatibus ſuis, conuocauit amicos & vicinos. Quia ipſe fons vitæ & origo lucis perpetuæ atque omnis bonitatis author, ſatians ſatietas angelorum (ob reuerentiam & deuotionem, qua ipſo die ab eccleſia recolebatur cõmune feſtũ omniũ ſanctorũ) videbatur quoſq; fideliũ adhuc in terris militãtis eccleſiæ degentes choris ſanctorũ iã in cœlis triumphantiũ interſeruiſſe ſecundũ meritorũ ſuorũ dignitatem. Verbi gratia: Qui matrimonio legitime vtentes in timore Dei bonis exercẽtur operibus, apparebant adiũcti ſanctis patriarchis. Qui vero ſecreta myſteriorũ Dei cognoſcere merentur, ꝓphetis ſanctis addicti videbãtur. Qui autẽ predicationi & doctrinæ ſanctæ inſeruiunt: beatis apoſtolis videbantur coadunati: & ſic de alijs. Cognouit etiam ſpecialiter choro ſanctorũ martyrũ ordinẽ religioſorũ ſub obedientia regulari Deo ſeruientium inſertũ, eo ꝙ ſicut martyres ſancti in eo membro, in quo paſſi ſunt ꝓ domino, ſpecialem decorẽ ſimul & poteſtatẽ receperunt inæſtimabilis delectationis: Ita & religioſi ꝓ ſingulis delectamẽtis, à quibus in quacunq; re ſe cõtinent: vt

in viſu,guſtu,auditu,ambulãdo vel loquẽdo,& ſimilibus:ſanctoru martyrũ meritis adæquati conſimilem cum ipſis percipient remunerationem in cœlis. Quoniam licet perſecutor ipſorum non fundat ſanguinẽ, tamen(quod maius eſt) propriam abſcindere voluntatem ſtudent per continuas abſtinentias, immolantes quodammodo ſacrificium confeſsionis quotidianum domino Deo in odoré mirificæ ſuauitatis. Hinc communicatura, volens pro eccleſia orare ſed ſapore carens orabat dominum, vt ſi eſſet ſibi laudabile quod oraret pro eccleſia, etiam ſaporem orandi ſibi præſtaret:)&(ſtatim apparueruerunt ei diuerſi colores, ſcilicet, candor pudicitiæ virginalis, hyacinthinus color confeſſorum ac religioſorum roſeus flos martyrum, & cæteri colores quõrumlibet ſanctorum merita figurãtes. Inter quos dum & ipſa per ſeipſam ad dominum accedere nitens, cõſideraret ſe nullius coloris decore micãtem ſpiritu ſancto (qui docet hominem ſcientiam) inſtigante cœpit ex intimo cordis affectu gratias agere Deo pro omnibus, quos vnq̃ gratia ſua in gradu virginalis dignitatis ſublimauit: orans per amorem quo pro nobis virginis filius fieri dignat⁹ eſt, vt omnes quos in eccleſia elegiſſet ad illã dignitaté mira puritate

Per gratiarũ actionẽ ſanctorũ merita fiũt noſtra.

tate cordis & corporis ad ſuijpſius laudem & gloriam dignaretur conſeruare. Statimque vidit animam ſuam conſimili virginũ candore nitentem. Hinc gratias egit domino pro ſanctitate & perfectione omnium ſanctorum confeſſorum & religioſorum, In quibus ſibi dominus ab initio ſeculi vnq̃ complacuit orans vt quemlibet adhuc militantem in eccleſia ſub religionis habitu dominus conſeruaret vſque in finem vitæ beatã. Et ſtatim addebatur animæ ei⁹ decus hyacinthini coloris. Similiter cũ ꝓ quolibet ſtatu ſanctorũ domino gratias referendo oraret ꝓ augmento & ꝓfectu eccleſiæ, anima ei⁹ p ſplendorem cuiuſlibet coloris ipſum ordinem deſignantis, viſa eſt decorari. Poſtremo vero cum gratias agendo affectuoſius oraret, pro ſtatu amantium Deum, videbatur anima ipſius aureo amictu circumdari. Et cum ſic decore diuerſorum meritorũ eccleſiæ mirabiliter exornata conſpectui domini aſtaret, ipſe decore illius delectatus ait omnibus ſanctis: Ecce iſte adeſt in veſtitu deaurato circũmicta varietate. Sicque extenſo brachio ſuſcepit eã ſuper pectus ſuum ſuſtentandam quaſi prę affluentibus delitijs ſubſiſtere non valeret. Deinde cum inſtaret hora communicandi, & ipſa magnum ſentiret defectum virium,

um,dixit ad dominum. Et qualiter nunc ò amantiſsime, tibi domino Deo vero ſalutari meo in ſacramento ad me venienti aſſurgere potero,cum nec vires mihi ſuppetant,nec alicui commiſerim me iuuandam Reſpondit dominus: Vt quid neceſſe habes adiutoriũ hominũ quæ innixa ſup me dilectum tuum ſuſtentaris vlnis omnipotentię meæ diuinæ. Vnde tibi vires per teipſam ſurgendi & ſubſiſtendi ſufficientes miniſtrabo. Sicque adiuuante eam gratia (quæ antea per longum tempus ſine iuuamine aliorum ſurgere non potuit vel ire) per ſe in fortitudine ſpiritus corpori domini aſſurrexit: cuius participatione ſatiata vnus cũ eo ſpiritus feliciter eſt effecta.

In feſto S. Elizabeth. Quod ſanctis gratiſsimum ſit, vt pro eis Deum laudemus.

CAPVT. LVIII.

IN feſto beatæ Elizabeth cum in ſequentia cantaretur: (Eia mater nos agnoſce) *Sancti agnoſcunt nos & intentionem noſtrã in ſpeculo claritatis æternæ,* iſta deuote ſalutando illam beatam orabat, vt ſui indignæ memor eſſet. Cui illa dixit. Ego agnoſco te ſpeculo æternæ claritatis, in quo perlucide ſplendet omnis intentio operũ tuorũ. Et cũ iſta diceret: Nõne dona

pro

pro detrimento laudis tuæ deputas, quod ego cantando in feſto tuo ſolummodo intendo illi à quo tu cuncta (pro quibus laudaris) gratis accepiſti, ad te quaſi nullum habens reſpectum? Ad quod illa. Nequaquam ait, ſed in infinitum gratius hoc accepto: imo tanto ſuauius per hoc demulces affectum meum quanto aliquē multo plus delectat muſicum inſtrumentum, quam balatus ouium aut mugitus boum.

De meritis & patrocinio S. *Katharinæ.*

CAPVT: LIX.

DVm in die ſancti Auguſtini inter cætera dominus exponens iſti verbum illud. Non eſt iuuentus ſimilis illi, plurimorum ſanctorum ipſi merita demonſtraret: deſiderabat etiam agnoſcere de gloria & meritis ſibi à pueritia ſpecialius dilectæ glorioſæ virginis Katharinæ. Cuius votis dominus fauens oſtendit illi ipſam virginē beatam in ſolio tam ſublimenter eleuato, quod ſi nulla regina eſſet in cœlo, ſatis de iſtius gloria cœlum videretur illuſtratum Apparebant etiam infra eam quinquaginta illi oratores, quos ipſa ſpiritu diuinæ ſapientiæ ſuperatos direxit ad cœlū. Qui omnes aurea ſceptra in manibus tenentes, ca-

pitella eorum ſuper veſtes eiuſdem virginis declinando, ipſam cum eiſdem in modum florum miro modo exornabāt. In eiſdem etiam floribus relucebat quaſi mirifico opere intextum omne ſtudium, cui ipſi rhetores pro acquirenda ſapientia inſudarant. Per quod notabatur, quòd illa ſtudia idcirco egregiam virginem decorabant, quoniam ipſi oratores eam pro inani gloria penitus expendiſſent. Sed beata virgo ſummo ſtudio conabatur ipſos cum omni ſapientia ſua conuertere ad gratiam fidei in laudem ſui creatoris. Videbatur etiā dominus frequentius prȩcelſæ virgini prȩbere oſcula delicata, & per ea (vt ſupra dictū eſt de beata Agnete) immittere illi velut per afflatum omne delectamentum, quod ipſa ſibi intraxit de cordibus electorum eiuſdem virginis in terris memoriam agentium. & inde videbatur corona capitis eius mira varietatis vernantia reflorere in omnes ſibi deuotos mirificum dans reſplendorem.

Fructus venerationis ſanctorum.

In dedicatione templi. Quòd verba detractatoria ornent animam. De virtute oblationis cordis & tribulationis. Et de gaudio domini ſuper quolibet pœnitente.

CAPVT LX.

CVm in feſto dedicationis eccleſiæ ad matutinas legeretur Regina Saba venit ad regem Salomonem. Et infra: Cum gemmis virtutum, iſta compuncta dixit ad dominum: Heu mihi benigniſſime Deus, & qualiter ego tantilla perueniã ad te, quæ nec veſtigium cuiuslibet virtutis recogno ſco in me? Ad quod dominus: Scis ne tamen hoc, quòd aliquando detrahentium diuerſitate moleſtaris? Et illa: Scio domine, quia heu exigentibus culpis, proximis ſæpè fui cauſa ſcandali. Cui dominus: Ergo ſingula detrahentium verba ſume tibi loco virtutum, quibus exornata peruenias ad me: & ego compaſſiua pietate mea com pulſus, benignè ſuſcipiã te. Et quanto plus conuerſatio tua ſine culpa reprobatur, eo amplius cor meum amatoria blanditate tibi condeſcendit: quia per hoc efficieris mihi ſimilima, qui in operibus meis ſemper habui peruerſores. Hinc ſub Reſponſ. (Benedic) introduxit eam dominus in locũ vltra quam dici poſſet admirabilem, ſcilicet cor Ieſu Chriſti, quod diſpoſitum erat ad modum domus, in qua erat feſtum dedicationis celebratura. Quam cùm ingreſſa ſibi videretur deficere præ inæſtimabili affluentia delectationum, dixit ad dominũ:

Do-

Domine mi, ſi ſpiritum introduxiſſes in aliquem locum in quo ſtetiſſent pedes tui, optime ſufficeret mihi: ſed quid attentabo tibi reſpondere pro tam ſtupenda dignatione, quam modò mihi exhibes: Ad quod dominus reſpondit: Ex quo tu ſtudes mihi dígniorem partem ſubſtantiæ tuæ, ſcilicet cor tuum ſæpius præbere: congruum iudico, vt & ego pro omni delectamento cor meum tibi exhibeam, qui ſum Deus tibi in omnibus omnia, virtus, vita, ſcientia, victus, veſtis, &c. quæ velle poteſt mens mea. Tunc illa: Quod vnquã in aliquo tibi cor meum cõſentire potuit, hoc idem domine mi, donũ tuum erat. Et dominus: Naturale mihi eſt, vt quemcunq; præuenero in benedictionibus dulcedinis, etiam ſubſequar in beatitudinibus remunerationũ. Et ſi quis mihi cooperatur, vt eum mihi coaptem ſecundum beneplacitum cordis mei, neceſſe eſt vt & ego me illi conformem ſecundum omnem beneplacitũ cordis ſui. In his delectamentis dum illa per cognitionem ſpatiaretur: apparuit illud diuinum gazophylacium circa ſe ex quadratis gemmis diuerſi coloris ædificatum, quæ gemmæ videbantur aureis colligamentis velut pro cæmento compactæ. Et dum diligentius reſpiceret, vidit in ſingulis mirabilem

De virtute oblationis cordis

quandam alludentem rutilantiā. Per quod intellexit, quomodo in futuro in quolibet electo ſpecialis gratiæ dignitas omnibus beatificatis iucundum præbebit oblectamentum. Nam per dictam diſpoſitionem prædictarum gemmarum intellexit in corde diuino omnium electorum prædeſtinationem, & quòd electi tenentur ſe inuicem ſupportare: ſicut lapis lapidem ſupportat in muro. Per hoc autem, quòd colligamentum gemmarum ex auro fuit, intellexit quòd prædicta ſupportatio fidelium adinuicem fieri debet ex charitate, & pura intentione propter Deum. ¶ Alia vice, dum in vigilia dedicatìonis in ſimilitudine Heſter reginæ indumentis regalibus ſpecialiū ſtudiorum domino cooperante decenter exornata ipſi regi regum domino aſtaret pro populo ſuo, id eſt, eccleſia ſupplicatura, ſuſcepta eſt ab ipſo vero Aſſuero in tantæ blanditatis exhibitione, quòd admiſſā ſibi videbatur intra ſacrarium dulciſſimi cordis ſui. Audiuitque dominum blandè ſibi dicentem ſibi: Ecce exhibeo tibi totam abundantiam dulcedinis cordis mei diuini, ex qua liberaliter partiri poteris vniuerſis quantumcunque volueris. Tunc iſta tanquam manu hauriens de corde domini, aſperſit in multitudinem aduerſariorum, qui

qui tunc minis ſuis conturbauerunt villā. Quo facto cognouit, quòd quemcunq; illorum aliqua guttula illius attigiſſet aſperſionis (quam ex corde dominico hauſit) hunc in ipſo operabitur effectum, quo veraciter compungetur per veram pœnitentiam ad ſalutem. ¶ Hinc affectuoſius orās pro quadam perſona, videbatur menſuram bonam de corde domini hauſtam cordi illius infundere. Quæ ſtatim poſt receptionem eiuſdem in amaritudinem eſt conuerſa. Super quo dum iſta miraretur, taliter à domino eſt inſtructa: Cùm quis amico ſuo nùmmos tribuit, ille qui accipit eos, libertatem habet comparandi pro eis quicquid voluerit. Et cùm pro ſimili precio comparari poſſint poma dulcia & acida, quidam tamen libentius emunt acida, eo quòd videntur eſſe durabiliora. Similiter cùm ego precibus electorum meorum deflexus alicui gratiam infundo, ipſa operatur in eo ſecundum quod magis cuiuslibet congruit vtilitati. Verbi gratia: Quibuſdam magis cōgruit in præſenti diuerſis grauaminibus potius quàm dulcedine conſolationis exerceri. Ideoq; cùm ipſis gratiā infundo, conuertitur in amaritudinem præſentium grauaminum & tribulationum, per quas magis magisq; gratiæ meæ coaptantur ſecun- *De vtilitate grauaminum & tribulationum.*

 dum

dum optimum beneplacitum cordis mei diuini. Quod quamuis ipſos lateat in præſenti, tanto tamen dulcius experientur in futuro, quanto hic fidelius laborauerunt aduerſitates quaſque pro amore nominis mei ſufferendo patienter. ¶ Sub matutinis verò dum Deo ſibique intenderet, & cantaretur Reſponſ. (Vidi ciuitatem) commonefecit eam dominus cuiuſdam verbi, quod ipſa ſæpius hominibus ſolebat proponere ad animandum eos, vt habeãt fiduciam ad Deum, & dixit: Vt cognoſcas & magis certificeris, modo oſtendam tibi, quanta dignatione accepto, quòd anima fidelis poſt tranſgreſſionem reſipiſcens, & ad me rediens, compungitur pro tranſgreſſione cum propoſito de cętero pro poſſe ſuo me auxiliante, peccata cauendi. Hęc cùm diceret, filius regis ſummi imperialibus honorificè inſignitus proceſſit ante thronum gloriæ Dei patris idem Reſponſorium altiſona voce dulciter decantans & dicens: (Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem) In quibus verbis intellexit inæſtimabilem dulcedinem, qua cor diuinum afficitur, quoties aliquis cum mœrore recolit ſe per dignationem cordis, vel diſſolutionem verborum, aut operum inutilium recidiſſe à domino Deo ſuo, qui tam continuis bene-

De gaudio domini ſuper quolibet pœnitente.

neficijs præuenit & ſubſequitur ipſum. Et cum deſiderio proponit ſimilia de cætero velle cauere. Quod quotieſcunque facit, toties filius Dei inæſtimabili nouæ exultationis ſuauitate affectus eadem verba vel ſimilia concinit Deo patri. Videbatur etiam huic, quod poſt illa verba (Et audiui vocē magnam de throno dicentem) filius Dei interponeret ſingula verba illa, quæ cor compunctū in cogitatione pertractat, hoc vel ſimili modo dicens: Eia, heu me miſeram, qualiter conſumpſi tempus iſtud domino Deo amatori meo non intendendo, & ſimilia. Et hæc filius Dei in perſona humanitatis velut in grauibus concinuit, quaſi diſcantum ſuauiſſimum faciens cum Deo patre, qui per modulos diuinitatis, ſeu in acutis ſuperexcellētiſſimè cantabat, (Ecce tabernaculū Dei cum hominibus) quaſi in admirationem prouocaret omnē cæleſtem militiam ſpirituum beatorum. Per quod dabatur intelligi, quòd ille, qui ſic compunctus integrâ voluntate proponit de cætero emendationem malorum ac ſtudium bonorum operum, veraciter efficitur tabernaculum Dei, in quo tanquam in domo propria habitare dignatur dominus maieſtatis, ſponſus animæ amantis, qui eſt benedictus in ſecula. Hic Deus pater vene- *Quomodo efficiamur tabernaculum Dei.*

rabili manu ſua dans benedictionem, ſubiũxit (Ecce noua facio omnia) Per hoc inſinuans, quòd per talem compunctionem & diuinam benedictionem, ac filij Dei ſanctiſſimam conuerſationem ſupplentur & renouantur in anima fideli quæque neglecta. Et inde fit gaudium in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonagintanouem iuſtis qui non indigent pœnitẽtia. Quia infinita bonitas Dei tales dignatur in anima veraciter pœnitente delitias perſemetipſam operari. Et adiecit dominus: Cùm quamlibet animam fidelem per præſentis vitæ terminum deduco ad cæli palatium in illa via mirabili, videlicet in ingreſſu cæli, inter alia quibus ipſi tunc blandior, oblectamenta, prędictũ dulciter decanto ipſi canticum, ſcilicet (Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam aſcendentem de terra) Per quæ verba vno momento infundo illi ſimul omnia oblectamenta, quæ tam ego quàm omnis cæleſtis exercitus vnquam perſenſit diuerſis horis, de qualibet ipſius compunctione.

Neglecta quomodo ſuppleantur.

In dedicatione Capellæ. De præſentia & gratia Dei in loco ſacro. Et quomodo per angelos ſuppleamus debitas Deo laudes.

CA-

CAPVT LXI.

COnſecrata Capella dum ad matutinas cantaretur Reſponſ. (Vidi ciuitatem) apparuit dominus in forma pontificali ſuper cathedram ad parietem verſus ad altare, coaptans circa ſe veſtes ſuas, quaſi ſibi locum illum elegiſſet ad inhabitandũ. Quod cùm iſta videret, conſiderans quòd remotus eſſet à loco illo, quem ipſa elegerat ad orandum, magno deſiderio videbatur eum ſibi propius attrahere. Ad quod dominus: Cùm ego, inquit, cælum & terram impleam, cur non & domum iſtam? An ignoras, quòd multo attentius obſeruatur locus, quem ſagitta penetrat, quàm locus in quo tenditur arcus: Sic ſcias me non tam efficaci affectu agere vbi corporeus appareo, quàm vbi eſt theſaurus meus, & integer oculus diuinitatis meæ delectatur. Extenſaque manu miraculoſe, tetigit altare ſanctum, quaſi iuxta illum eſſet, dicens: Et hoc eſt ibi. Ac ſubintulit: Qui quærit ſalubriter gratiam meam, in beneficijs euidentius inueniet me, & qui quærit fideliter amorem meum, in intimis ſuauius me ſentiet. Per hæc verba intellexit, quod magna diſtantia eſt inter eos, qui ſalutem non tantum corporis, ſed etiam animæ ſuæ quærunt ſecundum diſpoſitionem

Elegantiſsimilitudo.

Committere nos debemus cum fiducia diuinæ prouidentiæ.

nem propriæ voluntatis: & illos & qui ſe fiducialiter diuini amoris prouidétiæ committunt. ¶ Item dum in miſſa cantaretur, [Domus mea domus orationis voca.[dominus dextra manu ſua videbatur tangere præcordia ſua, & quaſi ex integro cordis affectu prorumpere in hæc verba: Hoc integro affectu dico, [In ea omnis qui petit accipit, &c.] Et extendens brachium, quaſi deſurſum porrecta manu in medium templi ſic perſtitit tanquam continue eam ibidem contenturus ad beneficia largienda. Item dum infra hebdomadam ſuper Benedictus cantaretur Antipho. [Fundamenta templi eius] apparuerunt in ſummitate murorum angelici ſpiritus quidam amabilis faciei & compoſiti habitus, qui deputati erant pro cuſtodia templi, ad depellendas inſidias inimicorum. Aureis etiam alis ſe inuicem tangentes, dulce reddebant melos in laudem diuinitatis. Videbantur etiam ſingulis vicibus à ſummis ad ima deſcendere, in ſignum quòd aſſiduè benigno affectu in loco eodem ciues ſuos viſitarent, & ab omni malo cuſtodirent. ¶ Feſto verò dedicationis eiuſdem, dum iſta lecto decumbens, ſub matutinis intendere ſtuderet eiſdem quæ ante aliquot annos acceperat à domino ſpeciali do-

Angeli templorum defenſores.

dono, videlicet vt nouem ordines angelorum pro ea perſoluerent Deo laudes & gratiarumactionem quaſcunque ipſa minus præualeret ſoluere, impediente humana fragilitate, & ex talibus miram in ſpiritu ſentiret delectationem (de quibus multa poſſent dici, quæ cauſa breuitatis omiſi) tandem vidit fluuium quendam eximiæ puritatis criſpantibus aquis profluere per totam latitudinem cæli. Et ſicut ſol refulgens: ita claritas Dei amœnum contuentibus ſplendorem reddidit in aqua, ita vt quælibet criſpa fluuij delectabiliter coruſcaret quaſi mille ſoles fulgerent in cælo. Per flumen illud intellexit notari gratiam deuotionis, qua ipſa tunc fruebatur domiuo largiente. Per criſpas verò, omnes illas cogitationes, quas cum ſtudio & labore direxerat ad Deum. Tunc inclinans ſe rex gloriæ, calicem aureum immiſit in fluminis illius profundũ, eundemque vſque ad ſummum repletum extrahens, omnibus ſanctis propinauit. Vnde ſinguli nouę delectationis & gaudij copiam haurientes, proruperunt in laudes & gratiarumactiones pro omnibus gratijs animæ iſti à largitore omnium bonorum vnquam conceſſis. Videbantur etiam ex inferiori parte calicis iſtius quædam

Per angelos ſupplere poſſumus laudes Deo debitas.

aureæ fiſtulæ progredi verſus perſonas quaſdam, quę vice illa promouerât eam ad hoc, vt liberius Deo vacare poſſet, & etiam ad omnes qui ſe orationibus eius commendauerant. Per quas fiſtulas diuinam conſolationem erant percepturæ. Tunc anima dixit ad dominum: Et quid ipſis prodeſſe poteſt hoc, quòd ego iſta video & intelligo, cùm ipſi ea non ſentiant? Ad quod dominus: An non prodeſt (inquit) patrifamilias quòd implet cellaria ſua plauſtris vini, cuius ſuauitatem tamen ſingulis horis nô deguſtat. Attamen quotieſcunq; ſibi placuerit, poteſt quantitatem vini pro libitu ſuo emittere & vſque ad ſatietatem bibere? Similiter cùm ego ad preces electorum meorum alijs gratiam infundo, quamuis ſtatim non ſentiant ſaporem deuotionis, tamen ex hoc tempore congruenti dignationem meam ſuauius experientur.

Elegans ſimilitudo.

Miſſa deuota quam ſummus pontifex Ieſus huic ſponſæ (dum viueret in corpore) decantauit, eiq; ſacram communionem tradidit. Inſinuans nobis per has ſimilitudines, quòd quotidiè ſeipſum patri offert pro nobis in cælis: quoties per miſſarum officia patri immolatur in terris.

In

IN dominica Gaudete in domino, &c. dũ hæc virgo eſſet communicatura, & ſub prima miſſa, quæ erat (Rorate) mœſta querularetur domino, quòd audire non poſſet miſſam: pauperis ſuæ miſertus omnipotens dominus, blandè ipſam conſolabatur, dicens: Vis ne dilecta, vt ego ipſe decantem tibi miſſam? Quæ ſtatim rapta in ſpiritu, reſpondit: Etiam o dulcor animæ meæ, hoc toto cordis affectu ſupplex oro. Et qualem miſſam (ait dominus) delectat te audire? Reſpondit: Quamcunque tu cantare deliberas. Num, inquit dominus, audire vis, (In medio eccleſiæ) Reſpondit: Non. Cumque dominus plures miſſas ſibi nominatim propoſuiſſet, & illa nullã illarum deſideraret, poſtremò requiſiuit ab ea dominus, an (Dominus dixit) delectaretur audire? Quam cùm ſimiliter non poſtularet, dixit illi dominus: Ego in ſingulis verbis illius introitus benè poſſem te tali intellectu donare, vt exinde conſolareris mirificè. Illa verò intra ſe cogitante qualiter hoc fieri poſſet, eo quòd verba illius introitus ſolummodo Dei patris vnigenito cõgruere viderentur: Dominus vna cum omnibus ſanctis inchoauit alta voce introitum dominicæ tunc inſtantis, dicens (Gaudete in domino ſem-

per,&c.) In his verbis miro modo incitans ſe eam ad lætandum & delectandum in ſe. Sedebatque dominus in throno regiæ maieſtatis ſuæ, & anima procidens ad pedes eius dulciter deoſculabatur eos. Hinc clara voce ſubiunxit: Kyrie eleiſon. Et ecce duo præclari principes de choro thronorum aduenerunt, aſſumentes animam, & deducentes ipſam ante conſpectum Dei patris: quæ protinus corruens in faciem ſuam, adorabat proſtrata. ¶ Cui Deus pater per primum Kyrie eleiſon plenam remiſſionem omnium peccatorum quæ ex humana fragilitate contraxerat, benignè donauit. Poſt hoc prædicti principes leuabant animam ſuper genua. Sicque per ſecundum Kyrie eleiſon indulgentiam omnium peccatorum quę ex humana commiſerat ignorātia, percipere meruit. Hinc iterum eleuata à prædictis principibus, & ſtās inclinata quaſi deoſcularetur veſtigia domini, percepit remiſſionem omnium peccatorum, quæ commiſerat malitioſe. Deinde aduenerunt duo inclyti duces de ordine Cherubim, qui circundantes animam, conducebant eam ad filium Dei. Qui blandè ſuſcipiens eam inter ſuaues amplexus diuino cordi ſuo eam applicuit. Tunc anima per deſiderium intraxit ſibi omnem

de-

delectationem, quam vnquam in amplexibus humanis aliquis perſenſit, & illam per primum Chriſte eleeſon de corde ſuo in cor diuinum quaſi in originem propriam refudit. Vnde omne delectamentum totius creaturæ proceſsit. Et hoc fiebat per quendam mirabilem influxum Dei in animam & refluxum animæ in Deum: ita, qd per ſingulas notas deſcendentes, cor diuinum cum ineffabili delectatione flueret in animam, & per notas aſcendentes anima cum omni delectamento refluεret in Deũ. Ad ſecundum Chriſte eleeſon anima intraxit ſibi omnem delectationem quam vnquam aliquis expertus eſt in oſculis; & illam ſimiliter vnico ſuo prædilecto per ſuaue oſculum quod ori eius mellifluo impreſsit, offerebat. Ad tertium autem Chriſte eleeſon, filius Dei expandens manus ſuas omnem fructum ſanctiſsime conuerſationis ſuæ animæ illius operibus couniuit. Poſtremo Duo præcelſi primates de choro ſeraphim procedentes, animam illam tollentes eam ſpirituiſancto præſentabant reuerenter: qui tres animæ vires pertranſiens per primum Kyrie eleeſon, rationalem vim animæ ſplendore ſuæ, diuinitatis perluſtrauit, ad cognoſcendam ſuam, in omnibus, laudaliſsimam

vo-

rum in ſolio ſuo reſedit. Anima vero ad pedes eius procedens ſedebat in conſideratione & abiectione propriæ voluntatis. Ad quam dom̄inus dignantiſsime ſe inclinans manu venerabili eam ad ſe alliciebat. Quæ protinus aſſurgens & coram domino ſtans, diuini illius ſplendoris claritate mirabiliter ab ipſo tota illuſtrata eſt. Et ecce duo præclari proceres de ordine Thronorum aduenientes, attulerunt thronum quendã miro modo decoratum, quem deponentes coram dominino detinebant ipſum reuerenter. Dehinc duo inclyti duces de throno ſeraphim animam aſſumentes ſuper ipſum thronum depoſuerunt à dextris & à ſiniſtris eam amicabiliter ſuſtentãtes. Duo quoque glorioſi primates de ordine cherubin ferentes duo præclara luminaria, ſtabant coram anima. Sicque illa coram dilecto ſuo reſidens in gloria videbatur ipſi in regali purpura ſimili decore refulgere. Cœleſtis vero exercitus quandocumque canendo perueniebat ad aliqua verba Deo patri conuenientia, vt eſt illud [Domine deus rex cœleſtis] ſtatim vnanimiter conticuit: & tunc ille filius Dei ſolus in laudẽ & gloriam Dei cum ſumma reuerentia cõcinuit. ¶ Finito quoque [Gloria in excelſis] dominus Ieſus ſummus ſacerdos & verus,

rus pontifex exurgens, animam dulciter ſalutando decantabat, dicens: (Dominus vobiſcum dilecta) Cui anima vicem recōpenſans lætanter reſpondit (Et ſpiritus meus tecum prædilecte) Ad quod Dominus cum maxima gratitudine ſe inclinans, grates agebat animæ pro eo, quod ipſa ſe ad hoc aptauerat quod ſpiritum ſuum counire potuit ſuæ diuinitati: cuius delitiæ ſunt eſſe cum filijs hominum. Hinc proſequens dominus legit Collectam (Deus, qui hanc ſacratiſsimam noctem veri luminis illuſtratione feciſti clar.) Quam concludens tali terminauit fine, dicens. (Per Ieſum Chriſtum filium tuum) quaſi gratias agens Deo patri pro illuſtratione illius animæ cuius vilitas notabatur per illam dictionem (noctem) quæ ideo dicebatur ſacratiſsima, quia per cognitionem vilitatis ſuæ mirabiliter eſt nobilitata. Tunc exurgens floridus ille iuuenis & delicatus, qui ſuper pectus domini ſe recubuiſſe gloriatur Ioannes videlicet euangeliſta, flauis veſtibus indutus, quæ aureis aquilis vndique erant intextæ: & ſtans inter ſponſum & ſponſam, hoc eſt inter Deum & animam illam, vnum latus verſus dominum & aliud verſus animam conuertens, clara voce concinebat: Epiſtolam, dicens.

(Hæc eſt ſponſa) Dehinc totus cœtus ſanctorum omnium concludens canebat (Ipſi gloria in ſecula) Poſt hæc omnes ſimul cantabant Graduale (Specie tua & pulchritudine tua) adiungentes verſum, vicz. illum Audi filia & vide, Cumque poſt hoc inchoaſſent Allelu. Paulus doctor egregius indice manus dextræ oſtendens illam animam ſubiunxit, Aemulor enim vos, Sicque totus exercitus conſonans ſubſecutus eſt cætera, adiungens Sequentiam, Exultent filiæ Sion, in honorem animæ illius, in quib⁹ omnib⁹ ipſa mirabiles & inenarrabiles delectationes intellectus percepit. dũ vero in ſequẽtia cãtaretur verſus ille dũ nõ cõſentiret, anima negligentius ſe cuilibet tẽtationi iudicãs reſtitiſſe, quaſi præ verecũdia vultũ ſubducere conabatur. Sed dominus animæ zelator caſtiſsim⁹ verecũdiam ſponſæ nõ ſuſtinens, ꝓtinus talẽ eius negligentiã aureo quodam & nimis mirabiliter cõpacto monili, p ꝙ glorioſiſsima ſua victoria, qua ipſe omnes inimici inſidias potẽter deuicit, prænotabatur, penitus nõ texit. Deinde alter euãgeliſta accedẽs inchoabat euangelium, Exultauit dominus Ieſus in ſpiritu & dixit, In quibus verbis ipſa charitas Deus ſtimulis incontinẽtis amoris prouocatus, & totus dulcore diuinitatis

tatis pertranſitiue commotus, ſurrexit & eleuatis manibus ſequentia euangelij verba ſuauiſsima melodia decantauit, dicens [Cōfiteor tibi pater cœli & terræ] commonefaciens cœleſtem patrem cum quanto feruore cordis & gratiarum actione eadem verba dixerat in terris. Et per ſingulas dictiones ſpecialiter gratias agebat pro beneficiis animæ illi quæ his meruit intereſſe vnquā impenſis vel impendendis. Finito euāgelio dominus innuit animæ vt in perſona eccleſiæ fidem catholicam publice profitēdo decantaret: Credo in vnum Deū. Quod cum feciſſet, chorus ſanctorum ſubſequens decantabat Offertorium (Domine Deus, in ſimplicitate) adiungens. Sanctificauit Moſes. Quod dum cantaret, cor domini Ieſu vnice digniſsimū de pectore ſuo viſum eſt prominere in ſimilitudine aurei altaris ignifero ſplendore mirifice rutilantis. Tūc aduolantes omnes angeli qui in miniſterium hominum erant deputati, ſuper altare illud dominici cordis, obtulerunt cum ingenti gaudio viuentes aues: per quas figurabantur omnia bona opera & orationes à ſibi commiſſis peracta. Deinde omnes ſancti accedentes, ſingulatim ſua merita offerebant ſuper idem altare Domino ſuo in laudem æternam, & ad ſalutem animæ ibi pre-

preſentis. Poſtremo omnium aduenit princeps quidam magnificus, videlicet angelus huic virgini in cuſtodem deputatus à domino, ferens aureum calicem, quem ſimiliter ſuper aũrcum diuini cordis immolauit. In quo erant omnes tribulationes, aduerſitates, & grauamina: quæ iſta beata tam in corde quam in corpore pertulerat ab infantia ſua vſque modo. Quem calicem dominus ſtatim ſigno ſanctæ crucis benedixit more ſacerdotis hoſtiam conſecrantis, quo peracto, impoſuit ſuauiſona voce dicens (Surſum corda) Vnde omnes ſancti prouocati, accedentes corda ſua ſimilitudire aurearum fiſtularum erigentes, applicuerunt ea ad altare aureum cordis diuini, ad hoc vt de ſuperfluentia calicis illius, quem dominus tanto ſtudio benedicens ſacrauerat, aliqua ſtillicidia mererentur accipere in augmentum meriti gaudij & gloriæ ſuæ. ¶ Hinc proſequens filius Dei (Gratias agamus, &c. Vere dignum) cum intentiſſima deuotione in virtute deitatis ſuæ ſuauiſone decantabat, laudem & gloriam Dei patris & in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs huic electæ impenſis ac impendendis hic & in futuro. Cumque in præfatione decantaſſet (Per Ieſum Chriſtum) ad horam conticuit & totius cœleſtis exercit•

cum

cum reuerentiſsma iubilatione perſonabat dicens, Dominum noſtrum, quaſi cum ineffabili gaudio profiterentur ipſum ſolum eſſe dominum Deum creatorem & redemptorem ac omnium bonorum ſuorum liberaliſsimum largitorem, cui ſoli digne debetur omnis honor & gloria, laus & iubilatio poteſtas & imperium, omniſque creaturæ obſequium. Cum vero decantaret, Per quē ma. tuam laudant angeli, omnes ſpiritus angelici cum inenarrabili tripudio aduolabant, plaudentes manibus, tanquam cœleſtem curiam prouocarent ad laudandum dominum In illo autem verbo, adorant dominationes, idem chorus ſuper genua ſua procidens adorabat dominum, confitendo ipſum ſolum eſſe cui rite genu flectatur omne, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et cum adiungeret, Tremunt poteſtates, totus ordo poteſtatum continue ſe proſternebat in faciem ſuam, ad conteſtandū ipſum ſolum eſſe ab omni creatura venerādum dicens etiam, Cœli cœlorumque virtutes ac beata Seraphim, ipſi cum cæteris angelorum ordinibus inæſtimabilis ſonoritatis ſuauitate concinentes dominū collaudabant. Hinc tota ſanctorum militia in ſimul ſuaui concentu iubilans, reſonabat dicens, Cū quibus & noſtras voces vel admitti

mitti iubeas, deprecamur, Deinde cœlicæ amœnitatis roſa prefulgida, ſup omnes creaturas benedicta, virgo Maria progrediens ſuauiſsima voce intonuit, Sanctus, ſanctus, ſanctus, extollēdo cū maxima gratitudine in illis tribus verbis incōpræhenſibilē omnipotentiā & inſcrutabilē ſapientiā & dulciſsimam beneuolentiam ſummæ & indiuiduæ Trinitatis ſimulque ad congratulandum ſibi omnem cœleſtem exercitum, prouocans pro eo quod ipſa virgo Maria expreſsiſsima Dei imago potentiſsima poſt Deum patrem ſapientiſsima poſt filium ac benigniſsima, effecta eſt poſt ſpiritum ſanctum paracletum Hinc omnes ſancti ſubſequebantur, dicentes (Domine Deus ſabaoth.) Quo finito dominus Ieſus verus ſacerdos & pontifex ſummus, de ſolio ſuo imperialis exurgēs videbatur cor ſuū beatiſsimum quod in ſimilitudine aurei altaris comparuit, proprijs manibus eleuando Deo patri præſentare, ſeque metipſum tam ineffabili & inæſtimabili modo pro eccleſia ſua immolare, quod nullius creaturæ dignitatis ad hoc compræhendendum valet ſaltem aliquatenus aſpirare. In ipſa vero eadem hora, qua filius Dei diuinū cor ſuū obtulit Deo patri, pulſabatur campana ad eleuationem hoſtiæ in eccleſia. Sicque factum

ctum eſt, vt vno eodem quo momento dominus hoc perficeret in cœlis, quod per ſacerdotis miniſterium agebat eccleſia ſua in terris: ipſa penitus ignorante, quæ nam eſſet hora, aut quid cantaretur in miſſa. Cúque anima in admiratione tam incompræhenſibilis, operationis diuinæ multum delectaretur, innuit ei dominus, vt legeret pater noſter, in vnione illa qua eadem oratio in dulciſsimo corde ſuo mul to tempore fuit dulcorata & ad ſalutẽ omnium fidelium ex maximo affectu prolata. Quod cum illa legens compleſſet dominus hoc ab ea gratiſsime ſuſcipiens, omnibus angelis & ſanctis per talem eius affectum donauit, quod cum illo pater noſter, perficerent omne, quod vnquam per aliquam orationem perficere poſſent ad ſalutem totius eccleſiæ & etiam fidelium defunctorum. ¶ Hinc iterum innuit dominus animæ, vt oraret pro eccleſia. Cumque deuotiſſime oraret pro omnibus generaliter & pro ſingulis ſpecialiter, dominus illam ora tionem in vnione omnium orationum & operum ſanctiſsimæ humanitatis ſuæ vniuerſali eccleſiæ communicauit cum tanto fructu: quantus vnquam per aliquam orationem poteſt obtineri dicens. Oratio iſta mihi modo per te oblata pro eccleſia erit

Quo affectu legenda oratio dominica.

ipſi

ipſi incomparabiliter ſalus ſalutem ſuper. abundans pro ſui ſublimitate (ſicut dicitur) canticum canticorum. Tunc illa: Eia mi domine, quæ iam debet eſſe Communio: Cui dominus blandè reſpondit: Hoc non ſolum aure percipies cordis, ſed etiam in omnibus medullis animæ ſuauiter perſenties. Et aduocans eam ad ſe, & in ſinu ſuo delicatis eam ſtringens amplexibus, & oſculis prædulcibus demulcens, tanta dignatione ipſam ſuæ diuinitatis virtute mirabiliter penetrando influxit, eamque viceuerſa reintrahens, & in ſe tranſmutans, ſecumq; vnum efficiens beatificauit, quantum poſſibile creditur hominem fragili carne grauatum experiri poſſe. Et ſic in tali vnione ipſam etiam ſacramentaliter ſanctiſſimi corporis & ſanguinis ſui perceptione ſibi couniuit. Cumque communicata eſſet, tunc cantor cantorum, imo zelator ardentiſſimus ſuorum dilectorum, penetratiua ſonoritate inchoauit (Ecce quod concupiui, iam video: quod ſperaui, iam teneo: illi ſum iunctus in ſpiritu, quam in terra poſitus tota ſynceritate dilexi) in illo verbo (In terra poſitus) palam proteſtans, quod omnes labores, tribulationes, & aduerſitates quas pertulit in terris, adeo ſingulariter pro ſalute huius

animæ perfecit, quòd ſi nullum alium totius ſuæ ſanctiſſimæ conuerſationis, innocentiſsimæ paſsionis, & amariſſimæ mortis, potuiſſet obtinuiſſe fructum, ſatis ſufficienter iudicaret ſibi ſatisfactum in tam præcellenti vnione: quam illa hora perfecerat in iſta anima. O inæſtimabilis diuinæ dignationis ſuauitas, quæ tam auidè deſiderat delectari in anima humana, quòd omnem ſuæ dignifsimæ paſsionis & mortis dolorem iudicat recompenſatum ex vnione vnius, cui tamen iuſtiſsimè pro vna gutta ſui precioſiſsimi ſanguinis iure obligatur totus mundus. ¶ Poſt hæc iterum dominus cecinit: (Gaudete iuſti) quod totus exercitus cæli ſubſequens compleuit, quaſi congratulando animæ illi. Hinc dominus in perſona militantis eccleſiæ in terris complendam dixit: Refecti cibo potuque cæleſti, Deus noſter, te ſupplices exoramus, vt in cuius hæc commemoratione percepimus, eius muniamur & precibus. Per Ieſum Chriſtum filium tuum. Poſt hæc dominus dulciter ſalutans omnes ſanctos, concinuit: (Dominus vobiſcum) Et in illo verbo ob reuerentiam illius vnionis, quam tam dignanter in anima illa perfecerat, omnium ſanctorum merita gaudium & gloriam magnoperè dupli-

plicando cumulauit in cælis. Tunc omnes chori angelorum ſanctorum pro (Ite miſſa eſt) in laudem & gloriam præfulgidæ ſemperque tranquillæ Trinitatis, altiſona voce reſonabant, (Te decet laus & honor domine) Tunc filius Dei extenſa manu ſua regali, benedixit animam, dicens: Benedico te filia luminis ſempiterni tali effectu, quòd cuicunque tu deinceps bonum exoptaueris ſpeciali affectu, ille intantum ex hoc beatificabitur præ alijs, quantum Iacob olim præ cæteris fratribus ſuis adeptus eſt proſperitatis ex benedictione Iſaac patris ſui. Sicque ad ſe reuerſa, dilectum ſuum indiſſolubili vnione intimis ſuis perſenſit aſtrictum.

LIBRI QVARTI FINIS.

INSINVATIONVM DIVINAE PIETATIS LIBER QVINTVS, CONTInens nonnulla de ſtatu animarum ex hac luce migrantium, quibus de præparatione ad mortem multa vtiliter ſunt permixta.

ARGVMENTVM IN LIbrum quintum.

QVintus hic Liber reuelationes tradit ſalubres, quomodo ad ſalutiferam ſe quiſque debeat præparare mortem, hilari ac reſignato animo ſuſcipiendam, Dei ſanctorumq; auxilium implorare. Quomodo item æquiſsima diuinæ iuſtitiæ cenſura vnicuique poſt mortem reddit iuxta opera ſua: tametſi in charitate decedentibus eius prouideat miſericordia, vt per orationes perq; alia pietatis opera viuentium, ſubueniatur. Horum autem nonnulla quæ defunctis magis proſint, in hoc libro traduntur exercitia: è quibus ea potiſsimè præ alijs valent, quæ ex inexhauſto meritorum Christi theſauro accepta, pro animabus eiſdem offeruntur. Et in hoc ipſo quoque Dei miſeri-

cordia

coroia bonitatiuq; dulcedo nimia mirum in modum commendatur, quæ miſeris deſolatiuq; peccatoribus omnibus remedium tradit, quo ex delictis delictorumque pœnis, ſi voluerit, ta m ſe quàm alios liberent.

DE SANCTA CONVERSATIONE DOMINAE GERtrudis Abbatiſſæ, quomodo Deus delectetur in corde tribulato, de diſcreta refectione, communione, & exercitio infirmorum. & de merito eis inſeruientium.

CAPVT I.

DEO dilecta & ſpiritu ſancto plena, ſynceræque charitatis brachijs amplectenda, venerabilis memoriæ domina Gertrudis, benigniſſima & omni laude & honore digna Abbatiſſa XL. annis & XI. diebus officium Abbatiſſæ ſapienter, ſuauiter, & prudenter, cum mirabili diſcretione Deo laudabiliter, ac hominibus vtiliter rexit in feruentiſſima charitate & deuotione: quantum ad Deum, in maxima pietate ac ſolicitudine: quantum ad proxi-

proximum, in profunda humilitate & afflictione quantum ad ſeipſam. Fuit nanque ſtudioſiſſima in viſitâdis infirmis ipſis neceſſaria procurando, proprijſque manibus eos iuuando, tam ad recreationem, quam ad pauſationem, & alia quæcunque neceſſaria, à quibus eam affectus non repelleret ſubditorum violenter. Nec ſolum in his, ſed etiam in alijs, ſicut in emũdando, clauſtrum, & componendo incompoſita, quandoque prima, imo frequentius ſola laborabat: quouſque ſubditos induxit, vel magis allexit ſuo exemplo ſiue blandis verbis ad ſe iuuandum. His alijſque diuerſis imo vniuerſis virtutibus cùm floreret per totã vitam ſuam (vt roſa) tam Deo quàm hominibus mirabiliter amabilis & gratioſa, tandem exacto anno XL. & die XI. heu heu infirmitatem incurrit, quæ dicitur apoplexia minor. Quod iaculum de manu omnipotentis emiſſum ad detrahendum ſibi & à campo corporalis miſeriæ educendum prænobilem illam animam, tot virtutum fructibus ſaginatã, quam medulitus intima ſubditorum pertranſierit, omnes ſcire poſſunt qui eam nouerant. Quia non credimus, quòd per latitudinem totius mundi poſſit homo inueniri, qui in tam larga benedictione à Deo ſit præuentus, tam in naturalibus,

bus, quàm gratuitis, & etiam in fortuitis, qnantum ſpectat ad Deum, vt iſta. Nam cùm longe ſupra centenarium excreuerit numerus perſonarum, quas ipſius materna cura ſuſcepit & educauit in religione, à nulla inter omnes vnquam audiuimus ſibi videri, quòd homo poſſet inueniri ad quem maiorem affectum haberet, & qui in aliquo poſſet iſti præferri. Adeo enim gratioſa fuit, vt, quod dictu mirabile eſt, cùm infantes infra ſeptem ætatis annos quandoq; ſuſciperentur in monaſterium, cum adhuc naturalem intelligentiam non haberent, ad intelligenda ea quæ Dei ſunt: ſtatim tamen vt ipſam primo pueriliter cognoſcere potuerunt eſſe matrem ſuam ſpiritualem, tanto affectu ad ipſius piam benignitatem ſunt accenſi, quòd quaſi abſurdum videbatur eis vnquam fateri ſe patrem, vel matrem, vel aliquem parentum ſuorum, diligere ſupra illam. Hæc & ſimilia & ſpecialiter quid extranei de iſta ſenſerint, videntes eam, & audientes verba ipſius diuina ſapientia plena, longiſsimum eſſet enarrare. Idcirco omnia ſimul cum laude & gratiarum actione refundamus tn diuinæ bonitatis abyſſum: ex cuius profluuio omne manat bonum. ¶ Cùm ergo ille ſolaris radius ad occaſum tenderet mor-

tis per infirmitatem corporis, filię metuentes, ne fortè ſubtractis fulgoribus tam lucidorum exemplorum & tam piæ matris ducatu ſublato, contingat eas quandoque in via religionis aberrare, toto cordis affectu ad patrem miſericordiarum confugerunt, quibus poterant precibus pro ſanitate ipſius exorantes. Et quia ipſe eſt ſummè bonus (à quo quicunque bonus eſt, ſuæ bonitatis accepit meritum) non deſpexit preces pauperum ſuorum, & quas non decebat exaudire contra diuinam ordinationem, ſic exaudiuit, vt earum ſaluti expediebat. Ita enim eas conſolatus eſt, vt inciperent matris beatitudini congaudere. Vnde & orationibus illius pro ea ſępius per iſtam Gertrudem in ſpiritu dedit reſponſa conſolatoria, vt ex ſequentibus clarè patebit.
¶ Quadam enim vice, dum iſta orans pro ea ſtatum ipſius cognoſcere deſideraret: reſpondit dominus: Cum inæſtimabili gaudio expectaui tempus hoc, vt electam meā
Oſee 2. ducerem in ſolitudinem, vt ibi loquerer ad cor eius. Non ſum fraudatus à deſiderio meo, quia ipſa ſecundum acceptiſſimum beneplacitum meum reſpondet mihi ad omnia, & ſecundum dulciſſimum delectamentum meum mihi in omnibus obſequitur. Verbi gratia: Solitudo eſt infirmitas, vbi;

vbi dominus loquitur ad cor dilectæ ſuæ, & non ad aurem: quia talia ſunt eloquia eius, quòd humano modo non poſſunt intelligi: ſicut illa quę ad cor dicuntur magis ſentiũtur quàm audiuntur. Vnde verba domini ad electã ſunt tribulationes & grauamina cordis, ſcilicet cùm infirmus cogitat ſe eſſe inutilem, & tempus inutiliter perdere, & alios propter ſe laborare, & etiam tempus conſumere, quia fortè ex eorum labore vtilitas ſanitatis nunquam ſequetur. Ad quod ipſa ſecundum optimum placitum Dei reſpondet, cùm patientiam conſeruás in corde, deſiderat omnem voluntatẽ Dei in ſe perfici. Quia tale reſponſum in cælo humano modo non auditur: ſed quaſi per dulciſſimum organũ diuinum, ſcilicet cor Ieſu Chriſti reſonat cum ſumma delectatione totius Trinitatis, & totius curiæ cæleſtis. Quia nullum cor humanum mortale poſſet interim quod ſentit grauamina, ex animo dicere, ſe velle ea libenter pati iuxta voluntatem Dei: ſi hoc ab illo perfectiſſimo corde Ieſu Chriſti in illud non profluxiſſet. Vnde oportet, vt per cor illud, ſcilicet Ieſu Chriſti, idem ſemper reſonet in cælo. Et adiecit dominus: Secundum dulciſſimum delectamentum meum obſequitur mihi electa mea, quia non contemnit gra-

Verba domini ad electum

Optima reſponſio ad verba domini.

uamina infirmitatis: ſicut Vaſthi regina contempſit imperium regis Aſſueri, quando iuſsit eam intrare poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtenderet principibus

Tribulationes ornant animam. ſuis pulchritudinem eius: Sic ego, quando delector huius electæ meę pulchritudinem oſtendere in præſentia ſemper venerandæ Trinitatis: totiuſque Curię cæleſtis: tunc magis grauo eam infirmitate ſimul & tædio, & ad hoc ipſa ſeruit mihi ſecundum cordis mei dulciſsimum oblectamentum, quando cum patientia tunc magis accipit releuamina & commoda corporis ſui cum diſcretione. Et hoc eſt ei pro ornamento gloriæ, quod talia quandoque facit cum grauamine. At tamen in hoc debet ſeipſam conſolari, recolendo quòd per benigniſſi-

Rom. 8. mam pietatem meam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. ¶ Hinc alia vice, dum iterum oraret pro ea, dominus reſpondit: Ego quádoq; delector, vt electa mea paret mihi xenia: & tunc do illi margaritas & flores de auro. Verbi gratia: Margaritæ ſunt ſenſus eius, & flores de auro ſunt ocium temporis, cum quibus decentiſſima & acceptiſſima præparat mihi ornamenta, quando vocans ocio & viribus aliqualiter reſumptis, officio ſuo intéditquátum poteſt: ſolicita, quomodo ſic diſponat

ſua-

ſingulas cauſas, quę religionem poſſunt augere & conſeruare, vt poſt mortem ſuā ſtatuta & exempla ipſius ſint quaſi columna firmiſſima ad ſuſtentandum religionem in laudem æternam. Sed cùm in his laborat, ſi ſentit ſuæ infirmitati nocere, ſtatim deſiſtat & cum fiducia commēdet mihi, vt ego perficiam illud. Quia hæc eſt fidelitas, quæ commouet cor meum diuinum, quod cùm ſentit ſe melius habere, tentat quid præualeat ad officium ſuum pertinens: & ſtatim cùm ſentit ſe peius habere, iterum deſiſtat, & mihi benè credat. Alia vice, cùm iam dicta dulcis memoriæ D. Gertrudis Abbatiſſa ſpêcialius pro ea grauaretur, quòd manibus ſuis nullum opus facere poſſet, vnde timebat tempus inutiliter conſumere, & ſolita humilitate ab iſta (cuius reſponſum alijs præferebat (quæreret ſubleuamen, ipſi commiſit, vt pro hoc domino funderet preces. Quod cùm iſta deuotè faceret, tale à domino accepit reſponſum: Benignus rex nunquam ægrè ferret ab electa ſua, ſi ornamenta ſua negligeret producere illa hora, qua ipſe ſibi blādiendo delectaretur manus eius contrectare: ſed magis acceptū eſſet, quod in omnibus ſemper parata eſſet voluta.i ſuæ deſeruire: Ita & dulcēdo benigniſſimi cordis mei maximè acceptat, quòd iſta

electa mea patienter tolerat ſe per infirmitatem impediri. Quam ſtatim dum ſentit ſibi relaxari, redeat ad voluntatem promouendi religionem quantum poteſt abſque nocumento ſuæ infirmitatis. Item dum propter infirmitatem (qua nullam videbatur vtilitatem poſſe facere in officio) Abbatiam deſideraret reſignare, & ſuper hoc etiam ab iſta diuinam perquireret voluntatem, his verbis à domino eſt inſtructa: Ego per infirmitatem iſtam ſanctifico electam meam mihimetipſi ad inhabitãdum: ſicut per ſanctificationem pontificis ſanctificatur eccleſia. Item ſicut eccleſia ſeris obfirmatur, ne intrent indigni: ſic iſtam etiam per infirmitatem obſero, vt ſenſus eius exteriora, tam diuerſa non poſſint capere: in quibus quandoque non eſt magna vtilitas, & tamen cor inquietant, & quandoq; mihi minus intendere ſinunt. Vnde ego (qui loquor in libro ſapientiæ, dicens: Delitiæ meæ ſunt, eſſe cum filijs hominum) iſtam talem mihi effeci, vt propter grauamina infirmitatum iuſtè debeo habitare in ea, ſecundum illud: Iuxta eſt dominus his, qui tribulati ſunt corde. Inſuper
Pſal. 33.
addidi eam taliter in bonis intentionibus & bona voluntate exornare, vt in ea manens tanquam rex in quietiſſimo cubili ſuo
ad

ad tempus delitias in ea ſecundum optimũ placitum meum poſſim habere in terris, antequam ipſam ad æternas perducam delitias in cælis. Senſus verò exteriores ex parte reliqui ei ſaniores ad hoc, vt per ipſam dem reſponſa & voluntatem meam, notificem filijs ſibi ſubditæ congregationis: ſicut olim arcam teſtamenti dederam filijs Iſrael, in oraculum, vt me in ipſa reuererentur. Ipſa verò ſecundum arcam illam contineat in ſe manna, id eſt, dulcedinem conſolationis in affectu, vt etiã in verbis pro poſſe ſuo ad omnes ſibi ſubditos. Habeat etiam tabulas teſtamenti, id eſt, præcipiat facienda & dimittenda ſecundum meum beneplacitum, prout ipſa diſcernere poteſt. Habeat quoq; virgam Aaron, id eſt, correptionem improborum, iniungendas pœnitentias, diſcernendo cum alacritate ſpiritus, recolens quòd ego per memetipſum omnia incorrecta poſſem corrigere per inſpirationem aut tribulationem: ſed per ea quæ facio ipſa mediante, meritum ipſius augeo. Si qui verò non corriguntur quos corripit, hoc ſibi nihil oberit, cùm tantummodò curam diligentem adhibuerit. Quia homo poteſt rigare & plantare, ſed ego ſolus poſſum incrementum dare.

Quomodo debeamus effici arca teſtamenti.
Manna.
Tabulæ teſtamenti.
Virga Aaron
1. Cor. 3.

¶ Item cùm timeret negligenter agere in

 hoc,

hoc, quòd omitteret ſanctam communionem & orationem, cæteraſquè ſpirituales exercitationes:& ediuerſo timeret indignè communicare, cùm propter infirmitatem nullis exercitijs ad ſanctam communionẽ ſe poſſet præparare, talibus meruit per iſtã verbis inſtrui ſimul & conſolari: Quando purè propter me dimittet communionem, vel ſimilia aliqua, quæ libenter faceret, ſed ſentit ſibi nocere, tunc liberaliſſima pietas mea pro parte propria, quam negligit, vult illi dare partem ſuam:. Sicut meum eſt proprium, quicquid in tota eccleſia fit boni.

Gregor. ¶ Cùm etiam (ſicut bonarum mentium eſt ibi culpam timere, vbi culpa non eſt) vice quadam grauata eſſet, quòd conſiderabat ſibi ſeruientes quaſi tempus conſumere, cùm nullus fructus ſanitatis ſuę inde ſequeretur: fidelis Deus (qui nullum permittit

1.Cor.10. tentari ſupra id quod poteſt) ſuper hoc per iſtam cõſolabatur eam his verbis: Ob amorem & honorem meũ ſeruietur ei cum reuerentia & benignitàte, diligentia & hilaritate: quia ego Deus habitans in ea, cõſtitui eam caput congregationis. Vnde ſinguli tenentur ei ſubuenire, ſicut membra capiti ſuo. Et iſta ſuſcipiat in honorem mei gaudens, quòd ego per ipſam quaſi per fideliorem amicum augeo merita electorũ meorum:.

rum:dum ſingula beneficia non ſolum per facta, ſed etiam per affectus ſeu verba illi impenſa remunerabo tanquam mihimetipſi impenſa. ¶ Item in die ſancti Lebuini dum tota congregatio communem orationem pro ea faceret, vt per merita eiuſdem ſancti ſanaretur: idem beatus martyr ab iſta inſtantius exoratus, tale ipſi videbatur dare reſponſum. Cum rex delectatur blandiri electæ ſuæ in thalamo: putas ne tunc mihi tem deceret, regem interpellare, vt eam emitteret ad hoc, vt familia eius preſentia cõ ſolaretur? Sic non decet, vt aliquis poſtulet ſanitatem illius, cuius infirmitas per patiẽtiam & bonam voluntatem cum Deo vnita eſt ipſi regi cœlorum, quaſi amatorium blandimentum. Vnde ſciendum, quod illi, quorum infirmitas Deo laudabilior eſt q̃ ſanitas, dum inuocant ſanctorum ſuffragia, hoc accipere merentur, quod gratia Dei ipſos ſuauius inſtituens, reddit patientiores & inde vberiorem fructum ac Deo laudabiliorem referunt ex infirmitate.

De mira huius ſanctæ matris patientia, charitate, deuotione & compaſſione. Et quomodo dominus agonizantem viſitauit.

CAP-

CAPVT. II.

TEſtimonia iſta vere fidelißima fateri coguntur omnes, qui in infirmitate illa gratiam Dei cognoſcentes, vitæ ipſius conſiderauerunt qualitatem. Nam cũ per XXII. hebdomadas loquelam amiſiſſet, intantum, quod nullo verbo nec etiam nutibus indigentias ſuas indicare preualeret, exceptis illis duabus ſolis dictionibus. Spiritus meus. Per quas cum aſtantes non intelligerent, quid intenderet & aliter facerẽt quam ipſa vellet & illa beata mater diutius laboraſſet replicando. Spiritus meus, & nihil proficeret: tandem ſicut agnus manſuetus obmuteſcens & columbino intuitu reſpiciens, ad ea que contra voluntatem ſuam fiebant, quandoque benignißime riſit nec: vnq̃ conſiderari potuit ad impatiẽtiam eſſe lapſa. ¶ Ex radice etiam charitatis Dei & proximi (quæ viſceribus eius tã profunde erat infixa per omne tempus vitę ſuæ) hoc etiam in illa infirmitate in ea claruit, quod nunquam ita male valuit, quin alacrior fieret quaſi nihil pateretur, cum aliquem ſermonem, vel etiam verbum de Deo audiret. ¶ Quod magnam inſuper deuotionem habuerat, claruit per lachrymas, quas vbertim fundebat, cum eſſet cõmunicatura: & per pia exercitia, quibus ſe

exer-

exercuit audiendo miſſam:ad quam ſemper duci volebat,licet quaſi pmortuo vno crure,& altero cui innitebatur tam intolerabiliter dolente quod ſine magno cruciatu vel leuiſsime tangi non poterat. Super quem tamen calcauit,nunquam geſtu dolentis oſtendens, ne prohiberetur amplius ad miſſam ire. ¶ Circa horas canonicas mirabiliter ſtudioſa fuit & deuota, intantum,quod cum ex infirmitate dormitaret quandoque buccellam habens in ore vel cyphum ad os vt biberet, ſemper tamen in mora horarum vim ſibi inferens miraculoſe vigilauit. Vltimnm etiam,ſpiritus meus, quod audiuimus ab ea,fuit pro perſoluendo completorio. Poſt quod cœpit agonizare. ¶ In charitate etiam Chriſti ſe eſſe perfectam tam profuſa benignitate oſtendit, quod cum(vt prædixi) nihil loqui poſſet, niſi(ſpiritus meus)cum illo verbo vniuerſis ſatisfeci pleniſsime, intrantes ianuam ſuſcipiendo,& amicabiliter vnam manum, quam vix mouere poterat, blande extendendo,preſentibus blandiendo, & ad omnia interrogata reſpondendo, mentum ipſorum ſiue manus ſuauiter contrectando: adeo vt etiam maiores perſonæ faterentur ſe nunquam poſſe attædiari de eius commanſione:ſed magis delectari cum ea

quam

inſtructa. Quia ego Deus inhabitans in ea ſpiritum eius mihi ſic intraxi &vniui, quod in omni creatura me ſolum vult: ideo loquendo, reſpondendo, & neceſſaria poſcendo, mei (in quo viuit ſpiritus ipſius) mentionem facit. Et quotieſcunque hoc facit ego toti curiæ cœleſti do ſignum, quod ipſa ad me ſolum intendit. Vnde æternalem gloriã habebit in cœlis. ¶ Similia plura de felicitate beatiſsimæ matris noſtræ huic ipſius filię reuelata à domino poſſent ſcribi teſtimonia: quæ tamen cauſa breuitatis pretereo, cũ omnia ſimul in hoc concordent, & ad hoc vnum tendant, quod ea que etiam corporalibus oculis in ea videbantur apertiſsime ſacra ſcriptura monſtrante teſtabantur, quod vere Deus habitabat in ea & cum ea: & omnia quæ p eã fiebant, ſuo dulciſsimo ſpiritu iuxta optimũ beneplacitũ ſuũ dirigebat. Poſt amiſsionem autem loquelæ vno fere menſe exacto mane quodam ita male valuit, quod putabatur agonizare, & cum conuocato cóuentu citius inungeretur apparuit domin⁹ formam & decorem ſponſi indutus, quaſi ad amplexandum extendens brachia & blandiendo ipſam reſpiciens, ac verſus faciem infirmæ, quocunque vertebatur, ſe ſtatuens. Per quod datum eſt huic intelligere, quod tanta amoris dulcedine, do-

dominus afficeretur erga dilectam ſuam, quod quaſi præ deſiderio recipiendi illam ad ſe in tali preparatione ſcilicet extenſis manibus in amplexus eius, quodammodo cum vehementi deſiderio expectaret reſolutionem eius, cum tamen poſt hoc plus quam quatuor menſes ſuperuixerit. Cumque iſta perquireret qualiter ipſa venerabilis mater noſtra & domina, de qua eſt ſermo, meritis virginum beatarum, quæ iam canonizatæ eſſent, & ſanguinem pro fide fudiſſent, poſſes æquiparari, dominus reſpondit: In primo anno Abbatiæ ſuæ ſic voluntatem ſuam vniuit mihi & me cooperante in omnibus operibus probata eſt, quod meritis maxime coronatarum potuit coæquari. Sed nunc quantum ſuperaddidit numerum annorum cum profectu virtutum, tãtum etiam ego addidi ſuper gloriam meritorum. Vnde perpendat quilibet, quam prerutilanti gloria hæc electa Dei mater noſtra benigniſsima ſit coronata. ¶ Adueniẽnte itaque die qui ab ipſa electa Dei tot iucundis deſiderijs fuerat preoptatus, tamque deuotis orationibus premunitus, quãdo agonizare cœpit, videbatur dominus per ſe totus feſtiuus occurrere comitatus dextra leuaque beatiſsima matre ſua dilectoq; diſcipulo Ioanne Euangeliſta. Poſt quos ſeque-

Quomodo dominus & ſancti animam agonizantẽ viſitauerint.

quebatur innumerabilis multitudo vtriuſque ſexus totius cœleſtis Curiæ, & ſpecialiter virginum cādidatarum exercitus:qui videbatur per diem illum,quo agonizauit, domum illam implere,admiſcentes ſe inter congregationem noſtram quæ etiam per diem illum manſit ibidem, deſolationem ſuam fletibus ac ſuſpirijs deplangens,ac matris tam dilectæ tranſitum deuotis precib⁹ Deo commendans.Dominus vero Ieſus cū perueniſſet ad lectulum dilectæ ſuæ, tam dulcibus geſtibus ipſi blandiri videbatur, quod exinde mortis amaritudo digne potuit leniri.Et cum coram infirma in paſsione legeretur,Et inclinato capite emiſit ſpiritum,dominus Ieſus quaſi ex incontinentia amoris ſuper agonizantem inclinatus,ambabus manibus cor proprium aperiens,ſuper eam expandit. Et cum tota congregatio eſſet in oratione,iſta iterum dulciori affectu ducta,dixit ad dominum Eia, benignisſime Ieſu,propter indeficientem pietatem tuam,qua nobis tam amabilem matrē dediſti,cum eam nunc recipere diſponas, quęſumus,vt fletibus noſtris ac ſuſpirijs flexus in quantum poſsibilitas permittit,adæques eam nunc matri tuæ, exhibendo ipſi aliquid affectus illius,quem matri tuæ beatiſsimæ exhibuiſti de corpore exeunti. Ad quod

quod dominus pia miſeratione cõmotus, videbatur matri ſuæ dicere. Dic mihi domina mater, quid tibi ſuauius fuit interris inter illa quæ tibi exhibui à corpore exeũti, quia iſta rogat, me, vt matri ſuæ ſimiliter faciã. Tũc benigniſsima miſericordiſsima virgo benigne reſpondit. In hoc fili mi magis delectabar, ꝙ tã ſecurũ refugiũ in vlnas tuas habui. Ad hoc dominus reſpondit: Hoc mater mea ꝓ eo accepiſti, ꝙ toties doloroſis ſuſpirijs paſsionem meam in terris recoluiſti. Et ſubiunxit dominus. Hoc meritũ iſta electa mea per hoc ſuppleat, quod per diem iſtum laboret toties cum grauamine trahendo flatum, quoties tu in terris traxiſti ſuſpiria pro recordatione meæ paſsionis. Vnde ſic per diem illum agonizauit. Per moram autem diei illius miniſtrabatur ei de corde domino velut coram ſe aperto diuinæ pietatis quædam fruitio, tanquam ex horto delectantium florum, ſeu ex apotheca odoriferarum ſpecierum. Singulis etiam momentis apparuerunt cœleſtes ſpiritus de cœlo deſcendentes in terram, & reſpicientes ipſam decantabant pro eius inuitatione cum dulciſsima melodia hoc carmen (Veni, veni, veni, domina, quia te expectant cœli delitiæ, alleluia alleluia.

De

De precioſa morte & gloria ſanctæ Matris, de gratia tunc viuentibus data, de oblationibus miſſarum & aliorum meritorum pro ea: & de interceſſione eius pro conuentu.

CAPVT III.

DElitioſiſsima itaque hora inſtãte, qua ille cœleſtis ſponſus altiſsimi patris imperialis filius, dilectam ſuam poſt longa deſideria egredientem de carcere mundi ad pauſandum ſecum in thalamum amoris ſuſcipere diſponebat, appropinquans illi auditus eſt ab iſta hæc verba melliflua blanditatis dicere ad eam. Ecce nunc tandem per efficaciſsimæ ſuauitatis oſculum te mihi acquiram, & per ſtrictiſsimi diuini cordis mei amplexum te domino, Deo patri meo cœleſti penetrabo, quaſi diceret Cum omnipotentia mea vſque ad hanc horam te ad amplius promerendum hic continuerit feruor delicati, amoris mei, vltra non ſuſtinens, te deſideratum theſaurum meum à carne ſoluendo mihi penetrabit, ad refrigerandum in te vehementiam amoris mei ardentiſsimi, pro libitu mearum dulciſsimarum delectationum. Quo dicto felix, illa anima centuplici-

ter-

terque beata, carnis ergaſtulo derelicto & cũ iubilo inæſtimabilis ſuauitatis eleuata in illud vnice preexcellentiſsimum ſacrariũ, ſcilicet cor Ieſu ſuauiſsimum ſibi tam fideliter largiter ac iucunde patefactum, ſicut iſti præcedenti die eſt demonſtratum, eſt recepta. Ibi quid ſenſerit, quid viderit, quid audierit, quidve beatitudinis affectu intraxerit, ex ſuperabundantia diuinæ pietatis, hæc anima quæ ſpeciali priuilegio tanto talique meruit vehiculo duci, quis mortalium æſtimare poteſt? Quam mellifluus etiã floridi & delicati ſponſi eam in dulciſsimis intimis ſuis deducentis blanditatibus, quamque læto tripudio concomitantium angelorum & ſanctorum multiplicatiſque gaudijs ſuſcipientium eam & inſimul vniuerſorum feſtiuis laudibus glorificatio huius feliciſsimæ animæ ſit peracta, cum nihil inde balbutire queat humana fragilitas, decet proinde, nos communiter cum cœli ciuibus, qui his gaudijs fœliciter intereſſe meruerunt, carmen iubilationis, cum gratiarum actione Deo authori omnium decantare. ¶ Dum igitur præfulgidus ille ſol, qui tam late ſparſerat radios ſuos, à terra noſtra ſubductus eſſet & illa exigua guttula abyſſum ſuum vnde profluxerat, feliciter repetiſſet, filiæ in tenebris

deoſ-

deſolationis dereličtæ per viam ſpei ad maternæ beatitudinis gloriā oculos fidei velut per tenuiſſimas rimas luſtrandam leuantes vberrimas lachrymas fundebant ex corde pro ablatione talis tamque benignæ matris, cui nec ſimilem viderant nec ſubſequentem ſperabant. Attamen intermixtis cæleſtibus gaudijs de maternæ gloriæ congratulatione altis vocibus laudes dederūt in cælum, deſolationemque ſuam pijſſimę matris affectibus commendauerunt cum Reſponſorio (Surge virgo & noſtras) iſta virgine ſancta inchoante, quæ & ijſdē gaudijs familiarius meruit intereſſe. Sicque corpus illud virgineum Chriſti Ieſu venerabile templum manibus virgineis in capellam eſt delatum, & ante altare ſtratum. Cumque tota congregatio ſe ſimul circa corpus proſtrauiſſet ad orandum, apparuit anima ipſius cum incredibili gloria & honore, ſtans in præſentia venerandæ Trinitatis, orans pro omnibus ſibi quondam commiſſis. ¶ Cùm verò cantaretur ea miſſa, & iſta deſolationem ſuam coram domino mœrēs retractaret in oratione ſua, dominus blandè ipſam conſolans, hoc dedit reſponſum: Nunquid non ego ſufficiens ſum in ea ſupplere, quicquid vobis abſtuli? Alicui probo domino in mundo cre-

ditur, ſi accepit bona militum ſuorum defunctorum, quòd filios ipſorũ nõ ſinet deperire: ergo magis credite mihi (qui ſum ipſa bonitas) quòd ſi in toto corde ad me conuertimini: ego ipſe volo vobis eſſe totum, quòd quilibet veſtrum ſe dolet in ea perdidiſſe. Illa igitur hora, qua, vt dictum eſt, dominus ſuſcepit in ſe animam illam beatam, tam mellea pietate liquefactum eſt cor Ieſu ſuper vniuerſum mundum, quòd iſta virgo (cui donatum eſt intelligere ſpiritualia) certo certius cognouit, quòd in latitudine totius orbis terrarum nulla petitio iuſta illa hora eſſet petita, quę non eſſet etiam obtenta à domino. ¶ Sequenti deinde die, quo corpus fuit ſepeliendum ſub prima miſſa, Dei famula tempore Offertorij obtulit pro anima eius, ſcilicet in ſuppletionem meriti eiuſdem cor amantiſsimum Ieſu Chriſti, ſicut illud in vnione humanitatis poſſedit repletum & perfectum in omnibus bonis, quæ vnquã de illo corde in aliquod cor humanum profluxerunt, & iterum per intentionem in ipſum ſine omni defectu redierunt. Quod cum faceret, apparuit dominus recipiens hoc in ſimilitudine vaſculi ad formam cordis humani, quod impletum erat diuerſis delectabilibus xenijs precioſis. Et

cùm

cùm impoſuiſſet hoc in ſinum ſuum, vocauit animam benignæ matris noſtræ ad ſe cum his verbis: Veni virguncula ad me, & diſpone bona tua, quæ à filiabus tuis tibi ſunt tranſmiſſa. Ad quod illa ponere ſe videbatur verſus faciem dilecti ſui, & extenſa manu in ſinum domini diligenter conſiderare, quid intus lateret. Et cùm inueniret in corde Ieſu digniſſimo perfectionem omnium virtutum omniumq; bonorum, eo pio affectu quem naturaliter à Deo acceperat, quaſi ſingula quæ intus reperit, manu leuans, ad ſingula dixit: Eia amantiſſime domine mi hoc conueniret prioriſſæ, & hoc illi, & hoc iſti ſecundum quod in terris nouerat cuiuslibet neceſſitatem, quam tunc ſuppleri deſiderabat ex abundantia virtutum diuini cordis. Ad quòd dominus eam amanter reſpiciens, benignè allocutus eſt, dicens: Accede ad me propius electa mea. Tunc illa feſtinè conſurgens, calcauit ad ſiniſtrum latus domini, & dominus eleuato brachio ſuſcepit eam in amplexum, & delicatiſsimè ipſam ſtringens ad cor ſuum, dixit: Reſpice nunc, ſicut ego reſpicio. Per quod dabatur intelligi, quia hoc quod antea voluit amicis ſuis bona virtutũ partiri, ſicut in terris cognouit ipſas indigere, hoc erat humani affectus: ſed per il-

gens ſtabat ante patrem, & vocabat ad ſe animam defunctæ, dicens: Veni huc domina regina, quia nunc aliquid maioris virtutis tibi eſt miſſum. Et cum illa iterum ducente matre domini in ſublime eleuaretur, iſta quæ hoc vidit, dixit ad eam: Nunc te o domina mater amplius videre non poſſum nec aliquid de meritis tuis vltra intelligere. Et illa: Benè tamen, inquit, me potes interrogari de his vnde cupis edoceri. ¶ Tunc iſta: Bona mater, cur non obtines nobis precibus apud Deum, quòd lachrymas obtineri poſſimus, quia nimis nocemus capitibus noſtris tam vbertim eas pro amiſſione tui fundentes, cùm ſemper moleſtum fuerit tibi, quãdo noſipſas indiſcretè grauaremus? Cui illa reſpondit: Dominus meus tenere me diligens, hoc dat mihi in gloriam & profectum, in quo cæteri paruum habent profectum. Nam pro diſcretione qua nimis ſolicitè ſtudui vobis præeſſe, hoc mihi nunc donauit, quòd omnes lachrymas veſtras quaſi in aureo calice domino meo propino. Vnde ipſius ſupereffluentia pro ſingulis lachrymis reinfundit mihi riuulum ſuæ melleæ diuinitatis. Vnde ego iucundè potata dulciter decanto dilecto meo cantica gratiarumactionis pro filiabus meis & alijs à quibus

ſunt fuſæ. Et cùm iſta perquireret, vtrum hoc fieret ſolummodo de illis lachrymis, quæ ſunderentur ob honorem Dei, quia ex deceſſu illius timeretur religionis defectus, illa reſpondit: Ad omnes lachrymas, quæ etiam ſolo affectu pietatis funduntur fit iſtud: ſed ad iſtas quæ fluunt pro honore Dei, vt dixiſti, pro illis ipſe filius Dei cantat mecum gratiarum actiones. Et hoc tanto iucundius mihi cedit, quãtum creator diſtat à creatura. ¶ Hinc proprio nomine iſtam vocans, dicebat: De te filia mea ſpecialem remunerationé accepi à Deo, pro eo quod fideliter & affectuoſe promoui te ad laudem Dei in illa cauſa, quam noſti. Nam in corde dilecti mei domini Ieſu ad inſtar dulciſonæ fiſtulæ decantatur mihi carmen amoris ſine intermiſſione, pro quo me cæleſtis Curia glorificat. Additum eſt & mihi ſoc ſuauiſsimo ſono gaudium, quod oculis meis amœniſsimè reddit ſplendorem, naribusque & ori ſuauiſsimum odorem & ſaporem. Sed quod tactui nullam dat ſpecialem delectationem, inde eſt, quòd aliquantulum negligens extiti in eadem cauſa, quamuis bona intentione, & propter bonum pacis. Et cùm pulſaretur ad eleuationem hoſtiæ, iſta obtulit Deo eandem hoſtiam in ſuppletionem defectus il-

illius defunctæ. Quod cùm fieret, hoſtia illa in modũ delectabiliſsimi ſceptri(quod in ſeipſo delectabiliſsimo modo ludere videbatur) apparuit coram anima defunctæ ſed ipſa tamen nuſquam tangere potuit hoc ſceptrum, quia quicquid hic negligitur, in alia vita nunquam plenè poterit ſuppleri. Ex affectu gratitudinis (quam ſpeciali prærogatiua acceperat à Deo) videbatur orare pro omnibus qui ad celebrãdas exequias ipſius conuenerant: intantum, vt quod vnicuique meritis ipſius dabatur remiſſio plurimorum peccatorum, & ex diuina gratia virtus ad benè agendũ augebatur. ¶ Ad benedictionem verò finientem vnam miſſam videbatur ipſa benedicta mater noſtra ante thronum ſemper venerandæ Trinitatis ſtare & petere, dicens: O dator munerum, dono tuæ pietatis concede hanc gratiam defunctis oſſibus meis, vt quoties filiæ meæ ad ſepulcrum meum venientes ſuas mihi deſolationes ſeu defectus conquæruntur, aliqualiter matrem ſuam me eſſe per experientiam conſolationis recognoſcant. Quibus verbis benigniſſimus Deus piè annuens, ex diuina omnipotentia, ſapientia, & benignitate cuilibet perſonæ dedit benedictionem ſigillatim. Cùm verò in ſepulchrum poſita

eſſet illa beata & verè benedicta mater, ad confirmandam hanc benedictionem ſingulis vicibus cùm terra iaceretur ſuper venerabile corpus, dominus extenſa manu videbatur facere ſignum crucis ſuper corpus. Vltimo autem cùm tota terra congeſta eſſet, mater domini virgo Maria delicata manu ſua etiam ſignum crucis fecit ſuper ſepulchrum, quaſi ad imprimendum ſigillum in teſtimonium, quòd dominus tale donum præſtiterit defunctæ. ¶ Poſt ſepulturam verò dum inchoaretur Reſponſorium, Regnum mundi, tanta gloria & exultatio apparuit in cælo, ac ſi in domo vna ſinguli lapides tam parietum, quàm pauimenti ſpeciali exultatione mouerentur. Et inter hæc apparuit chorea virginum ſpecioſiſsimarum, quas præcedebat illa, cuius exequiæ agebantur, quaſi regina virginũ, delicatiſſimo geſtu præferens in manu ſua candens quoddam lilium cum vernantia florum diuerſorum: altera verò manu proxime poſt ſe ducens illas virgines, quæ de numero congregationis ſibi commiſſæ fuerant iam glorificatæ. Poſt quas etiam ſequebantur cæteræ virgines cæli. Et cùm taliter in gloria & exultatione ineffabili perueniſſent ante thronum Dei, in illo verbo, ſcilicet [quem vidi] videbatur Deus pater,

pater huic, quæ præcedebat, noua dona præſtare. In illo quoque verbo [quem amaui] ſimilia ipſi præbere videbatur filius Dei. Et in illo verbo [in quem credidi] ſpirituſſanctus idem præſtitit. In illo autem verbo [quem dilexi] videbatur ipſa defuncta brachia ſua delicata extendere, & blande amplecti Ieſum amantiſsimum ſpõſum. Poſt hæc dum cantaretur Reſponſ. [Libera me domine] videbatur alia chorea in cælo, in qua lætabantur illæ animæ, quæ iſto die per miſſas & orationes pro iſta factas, & etiam per merita ipſius cæleſtia petierunt. Inter quas ſpecialius cognoſcebatur anima cuiuſdam conuerſi ad clauſtrum, qui aliquantulum negligens in ſpiritualibus iudicabatur fuiſſe, & meritis iſtius, ſcilicet glorioſæ matris noſtræ, fuerat multum conſolatus. ¶ In triceſimo autem die apparuit iterum huic virgini inclyta & beata mater tam mirabili varietate adornata, quòd quaſi parum reputari poterat, quicquid antea monſtratum fuerat. In qua ſplenduit omne meritum, quòd à pietate Dei acceperat pro eo, quòd ex graui mole ſui corporis grauamen habuerat in hac vita. Apparuit etiam aureus liber mirificè ornatus ante thronum, in qua ſcripta videbatur omnis doctrina, quam mon-

ſtrauerat ſubditis ſuis in terris: & quæ in eo adhuc ſcriberetur ad meritum ipſius, quandocunque aliquis profecerit ex verbis ipſius ſiue exemplis. Et cùm iſta, quæ hæc vidit, requireret, quid ſpecialis meriti haberet de dextra illa, in qua magis paſſa fuerit, reſpondit: Dilectum meũ cum ea ſuauiter amplector. Et hoc eſt cordi meo inæſtimabilis iucunditas, quòd ipſe amantiſsimus Ieſus dignatur eam habere quaſi pro torque, & delectatur ea frui pro dulcedine amplexus. Apparuit enim tota pars dextra à vertice vſque ad plantam miro decore quaſi gemmis ornata, quæ eundem etiam ſiniſtram partem reddebat decorem. Per dextrum enim ornatum notabatur meritum, quod acceperat pro infirmitate. Per ſiniſtrum verò decorem notabatur meritum, quod acceperat pro eo quòd voluntas ipſius concordabat cum diuina voluntate. Vnde de vna parte in aliam tranſmittebantur radij ludentes inſimul ſicut cum ſol ludit in aqua. Pro amiſſa quoque loquela mox vt obierat, tale accepit oſculũ à domino, quòd æternaliter ſeruabit vnum fulgorem procedentem de ore ipſius tantæ pulchritudinis, quòd omnis cæleſtis curia ſpeciale gaudium inde ſumet. ¶ Sub miſſa verò dum ex integro affectu exoraret do-

minum,

minum, vt animæ ſæpè dictæ matris noſtræ Abbatiſſæ reſtitueret, quicquid ſibi impenderat beneficij, dominus ait: Sic quælibet veſtrum mihi ſuppleat, quòd iam quaſi nullum bonum poſſum continere, quod non oporteat me totum animæ iſti infundere. Tuncq; amanter reſpiciens animam, dixit: Verè benè fuit expenſum, quòd cum tanta gratitudine eſt repenſum: Hinc illa procidens ante thronum gloriꝫ, gratias egit Deo pro fidelitate ſubditarum ſuarum, in hæc verba: Laus æterna, immenſa, & incommutabilis, ſit tibi dulciſsime Deus meus pro omnibus beneficijs tuis: & benedictum ſit tempus illud, in quo me præparaſti ad ſuſcipiendum hunc tam ſaluberrimũ ac tam ſuauiſſimum fructum. Et ſubiunxit: Eia Deus vitæ meæ, tu reſponde eis pró me. Ad quod dominus: Ego, inquit, firmabo oculos miſericordiæ meę ſuper eas. Et ſic videbatur dominus ſanctiſsima manu ſua facere duas cruces, cum quibus vnicuique de congregatione gratiam boni exempli dabat, foris in operatione, & intentionem diuini amoris intus in corde.

De puritate, confidentia, & purgatione ſororis E.

CAPVT IIII.

DVodecimo igitur die poſt obitum beatæ memoriæ dominæ Gertrudis benigniſſimæ Abbatiſſæ obijt etiam alia perſona de relictis filiabus eius: cuius tranſitus addidit congregationi dolorem ſuper dolorem, quia extitit tam Deo quàm hominibus multum amabilis, tum propter gloriam innocentiſſimæ puritatis & magnæ deuotionis, tum propter morum mirabilē ſuauitatem, & ad omnes miræ dulcedinis ſodalitatem. Poſt cuius mortem iſta conuerſationis eius recolens ſuauitatem, cum mœrore dixit ad dominū: Eia amantiſsimè domine, quare tam ſubito eam à nobis aſſumpſiſti? Ad quod dominus: Dum celebrarentur exequiæ dilectæ mihi Gertrudis Abbatiſſæ, ego delectatus intentiſsima deuotione congregationis, quaſi deſcendi vt paſcerer inter lilia. Et cùm viderem illud lilium oculis meis valdè placitum, miſi in illud manū. Et cùm illud tenerem iam per xj. dies inter digitos meos ad frangendum, ex ipſa ægritudine creuit & cōualuit in admirabilem odorem ſimul & decorem. Vnde nunc eam mihi aſſumpſi, & delector in ea. Et adiecit dominus: Quando aliqua veſtrum ſuauitatem ſocialitatis ipſius recolens, vellet eam rehabere: ſi eam tūc volun-

tati.

tati meę offert, ſuauiſſimi odoris lilium adhibet naribus meis, quòd ego ipſi ſecundum pietatem meam cum cẽtuplicato fructu rependam. Et cùm ad eleuationem hoſtiæ iſta offerret pro ea cum ſororia fidelitate omnem fidelitatem cordis Ieſu Chriſti, vidit ipſam altiori gradu eleuari tanquam in ſublimiorem dignitatem ſtatueretur, & fulgentioribus veſtimentis indueretur, & glorioſioribus miniſtris honoraretur. Et hoc ipſum videbatur, quoties eandem oblationem fecit pro ea. ¶ Hinc cùm requireret à domino, vnde hoc fuiſſet, quòd eadem virgo (dum in extremis laboraret) tam formam quàm ſonum pauentis prætuliſſet, tale accepit reſponſum: Mea nimia fidelitas hoc ipſi intulit. Nam cùm ante aliquot dies in eadem infirmitate per preces tuas obtinere deſideraſſet, vt ipſam poſt mortem abſque impedimento ad me ſuſciperem, & à te promiſſum meum ſuſcipiens, fideliter hoc crederet: ego conſiderans confidentiam ipſius, delectatus ſum ipſi magis benefacere. Et cùm iuuenilis ætas raro ſit plenè purgata etiam à leuioribus negligentijs: vt eſt delectari in non valdè neceſſarijs & ſimilibus: & iſta à talibus purganda eſſet per dolorem infirmitatis, cùm eam iam ad gloriam reuoca-

Oblatio pro defunctis.

rem, non ſum paſſus talem dolorem tam patienter perlatum non plenè ipſi in ęternam cedere gloriam. Vnde permiſi eam tunc aſpectu dæmonis terreri, vt hoc eſſet ſibi pro omni purgamento, & alia omnia, quibus purgata fuerat, in meritum ſibi cederent æternæ gloriæ. Tunc iſta: Vbi interim tu ſpes deſperatorum eras? Reſpondit dominus: Ad ſiniſtram ipſius abſconderam me, ſed ſtatim vt purgata fuit, pręſentaui me illi, & aſſumpſi eam mecum ad requiem & gloriam ſempiternam.

De præparatione mortis, purgatione proprij ſenſus, & gloria virginis Gertrudis. Et quomodo ſancti orent pro nobis. Et de miſſarum valore.

CAPVT V.

POſt hanc migrauit quędam puella, quę ab infantia matri ſaluatoris noſtri ſpecialiter fuerat deuota. Hæc igitur cum ſtadio laboris conſummato ad brauium æternæ remunerationis vocaretur, omnibus eccleſiaſticis ſacramentis deuotiſſimè pręparata agonizans, manibus iampenè præmortuis, ipſa accepit imaginē crucifixi, & tam mellifluis verbis ſacroſancta vulnera ſalutauit, gratias egit, & adorauit, ac dulciſ-

ciſsima ſingulis impreſsit oſcula, quod mirifice circumſtantes ad compunctionem prouocaret. Et poſtquam diuerſis oratiunculis ad eius vulnera peccatorum indulgentiam defectuum ſuppletionem, & exitus ſui tuitionem, à domino beatiſsimaque virgine Maria atque à ſanctis angelis omnibuſque ſanctis poſtulaſſet, tandem quaſi feſſa per breuiſsimã horam repauſans fideliter obdormiuit in domino. Et cum congregatio ſe pro remedio animæ eius dediſſet in orationem, apparuit huic dominus Ieſus tenẽs animam defunctæ inter brachia ſua blandiendoque mentum ipſius contrectans eam ſic alloquebatur. Agnoſcis ne me filia mea? Et cum iſta, quæ hæc vidit, exoraret dominum, vt ſpeciali remuneratione retribueret illi humilitatem illã, qua libenter ſibi & etiam alijs quas credidit Deo magis placere, ſeruierat: vt ipſorum gratiam participaret: dominus præbuit ipſi defunctæ cor ſuum deificatum cum his verbis: Bibe nunc pleno peculo ex me, quod in terris ſitiſti per electas meas. ¶ Sequenti autem die ſub miſſa apparuit defunctæ anima, quaſi ſedens in ſinu domini. Et regina cœli .ſ. mater domini, etiã videbatur adeſſe & præbere illi gaudia & merita ſua. Et ſpecialiter dum Conuentus legeret pro ea pſalterium diſtinctum

ctum cum Aue Maria ad ſingula verba, videbatur mater domini ipſi animæ xenia porrigere, quæ ipſa velut in meritum ſuſcepit. Cum eadem verba recitarentur à Conuentu, tunc iſta diſcere cupiens, requiſiuit à domino quid anima illius defunctæ ex humana fragilitate contraxiſſet, quod ipſa maxime in ea purgandum iudicaſſet, antequam egredereturde corpore. Cui reſpõdit dominus. Hoc inquit, quod aliquantulum cõplacebat ſibi in ſuo ſingulari ſenſu. Quod etiam purgaui in illa per hoc, quod obijt priuſquam conuentus communem orationem pro ea perſoluiſſet. Nam hoc ipſa valde anxie tulit, timens ſibi multum obeſſe quod ſuffragia orationum conuentus ſibi videbat deeſſe. Et per hoc purgabatur ab hoc defectu. Et cum iſta diceret, domine non potuit hoc purgari per cordis contritionem, cum peteret à te in exitu ſuo indulgentiam omnium peccatorum? Reſpondit dominus Ideo per talem generalem contritionem non potuit purgari, quia aliquantulum in ſuo ſenſu permanſit, non plene conſentiens illis quæ eam docebant. Et ſic oportebat eam cum grauamine purgari Et ſubiunxit dominus. Adhuc pro vna cauſa purgari debuit, ſcilicet, quod quandoque neglexit gratiam confeſsionis, Sed hoc pie-

Purgatio proprij ſenſus.

Gratia confeſsionis.

pietas mea relaxauit propter præſentiam amicorum meorum atque ſuorum curam eius gerentium, & cum ſolo grauamine, quo in die exitus ſui coacta confitebatur, dimiſi ipſi totam culpam, quam in hoc habuit. ¶ Sub miſſa vero dum cantaretur in offertorio, Hoſtias ac preces, dominus videbatur eleuare dexteram ſuam, & exinde mira facta eſt claritas, quaſi totum cœlum illuminaretur, & ſpecialiter illa anima (quę apparuit ſedere in ſinu domini) mirifice illuſtrabatur, & accedentes omnes ſancti ſecundum dignitatem chororum obtulerũt merita ſua in ſinum Chriſti Ieſu, in ſupple-tionem meritorum animæ illius. Et hoc intellexit ideo fieri, quia anima illa viuens adhuc in corpore hoc ſolebat orare, vt fieret pro animabus defunctorum. Cum igitur omnes ſancti ſeſe illi valde amicabiliter exhiberent, ſpecialiter tamen virgines quaſi collegæ ſuæ ſuauiſsima exhibitione ipſi blandiebantur. ¶ Item alia vice, dum iſta oraret pro ea paucis verbis, ſed nimium põderoſis, apparuerunt omnia verba illa, quæ orandi dixerat, quaſi ſcripta ante pectus Ieſu, & facta velut feneſtræ, quæ tenderent ad cor Ieſu filij Dei. Et audiuit dominum dicentem ad ipſam animam: Circumſpice totum cœlum, & conſidera ſi quid in aliquo ſan-

Sanctorum interceßio.

ſanctorum videas, quod tu velles habere: & hoc trahe de corde meo per iſtas feneſtras. Similiter intellexit fieri de omni oratione, quæ deuote dicebatur pro ea. Ad eleuationem autem hoſtiæ videbatur filius Dei præbere illi corpus ſuum in ſpecie agniculi immaculati: cui cum ipſa dulciſsimum preberet oſculum, in ipſo oſculo videbatur immutata, quaſi nouum reciperet gaudium in cognitione diuinitatis. ¶ Tũc iſta admonuit eam, vt oraret pro ſibi commiſsis. Quæ reſpondit: Ego oro pro eis ſed, nihil poſſum velle quam quod video velle amantiſsimum dominum meum. Tũc iſta: Non prodeſt tunc illis, quod ſperant in tuã orationem? Reſpondit. Prodeſt plurimum quia dominus videns earum deſiderium dat nobis orare pro illis. Et iſta. Poteſt ne aliquid ſpecialius orare pro ſpecialibus amicis tuis, quæ te non rogauerunt; Et illa. Dominus noſter ex naturali pietate ſua eis magis benefacit propter nos. Tunc iſta. Ora tamen nunc ſpecialius pro ſacerdote illo, qui iam pro te communicat. Et illa. Ipſe duplicatum lucrum mihi reportabit. Quia ſicut dominus ab eo ſuſcipit & in me refundit ſalutem: ſic hoc idem à me refundetur in ipſum etiam meo adaucto: ſicut aurum diſtinctis coloribus magis

gratum apparet. Tunc iſta. Verbis tuis mihi videris affirmare, quod fructuoſius ſit celebrare miſſam pro defunctis, quam aliam. Ad quod illa. Propter charitatem, inquit (qua animas cum illa iuuat) eſt fructuoſius, quam ſi aliam miſſam ſolummodo propter debitum ſacerdotij celebraret. Si vero ex commotione cordis fertur in Deum, & ſic celebrat, hoc eſt fructuoſiſsimum. Et iſta. Vnde hæc omnia noſti, cum nimis ſimplicem ſenſum habueris in corpore? Illa reſpondit. Inde habeo de quo Aug. dicit. Deum ſemel inſpexiſſe, eſt omnia didiciſſe. ¶ Item alia vice videns eam in magna gloria veſtibus rubeis decoratam, perquiſiuit à domino vnde hoc illi eſſet. Reſpondit dominus. Ego ſicut per te ſibi promiſeram, veſtiui eam paſsione mea, pro eo quod cum magnum defectum cordis pateretur, non tamen ſubtraxit ſe à communibus laboribus ordinis. Et quando in talibus vltra vires laborabat, non faciebat inde magnam querimoniam cum impatientia. Et adiunxit dominus. Pro eo etiam quod in infirmitate ſua aliquos ſuſtinuit defectus, dedi illi tot ex nobilioribus, principibus meis miniſtros, qui ſpecialem illi delectationem, gloriæ frequenter exhibent pro illis defectibus, quot-

De fructu ſacrificij Miſſæ.

quotquot ſuſtinuit. Pro eo autẽ quod grauiorem pœnam pertulit in vno brachio, cũ tantæ beatitudinis gloria me amplexatur, quod centies maiora ſe pertuliſſe optaret. ¶ Videbantur præterea quædam animæ geniculando ſedere ante eam, quæ erant liberatæ per orationes, quæ ꝑ ea erant factæ, ſupra id quod indigebat. Et cum iſta perquireret ab ea, ſi congregatio aliquod auxilium haberet ex eo, quod ex ipſis iam plures in cœlum eſſent receptæ: illa reſpondit. Magnum vobis inde ſuffragium eſt, quia dominus propter vnamquamque noſtrum beneficia ſua erga vos multiplicat. Et cum in alia miſſa, quæ non cantabatur pro defunctis, iſta pro ea orãs videret ipſam in gloria: requiſiuit ab ea quid ipſa ab illa miſſa poſſet habere, quæ non cantaretur pro defunctis? Ad quod illa. Et quid habet regina de bonis regis domini ſui? Nam ego nunc coniuncta ſum regi domino & ſponſo meo dulciſsimo ſic quod omnibus bonis eius in veritate communico: ſicut regina regi communicat in menſa ſua. Pro quo ſit ipſi regi regum domino laus & gloria per infinita ſecula.

De.

De dominæ M.*præparatione, agone, patientia, deuotione, inunctione, de effectu Lætaniæ, ac benignitate matris domini.*

CAPVT. VI.

DVm felicis memoriæ domina M.cantrix noſtra deuotiſsima ægrotaret ad mortem bonis operibus imo Deo plena, fere ante menſem obitus ſui ſolito more ſuæ deuotionis & bonæ voluntatis iam lecto decumbens, memoriam mortis, quam ipſa compoſuerat, celebrare ſtuduit. Cumque in die dominico, quo per ſacratiſsimi corporis & ſanguinis Chriſti ſuſceptionem extremam horam expirationis ſuæ diuinæ miſericordiæ committeret, iſta pro ea oraret, cognouit in ſpiritu, quod dominus animã ipſius totam ſua diuina virtute ſibi intraxit & poſt moram eam corpuſculo reinſpirauit, ad tempus iterum ibi moraturam. Tũc iſta ait ad dominum. Ad quid domine adhuc eam in terris morari vis? Ad hoc (inquit dominus) vt perficiã in ea opus quod diuina diſpenſatione mea in diebus iſtis operandũ præordinaui. Et ad hoc ipſa triplex mihi miniſterium exhibebit, ſcilicet quietem humilitatis, menſam patientiæ, ac luſum virtutum. Verbi gratia. In omnibus

quæ

quæ videt vel audit ab aliquo, ſemper ſe humiliando reputat indignam ac omnibus viliorem. Per quod exhibet mihi ſatis delitioſam quietem in corde & anima ſua. Secundo in omnibus infirmitatibus & tribulationibus ſuis gaudens patientiam amplexatur & libenter pro amore meo omnia grauamina ſua ſuffert: ſicque menſam mihi præparat valde ſumptuoſam. Tertio per diuerſarum virtutum exercitationem delectabiliſsimum diuinæ voluptati meæ exhibet luſum. ¶ Alia vice communicatura cũ iſta interrogaret dominũ, quid operaretur cũ ea: reſpodit. In thalamo ſuauis amplexus quieſco. In quibus verbis intellexit, hũc eſſe talamum ſuauis amplexus, in quo cum domino & dominus cum ea requieſcebat, videlicet quod quamuis diuerſis grauaminibus & continuis doloribus vexaretur: tamen de pietate domini confidens, omnia ſibi ex diuina miſericordia ꝓuenire credebat ad ſalutẽ: ſemꝑ gratias Deo agẽs, eiuſq; paternæ ꝓuidentiæ omnia ſua fiducialiter cõmittẽs. Cumq; iã ad extrema acceleraret & ſingulis diebus circa veſperum intolerabili cruciaretur cordis dolore quadam vice circumſtantes ſorores dolori eius amariſsimo compatientes benigne conſolabatur, dicens. Eia nolite flere neque cõtriſtari propter

ter me charifsimæ,quia ego tantum veſtræ deſolationi condoleo,quod ſi eſſet voluntas noſtri dulciſsimi amatoris: ego ſemper viuere vellem in his pœnis, vt poſſem veſtra in omnibus eſſe conſolatrix. Et cum vice quadam inſtantius compelleretur precibus quarundam,vt ſumeret medicinam ad ſedandum dolorem (vt ſperabant) & ipſa licet inuita tamen benigne conſentiret: & ſtatim poſt ſumptam medicinam grauioré dolorem incurreret & iſta ſequenti die exoraret dominum, quatenus ipſi infirmæ talem benignitatem recompenſaret: reſpondit dominus. Ego ex dolore illo (quem dilecta mea contraxit de ſero dum ꝓpter preces aliorum benigne ſumpſit medicinam) confeci ſaluberrimum remedium omnibus per vniuerſum mundum peccatoribus ac animabus purgandis. ¶ In penultima vero dominica ſcilicet. Si iniquitates, cum vltimo ante obitum ſuum communicaret: iſta pro ea orans inſpirata eſt à domino, vt ipſam electam ſuam commoneret, vt ad ſuſcipiendum ſacræ vnctionis ſacramentum prepararet. Nam poſt ſuſceptionem illius ſalutiferi ſacramenti ipſe cuſtos diligentiſsimus amicorum ſuorum in ſinu ſuo eam, ab omni macula cuſtodire, vellet, immunem, ſicut pictor ſummo ſtu-

ſtudio conſeruat imaginem nouiter depictam, ne aliquo puluere obfuſcetur. Hæc cum iſta ipſi infirmæ diceret, ipſa vt erat in omnibus ſemper prælatis ſuis ſubiecta, humiliter hoc commiſit eorum beneplacito & diuinæ prouidentiæ quæ nunquam in ſe ſperantes derelinquit. Prælati vero cum ipſam in tanta reuerentia haberent, quod nõ dubitarent ipſam optime præſcire tempus, quod domino placeret vt vnctionis ſacramentum ſuſciperet, viderentque quod hoc ſerioſe non expoſceret, ipſa die ſacram vnctionem diſtulerunt. Dominus autẽ verificans illud euangelicum. Cœlum & terra

Matth.24. tranſibunt, verba autem mea non tranſibũt verbum quod feceratad electam ſuam tali teſtimonio comprobauit. Nam ante matutinas ſecundæ feriæ ipſa beata M. tam repẽtinus cœpit doloribus vexari, quod certiſſime putabatur agonizare. Tunc confeſtim conuocati ſunt ſacerdotes, & ipſa vnctionis percepit ſacramentum. Sicque contigit, vt quamuis non ipſo die, tamen ante ortum ſequentis diei inungeretur. ¶ Cumque iſta pro ea oraret, intellexit quod dum oculi infirmæ per ſacerdotem inungerentur, amantiſsimus dominus omnem aſpectum ſuæ diuinæ pietatis (quo vnquã melliſluum cor ſuum propria benignitate cõmotum

motum eſt) cum quodam diuini ſplendoris radio ad ipſam dignantiſſimè conuertens, donauit illi cum ipſo ſplendore omnē exercitationem ſanctiſsimorum oculorum ſuorum. Vnde videbantur oculi eius ex abundantia diuinæ pietatis tanquam liquorem ſuauiſsimi olei emanare. Per quod intellexit, quòd dominus meritis ipſius omnibus eam cum confidentia inuocantibus conſolationis ſubſidium largè dignaretur conferre. Et hoc meruit pro eo, quòd ſe erga omnes homines ſemper piam & beneuolam charitatiuo exhibuit affectu. Similiter cùm inungerentur cætera membra, ad ſingula dominus donabat illi ſanctiſsimorum membrorum ſuorum perfectiſsimam operationem. Ad vnctionem verò oris ipſe ardentiſſimus animæ zelator ſe dignantiſsimè ad porrigendum ori ſponſæ ſuæ oſculum vincens mellis poculum coaptauit, cum quo & omnem fructū ſanctiſsimi oris ſui contulit ipſi. ¶ Dum verò in Letania legeretur: Omnes ſancti Seraphim & Cherubim orate pro ea, vidit quòd ipſa Seraphim & Cherubim agmina cum ſumma reuerentia maximoq; tripudio velut ab inuicem ſecedentes, locum inter ſe congruentiſsimum ipſi electæ Dei præbuerunt; dignum cenſentes, vt quæ

De effectu Letaniæ.

in terris angelicam duxerat vitam per virgineæ conuerſationis ſanctimoniam, & etiam ſuper angelos cum Cherubim fluenta ſpiritualis intelligentiæ de ipſo fonte omnis ſapientiæ hauſerat copioſe: necnon cum ignitis Seraphim ipſum qui ignis con ſumens eſt, charitatis brachijs amplexata fuerat, inter ſe ſublimiter collocari deberet, quæ ſuper omnes meruerat diuinæ maieſtati approximare. Cumque ſinguli ſanctorum in Letania nominarentur, quilibet eorum cum ingenti gaudio maximaq; reuerentia exurgens, flexis genibus merita ſua in ſpecie precioſorum xeniorum in ſinum domini offerebant: vt ea in augmentum gaudij & gloriæ ſuæ dilectæ donaret. ¶ Peracta verò vnctione, dominus eam in amplexus amantiſsimè ſuſcipiens, ſic per biduum ſuſtentabat, vt vulnus dulciflui cordis ſui ori infirmæ pàteret, à quo omnem flatum quem ſpirabat, trahere, & iterum in idem cor dulciſsimum emittere videbatur. ¶ Appropinquante autem iucundiſsimo tempore beatiſsimi tranſitus ipſius (quo poſt diuerſarum infirmitatum laborem ſomnum perpetuæ quietis imperturbabilem dominus electæ ſuæ donare diſpoſuit) feria quarta, in vigilia ſcilicet ſanctæ Elizabeth, ante nonam cœpit euiden-

denter agonizare. Cumq; conuentus ſumma cum deuotione conueniſſet, & prædictæ ſibi in Chriſto conſororis ſuæ exitum præſtolando cum orationibus conſuetis præmuniret, hæc ardentiori ducta deſiderio vidit animam ipſius in ſpecie cuiuſdã puellæ valdè delicatæ coram domino ſtantem, & omnem flatum quem ſpirabat, per vulnus ſanctiſsimi lateris cordi ipſius melliſluo immittere. Ex quo cor deificum ſuperabundantia propriæ benignitatis & dulcedinis commotum, quoties flatum ipſius ſibi intrahebat, toties ex ſuperabundantia amoris ſupereffluens per totam eccleſiæ latitudinem ſtillicidia gratiarum reſperſit, & ſpecialiter in perſonas ſibi præſentes. Et hoc intellexit ex eo eſſe, quòd ipſa beata infirma Deo donante deuotam intentionem feruensque deſiderium tunc ſpecialius habebat pro omnibus, tam viuis, quàm defunctis, quibus omnibus dominus ſuæ beneficia gratiæ largè diffudit. ¶ Cùm verò legeretur Antiphona (Salue regina) in illo verbo [Eia ergo aduocata noſtra) electa Dei infirma matrem virginem blandè alloquens, commendauit ipſi conſorores ſuas, quas in proximo erat relictura: orans, vt eas cauſa ſui in maiorem ſuſciperet affectũ. Et ſicut ipſa, quoad

De benignitate virginis matris.

vixit,quantum poterat,ſe omnibus præbu-erat beneuolam & paratam aduocatam: ita ipſa mater miſericordiæ nunc poſt obitum eius dignaretur ſecum apud ſuum filium eſſe interueutrix & aduocata congregationis noſtræ.Ad quod intemerata virgo ſe paratiſsimam exhibuit,extenſiſque manibus ſuis delicatis ad manus infirmæ curam congregationis ſibi commiſſæ, quaſi de manu eius ſuſcepit.Hinc cùm legeretur oratiuncula [Aue Ieſu Chriſte] in illo verbo [via dulcis] videbatur dominus Ieſus ſponſus animæ delicatus,quaſi ex adipe ſuę diuinitatis ſponſæ ſuæ viam deliniret, vt eo ſuauius & delicatius eã attraheret ſibi. ¶ Sicque tota die illa in agone iacens, nil aliud dicebat,quàm [Ieſu bone,Ieſu bone] apertiſsimè demonſtrans, quis medullitus ſibi infixus erat in corde,cuius nomen inter tã acerbos mortis dolores continuè tam dulciter ruminabat in ore.Cumque ſingulæ ſe orationibus ipſius deuotè committerent, & quaslibet 'neceſsitates]commendarent, cùm amplius loqui non poſſet, ſaltem ſubmiſſe dicebat:Libenter.Vel: Eia.'Per quod expreſsè declarabat,quo affectu quæq; ſibi commiſſa domino commẽdaret. Intellexit etiam noſtra Gertrudis de omnibus membris infirmæ (in quibus cruciabatur)exire

quaſi

quaſi quendam vaporem eximium, qui animam eiuſdem contingens, miro modo ab omnibus maculis purificabat, ſanctificabat, & æternæ beatitudini cooptabat. ¶ Hæc omnia cùm iſta Gertrudis in ſpiritu cognouiſſet, propoſuit in corde ſuo ea celare, ne ipſa proderetur eſſe illa cui hoc foret reuelatum. Quod quàm contrarium fuerit diuinæ voluntati, cuius gloria eſt reuelare ſermonem, quique dixit: Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta, luce clarius patet per conſequentia. Nam cùm ſub veſperis beatæ Elizabeth iterum domina M. tam euidenter expirare videretur, quòd Conuentus repentè de choro vocatus circa infirmam orationes ſolitas replicaret, ipſa omni conatu virium & ſenſuum ſuorũ interiorum, ne vnicum quidem verbum percipere potuit de his, quæ tunc circa infirmam agebãtur: donec culpam ſuam agnoſceret, & pœnitendo diluens voueret domino, quod ad ſui ſolius gloriam libenter ad conſolationem proximorum patefacere vellet, quæcunque dignaretur ſibi reuelare. ¶ Hinc poſt Completorium, cùm iam dicta infirma iam tertio agonizare videretur: iſta iterum rapta in ſpiritu, vidit animam infirmæ, vt ſuprà, in ſpecie teneræ multum & amabilis puellæ: ſed quaſi *Tob. 12.* *Matth. 10.*

nouis ornamētis ex diuturnis paſsionibus decoratæ in impetu circa collū Ieſu Chriſti ſponſi delicati irruentem, ac blandis ipſum amplexibus cōſtringentem, ex ſingulis vulneribus domini ad modum apis diuerſos flores auidè ſugentis, ſpeciales ſibi intrahere delectationes. Cùm autem inter cætera legeretur Reſp. (Aue ſponſa virginum regina, roſa ſine ſpina) procedens virgo glorioſa animam infirmę magis coaptauit & habilitauit ad perfruendum & delectandum in delitijs diuinitatis. Tunc dominus Ieſus ex meritis matris ſuæ & ex dignitate illa, qua ipſa ſola meruit dici & eſſe mater & virgo, quaſi quoddam monile mirabiliter radiantibus gemmis compactum ſumēs, pectori infirmæ impoſuit: hoc eam ſpeciali priuilegio condonans, vt ad ſimilitudinem ſuæ virgineæ matris etiam ipſa diceretur mater & virgo, eo quòd caſto zelo memoriam ſui in multorum cordibus genuiſſet.

De eiuſdem dominæ M. beatæ morte, & copioſa remuneratione. Deq́; ſanctorum meritis & interceſsionibus, & de ſuppletione ad quinque vulnera.

CAPVT VII.

In

IN nocte itaque beatæ Elizabeth, dum matutinæ iam eſſent incœptæ, cœpit electa Dei iterum taliter immutari, vt putaretur iam vltimum ſpiritum exhalare. Vnde omiſsis matutinis conuentus celeriter circa ipſam more ſolito conuenit. Tunc in ſplendore diuinæ virtutis ſuæ coruſcans, dominus ſponſi formam indutus gloria & honore coronatus, ineffabiliter fulgurantis diuinitatis decore perornatus apparuit huic, & animam infirmæ ſuauiſsima blanditate alloquens, ait: Modò dilecta mea exaltabo te apud proximos tuos, hoc eſt, in præſentia prędilectæ mihi congregationis. Sicque incompræhenſibili & inæſtimabili modo ſalutauit animam illam beatiſsimam per ſingula vulnera ſanctiſsimi corporis ſui: ita, quòd vnumquodque vulnus quatuor mirabiles & omni delectatione plenos emittebat vocationis modos, ſcilicet ſuauiſsimi ſoni, efficaciſsimi vaporis, vberrimi roris, & amœniſsimi ſplendoris. Per quos vt tranſiret, electam ſuam ſalutando, dominus vocauit. Per ſonum itaque ſuauiſonum (qui omnem excellebat modum organicum) notabâtur omnia verba, quę ipſa electa Dei in omni vita ſua ad Deũ dulciter vel propter Deum vtiliter ad ſalutẽ proximorum locuta fuerat. Quę omni centupli-

cato fructu in corde diuino dulcorata per emiſsiones ſingulorum vulnerum domini recompenſabantur ipſi. Per vaporem verò mirificum ſignabantur omnia deſideria, quæ habuerat ad laudem Dei poſt Deum vel propter Deum ad ſalutem aliorũ. Quæ ſimiliter incompræhenſibili multiplicato effectu per ſingula vulnera Ieſu dulciflua ipſi remetiebantur. Per rorem autem largifluum exprimebatur omnis affectus, quẽ vnquam habuit ad Deum, vel ad aliquam creaturam propter Deum. Qui etiam ineffabiliter ſuauiflua delectatione per vulnera dominica afficiebant animã eius. Per ſplendorem autem clariſsimum ſignabantur diuerſæ paſsiones, quæ ab infantia vſque ad præſens corpore & ſpiritu pertulerat: quæ ſupra omnem capacitatem humanam in vnione paſsionis Chriſti nobilitatæ, animã ipſius ſanctificabãt, & diuini charitati configurabant. In tali delectatione cæleſtiũ delitiarum anima illa repauſans, nequaquam vice illa expirauit: ſed adhuc ad eminentiora bona ſibi à dilectore ſuo præparanda aſpirauit. Dominus autem rore largifluo ſuę diuinæ benedictionis omnes præſentes copioſe reſperſit, dicẽs: Ego propria benignitate coactus dulcore charitatis intrinſecus delectabar, vt omnes perſonæ mihi dilectæ con-

congregationis huic dignantiſsimæ tranſfigurationi meæ intereſſent: ex qua tantũ honorem habeant in cælis coram omnibus ſanctis meis, quantum illi tres præ cunctis electi, ſcilicet Petrus, Iacobus & Ioannes habent præ cæteris Apoſtolis, ex eo quòd transfigurationi meæ in monte meruerunt intereſſe. Tunc iſta: Domine, quid tua largiflua benedictio & copioſa gratiarum infuſio prodeſſe poteſt illis, qui per internum ſaporem hoc non ſentiunt? Reſpondit dominus: Cùm alicui conceditur pomerium fructiferum à domino ſuo, non ſtatim ſcire poteſt ſaporem ſingulorum fructuum: ſed expectare oportet, quouſq; fructus maturеſcant. Similiter cùm alicui dona gratiarũ infundo, non ſtatim percipit etiam interioris delectationis ſaporem, donec per exteriorum virtutum exercitationem, teſta terrenæ delectationis penitus confracta deguſtare mereatur nucleum internæ ſuauitatis. Tunc accepta ſaluberrima benedictione conuentus iterum chorum intrans, matutinas compleuit. ¶ Dum verò cantaretur xij Reſponſ. [O lampas] apparuit anima infimæ in conſpectu ſummę Trinitatis ſtans, deuoteq; pro eccleſia ſupplicãs. Quã Deus pater per eadem verba dulciter decãtando ſalutabat, dicẽs: Aue electa mea, quæ

Elegans ſimilitudo.

per exempla ſanctæ conuerſationis verè dici poteris lampas eccleſiæ riuos fundens olei, id eſt, orationum in totam latitudinem mundi. Tunc filius Dei ſubiunxit, dicens: Gaude ſponſa mea, quæ iuſtè diceris medicina gratiæ, quia diuerſis hominibus gratia priuatis copioſior reſtituetur tuis precibus. Hinc ſpiritusſanctus cõcinuit: Aue immaculata mea, quæ meritò nutrimentũ fidei vocaberis: quia in omniũ cordibus qui piè credunt diuinæ operationi meæ, quę in te nõ corporaliter ſed ſpiritualiter operor, fidei virtus nutrietur & ſtabilietur. Deinde Deus pater donauit illi de omnipotẽtia ſua vt omnibus ex humana fragilitate pauentibus, & nondũ de diuina bonitate plenè confidentibus tutelã præſtaret ſecuritatis. Spiritus quoq; paracletus contulit illi, vt ex feruore ſuæ diuinæ charitatis tepidis calorem feruidũ miniſtraret. Deinde filius Dei conceſsit ei, vt in vnione ſanctiſsimæ paſſionis & mortis ſuæ omnibus in peccato languidis cõferret medelam. Tunc multitudo angelorum & ſanctorum ipſam corã domino honorificè eleuantes, clara voce inſimul reſonabant: Tu Dei ſaturitas, oliua fructifera, cuius lucet puritas, & reſplendent opera. In illo verbo [Cuius lucet puritas] collaudabant ſuauiſsimam quietem, qua do-

minus

minus in ipſius anima dignanter quieuit, & in illo verbo[Et reſplendent opera]omnium operum eius laudabilem & puram intentionem. Hinc omnes ſancti altiſonè intonabant Antiph. [Deus palam omnibus] ¶ Sub præfatione verò ſummę miſſæ iterato velut nouæ gloriæ indutus decore floriger ſponſus Ieſus ſuauiſsima quadam blanditate vultum ſponſæ ſuæ verſus faciem ſuam tam directè conuertit, quod flatum infirmę recto tramite afflatu ſuo intrahere videbatur, oculosque ſuos deificos ipſius apponens oculis ipſos mirificè perluſtrauit: ſicque eam feliciter ſanctificando futuræ beatitudinis gloriæ coaptauit. ¶ Hinc inſtante hora deſiderantiſſima, quæ ſæpè dicta Chriſti Ieſu ſponſa electa ſecundum optimum placitum dilecti ſui, perfectè compoſita, ingreſſura erat thalamum ſponſi: tunc delitijs affluens, ipſe dominus maieſtatis lumine diuinitatis ſuæ totam eam circumfulgens, ſuauiſsimè intonabat, dicens: [Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis par. &c.] commonefaciens eam doni illius prædigniſsimi, quo ante aliquot annos in eiſdem verbis cor ſuum donauerat ſibi in pignus amoris & omnium delectationum & conſolationum, quæ ab illo die

continuè miniſtrauit ſibi. Hinc blandiſſimè ſalutans ipſam, ait. Et vbi eſt xeniũ meum? Ad quod illa cor ſuum in cor dilecti ſui obtulit & immerſit. Dominus quoque cor ſuum ſanctiſſimum corde illius applicans, totam eam ſuæ diuinitatis virtute abſorptam gloriæ ſuæ feliciter ſociauit. Vbi memor memorum ſuorum gratiam quæſumus, obtineat nobis diuinæ pietatis. ¶ Dum autem commendatio more ſolito fieret pro defuncta: apparuit dominus in maieſtate gloriæ ſuæ ſedens, & animam defunctæ in ſinu ſuo pauſantem blandè demulcens. Cumq; legeretur: Subuenite ſancti Dei, occurrite angeli ſuſcipientes animã eius: angeli videntes eam tanta dignatione à domino ſuo ſuſceptam, & tam magnificè honoratam, flectentes genua coram domino adinſtar principum ab Imperatore prædia ſuſcipientium, receperunt merita ſua, quæ pridem in vnctione obtulerant in augmentum meriti dilectricis Chriſti, quaſi ex ipſius meritis duplicata, & mirificè nobilitata. Similiter ſinguli ſanctorum ſingillatim faciebant in Lætania ad inuocationem nominis ſui. ¶ Tunc iſta commouit eam in ſpiritu, vt oraret pro defectibus ſpecialium amicorum ſuorum. Cui illa: Ecce iam in luce veritatis tam perſpicuè cogno

ſco

ſco; quòd omnis affectus meus, quem ego ad aliquem haberi potui in terris, vix eſt quaſi vna gutta ad pelagus totius maris reſpectu dulciſsimi affectus illius, quo cor diuinum afficitur erga illos, & quàm perutili diſpenſatione dominus permittit aliquos homini inhærere defectus, vt humilietur, & frequenter exerceatur: ſicque de die in diem proficiat ad ſalutem, quod nec vno cogitatu velle poſſum quicquam aliud, quàm quod omnipotens ſapientia domini mei circa ſingulos iuxta optimam eorum ſalutem ordinauit. Vnde me totā pro tam ordinatiſsima diuinæ pietatis diſpoſitione in laudes & gratiarum actiones extendendo oro, vt ita impleatur. ¶ Sequenti verò die ſub prima miſſa, ſcilicet: Requiem æternam, videbatur electa Dei, de corde Dei quaſi aureas fiſtulas producere ad omnes qui ſpecialem ad eum habebant deuotionem. Per quas ſibi de corde Dei attraherent quodcunque deſiderarent. Habebat enim quælibet fiſtula ducillum aureum, quem cum his & ſimilibus verbis extrahere deberent ad obtinendum quælibet deſiderata, videlicet [Per amorem quo electæ tuę M. vel vnquam alicui electorum tuorum benefeciſti, vel feciſſes ſi habilitatē in hominibus inueniſſes, & adhuc facturus

Magnitudo benignitatis diuinæ.

es, in cælis ſiue in terris, exaudi me beni-
gniſsime Ieſu per merita & orationes ipſius
omniumq; electorum tuorũ.] Confidant-
que quòd per talia verba facilius diuinam
clementiam inclinabunt ad quæq; deſide-
rati. Ad eleuationem verò hoſtiæ videba-
tur, quòd anima illa beata ſimul cum ho-
ſtia deſiderabat ſeipſam offerre Deo patri
in laudem æternam pro ſalute vniuerſita-
tis. Vnde vnigenitus Dei, qui nihil negare
nouit deſiderijs electorum, ipſam totam ſi-
bi intrahens, & ſecum Deo patri offerens,
ex illius vnione duplicatam ſalutem omni-
bus in cælo & in terra ac in purgatorio mi-
niſtrauit. ¶ Alia vice dum anima eius ite-
rum appareret huic virgini in gloria, requi
ſiuit ab ea, quid ex hoc cõſecuta eſſet, quòd
ſpeciales ſui perſoluiſſent pro ea domino
toties Antiph. (Ex quo omnia, per quem o-
mnia, in quo omnia, ipſi gloria in ſecula)
quod dies vixit in terris, & tot miſſas de ſan
cta Trinitate feciſſent decantari, quot an-
norum erat in laudem & gloriam & gratia-
rum actionem pro omnibus beneficijs ſibi
impẽſis. Cui illa reſpõdit: Per Antiph. (Ex
quo omnia) ornauit me dominus meus tot
floribus valdè venuſtis quot Antiph. perſol
uerũt. Per quos intraho mihi viuũ ſaporem
de melliſluo corde ipſius. Pro miſsis autem
hoc

hoc mihi donauit, quod in omni laude, qua ipſum collaudo, quidam aromatic⁹ ſapor mirabiliter reficit & delectabiliter afficit omnes ſenſus animæ meæ. ¶ Alia etiã vice, dum iſta deuotius oſculando quinque vulnera domini legiſſet, v. pater noſter, offerens illa domino in ſuppletionem omnium quæ ipſa neglexiſſet eidẽ dominæ M. tam infirmanti quam etiam defunctæ ex debitis orationibus perſoluere, impediẽte cõtinua (qua tunc laborabat) infirmitate: apparuerunt quinq; flores vernãtiſsimi quaſi eiſdem vulneribus domini germinantes. de quibus ex virtute eorundem ſuauifluorum vulnerum Chriſti liquor quidam balſamiticus miræ puritatis & admirandæ virtutis prorumpere videbatur. Tunc iſta blande ſalutans animam beatæ M. ait. O electa domini mei hos flores de ſupereffluentia diuinæ pietatis efflorentes acceptet, quæſo, tua benignitas pro omnibus debitis meis, quæ nondum perſoluere poſſum, & ex ipſis te in augmentum omnium meritorum tuorum perenna & pro me indigna ſponſum tuum exora. Cui illa reſpondit. Ego magis delector flores illos reſpicere dulcifluis vulneribus. Domini mei tam honorifice adaptatos, quia quandocunque ipſos cum deſiderio contingendo expreſſero, pro-

protinus ex efficacia ſuauifluorum vulnerum ipſius liquorem ſaluberrimum largiter ſtillabunt in abſolutionem hominum peccatorum & conſolationem iuſtorum.

De animabus M. & E. quam exacte purgabantur pro negligentijs, & præmiabantur pro meritis.

CAPVT. VIII.

DVæ puellæ genere nobiles, ſed mente multo nobiliores: carne germanæ, ſed ſpiritu & virtutibus magis propinquæ, poſt peractam innocenter puerilem ætatem in ſanctæ religionis virtutibus florentes in nouitio feruore de hoc ſeculo ad cœleſtem thalamum immortalis, ſponſi ſunt vocatæ. Quarum cũ prima in die glorioſæ Aſſumptionis Mariæ, die ſcilicet deſponſationis ſue obiiſſet, altera eam XXX. die notabiliter eſt ſecuta tam felici agone, quod de vtriuſque verbis & factis feruens deſiderium & mirã deuotionem ac optimam voluntatem redolentibus pręmagnifica poſſent enarrari. Prima igitur die aſſumptionis feliciter defuncta huic Gertrudi pro ea oranti apparuit, quaſi in magna luce & ornatu vario ante thronum gloriæ Imperatoris Chriſti Ieſu, cui tamen aſtitit tanquam ſponſa verecunda,

da nitens ſubducere faciem,& nequaquam auſa oculos aperire vel leuare ad gloriam tantæ maieſtatis. Quod cum iſta videret, ducta zelo pietatis dixit ad dominum. Eia benigniſsime Deus, quare hãc filiam tuam dimittis aſtare tibi quaſi alienam, non ſuſcipiens eam inter ſuaues amplexus tuos? Ad quod dominus blandiſsima ſerenitate deflexus videbatur extendere dextram ſuam velut in eius amplexus. Anima vero illa velut cum quadam delicata reuerentia videbatur ſe amplexibus domini ſubtrahere. qd' iſta multum admirans , dixit ad animam. Qua de cauſa videris tam amabilis ſponſi amplexibus ſuáuib⁹ te ſubducere? Ad quod illa. Quia me non dum plene purgatam aliquæ maculæ indecentem faciunt: ergo dictante iuſtitia ſi omni modo liber mihi pateret ad Deum acceſſus, memetipſam ſponte ſubtraherem , cum ſciam me tam glorioſo domino meo nondum conuenire. Tũc iſta. Et hoc quomodo eſſe poteſt, cum tamẽ videaris iam tanquam glorificata præſentiæ domini aſtare. Reſpondit anima. Licet omnis creatura præſens ſit Deo, ſecundum tamen hoc anima quælibet apparet ipſi ſpecialiter appropinquare, ſecundum quod ꝓficit in charitate. Illam tamen beatitudinẽ, qua beata anima iucundatur ex fruitione & viſio-

viſione diuinitatis cum plena remuneratione, nulla anima meretur accipere, vſque plene purgata ab omni macula, intrare mereatur in gaudium domini ſui. ¶ Hinc poſt menſem dum germana iſtius felicis memoriæ E. agonizaret, & iſta diutius pro ea oraſſet, poſt moram deceſsionis illius vidit animam eius in loco quodam lucido in ſpecie cuiuſdam virgunculæ, quæ rubeis veſtibus decenter compoſita ſponſo eſſet præſentanda. Apparuitque ibidem iuxta eam dominus in ſpecie iuuenis floridi & delicati ex ſingulis v. vulneribus ſuis animæ ſingulos v. ſenſus noua ſuauitatis dulcedine recreando & miræ blanditatis delectamentis ipſam conſolando Tunc iſta cui hoc reuelabatur, dixit ad dominum. Cum tu deus totius conſolationis tam blanda ſerenitate huic aſsis, quid ſibi vult, quod tamen mœſtiori vultu internum grauamen prætendit. Ad quod dominus. Ex hac præſentia cum ipſi tantummodo meæ humanitatis delectamenta exhibeam, non poteſt plene conſolari. Quia per eam rependi ipſi dũtaxat illud, deſiderium & deuotionem, quam ad paſsionem meam in extremis ſuis habuit. Sed poſt hæc cum purgata fuerit à negligentijs preteritæ vitæ, in præſentia iucundiſsimæ diuinitatis meæ eam perfecte con-

conſolabor. Tunc iſta. Et quomodo, inquit, omnes negligentiæ preteritæ conuerſationis ipſius non ſunt ſufficienter emendatæ, per deuotionem, quam manifeſtauit ſe in extremis habere, cum ſcriptura dicat, hominem iudicari ſecundum ꝙ in fine vitæ ſuæ inuenitur? Reſpondit dominus. Cum homo viribus deficiens ad extrema perducitur, tunc vſque ad finem cõuerſatio ipſius peruenit: quia nihil tunc amplius præualet viribus, ſed tantum voluntate. Et cui ego ex tunc gratuita pietate do bonam voluntatem & deuotum deſiderium, ille habet profectum. Sed hoc ſemper tam plenum effectum non habet ad diluendas omnes culpas præteritarum negligentiarum: ſicut ſi homo adhuc ſanus & viribus præualens vitam ſuam, integra voluntate emendaret. Tunc iſta. Nunquid domine mi, piiſsima miſeratio tua non præualeret hanc animam (cui ab infantia dederas ad omnem hominem pium cor & benignam voluntatem) etiam nunc abſoluere ab omni impedimento negligentiarum. Ad ꝙ dominus. Pietatem cordis ipſius & benignam voluntatem ego ſuperbundanter remunerabo. Sed oportet dictãte iuſtitia mea vt omnis macula negligentiarũ abſtergatur Et hinc quaſi blandiendo tenens mentum

puel-

puellæ adiunxit. Et in hoc ſponſa mea iuſtitiæ meæ libentiſsime conſentit. Quia cum purgata fuerit, gloria diuinitatis meæ iucūdiſsime conſolabitur. Ad hæc dicta cnm illa benigno vultu annueret, dominus videbatur ſe quaſi in cœlum recipere: & iſta in loco eodem permanſit ſola: & velut totis viribus ſe ſurſum trahens, nitebatur ad ſuperiora. Per hoc quod ſola remanſit, videbatur purgari quod puellari leuitate aliquando libentius manſit inter homines. Per hoc vero, quod cum labore ſurſum nitebatur, purgabatur quod ex grauamine corporis aliquando pigritiæ conſenſit. ¶ Altera autem vice, dum ſub miſſa orans pro ea ad eleuationem hoſtiæ diceret. Domine ſancte pater, hanc hoſtiam offero tibi pro ea ex parte omnium cœleſtium terreſtrium & infernorum, apparuit iterum iam dicta anima aliquantulum in aerem ſubleuata, & quaſi innumerabiles perſonæ coram ipſa flexis genibus formulam hoſtiæ vtriſque manibus ſubleuantes. Vnde & animæ illi mira promotio & ineſtimabile delectamentum adminiſtrabatur. Tunc dixit anima. Modo in veritate experior verum eſſe, quod ſcriptura dicit. Quia nullum bonum eſt in homine tam paruum, quod non remuneretur. Nec aliqua culpa, quæ non expurgetur, ſiue ante mor-

tem ſiue poſt eam. Nam pro eo quod liben-
ter ſacram communionem accepi, nunc
magnam medelam obtineo de ſacramen-
to altaris pro me oblato. Et pro eo, quod
tam benignam voluntatem habui ad om-
nes homines, nunc multo citius iuuat me o-
ratio pro me fuſa. Inſuper pro ſingulis æter-
nam remunerationem expecto in cœlis. Sic
que quaſi in aere ſurſum ferri videbatur,
ſubleuata precibus eccleſiæ. Et cum ad ter-
minum ſibi ſtatutum perueniret, ſciebat ſi-
bi dominum cum corona regni in multitu-
dine miſerationum ſuarum obuiaturum, &
eam in gaudium æternum perducturum.

De anima dominæ S. pro inobedientia per infirmitatem purgata.

CAPVT. IX.

BEatæ memoriæ domina S. ſenior cum
eſſet inuncta & iſta pro ea v. pater no
ſter perſolueret, & vltimo ad vulnus lateris
Chriſti Ieſu oraret, vt eā in benedicta aqua
inde profluente ab omni macula emunda-
ret, & per precioſum ſanguinem ſuum diuer
ſis virtutibus decoraret illa in ſpecie cuiuſ-
dam teneræ puellæ aureola decorata: quam
dominus ſiniſtro brachio circumplectens,
hoc quod ſibi iſta orauerat, in anima ipſius
benig-

benigne perfecit. Intellexit tamē iſta, quod adhuc per moram eſſet permanſura, quouſquo vnam culpam ægrotando emendaret, quam contraxerat deliquendo contra obedientiam, cuidam pſonæ ægrotanti plus iuſto communicans. Quod & factum eſt. Ná v. menſes ſuperuixit, tali quandoque laborans infirmitate, quod omnibus patuit pro qua culpa purgaretur. Iſto tamen die cœleſtem prætendebat alacritatem adeo, quod palam innotuit, dominum ipſam ſua gratia viſitaſſe. Nitebatur enim ſæpius exponere donum Dei, quod acceperat: ſed deficiente ſenſu, proferre nequiuit. Et cum iſta (cui hoc in ſpiritu reuelatum fuerat) inter cæteras adeſſet, vocans eam nomine ſuo & manibus ad ipſam nitens exclamauit. Eia dic tu mihi, quia tu ſcis. Illa vero cum quaſi iocando ſermonem inchoaſſet, infirma proſequens vltro proceſsit. Et cum aliæ aliqua adderent velut eſtimando, infirma hoc conſtantiſsime negabat: ſed firmiter tenebat, quod dominus ſibi peccata dimiſiſſet, & virtutibus ſe decoraſſet. ¶ Poſt quinque igitur menſes die precedente obitum ipſius infirmæ apparuit dominus ſedens & in ſinu ſuo quetam ſeſsionem præparans: qua pmaxime intendebat munditiæ & molliciei contra incommoda perſonæ infirmæ. Ipſa vero

in-

infirma apparuit ad ſiniſtram domini, quaſi in loco decumbens nubecula quadam inuoluta. Tuncque hoc vidit, dixit ad dominum. Nequaquam domine, tam glorioſæ ſeſsioni conuenit hæc tali adhuc nubecula inuoluta. Ad quod dominus. Per moram hic eam relinquo, donec plene purgata mihi poſsit decenter adeſſe. Et ſic infirma per diem illum & noctem agonizauit. Sequenti vero mane vidit dominum ſereno vultu ſe ad infirmam benigne acclinantem, & infirmam velut obuiā domino ſe erigētem. Tūc iſta dixit. Num domine mi modo venis ad animam deſolatam vt pater miſericors. At ille blando motu capitis annuens ſciſcitantem certificauit. Et poſt paululum cum defuncta eſſet, conſpexit animā eius ſub eādē puellari forma; quā antea eā viderat niueis roſeiſque indumentis decoratam, adparatā ſibi ſeſsionem lætanter euolare. In cuius ſuſceptionem cum dominus ſiniſtrum brachium extenderet, illa quaſi predelicata teneritudine caput ſuper illud tamquam pau ſatura reclinauit: Et ſubito velut hoc ſibi minus placeret, in alteram partem ſuper dextrum brachium ſe reclinauit: ſtatimq; ſe inde eleuans ad imprimendū oſculū ori benedicto amatoris ſui & quaſi illud præbere nō valens, impetuoſe ruit ſup collū, & inter

pe-

pectus & collum domino oſculum prędulce infixit. Sicque dilapſa ſuper pectus domi cum vt feſſa palpitans, requieuit vſque dũ in commendatione legeretur verbum illud (Tibi ſupplicatio commendet eccleſiæ) In quo verbo videbatur ex pectore illo, in quo ſunt omnes theſauri beatitudinum abſconditi, ſuaue refrigerium abundanter haurire quo dulciter refocillata, erigens ſe videbatur expirare.

De ſororis M. beato tranſitu, reuelationem approbatione, beneficijſque per eius merita promiſſis.

CAPVT X.

CVm felicis memoriæ ſoror M. extremis appropinquaret, & iſta cum cæteris oraret, inter alia dixit ad dominum: quare amantiſsime Deus, non exaudis nos orantes pro ea? Reſpondit dominus. Spiritus eius ſic ab humanis eſt ſeparat⁹, ꝙ humano more nõ poterit conſolari à vobis. At illa dixit ad domĩnũ. Quo hoc iudicio? Reſpõdit dominus. Secretum meum nunc habeo in ea ſicut olim habui cũ ea. Et cum ꝑquireret quali modo reſolueretur, dominus dixit intima maieſtas mea intrahat eã. Tũc iſta. Quali fine deficiet? Reſpõdit min⁹. Diuina virtute

tute mea abſorbebo eam: ſicut feruidus ſol ſtillam roris exiccat. Et cùm iſta perquireret, cur eam in exterioribus ſenſibus errare permitteret, reſpondit dominus: Vt cognoſcatis me plus in intimis quàm in ſuperficie operari. Et iſta: Hoc gratia tua facilius perſuaderet cordibus ſingulorũ. Ad quod dominus: Et quomodo, inquit, recipient gratiam, qui raro vel nunquam veniunt ad intima, vbi gratia ſolet infundi? ¶ Poſt hæc orauit iſta dominum, vt ſaltem poſt mortẽ beatæ M. ipſam ſignorum gratia extolleret ad ſuam gloriam in teſtimonium diuinarũ reuelationum ſuarum, & condignã repreſſionem incredulorum. Tunc dominus tenens librum duobus digitis, dixit: Num ſine armis victoriam non ſeruabo? Et adiecit: Quando opus erat, ſubditi mihi gentes & regna ſignis & prodigijs. Ad præſens verò qui per propriam experientiam alicuius influxionis ſimilia geſtauerunt, illis facilè eſt conſultum fidem adhibere. Sed & non hos tantummodo ſuffero peruerſores, qui iſtis ſcriptis contradicunt. Quibus tamen ſicut & cæteris, præualebo. Inter hæc perſenſit iſta miram quandam diuinæ gratitudinis dulcedinem, qua dominus acceptat à fidelibus, quod faciliter credunt diuinæ gratiæ largam ſupereffluentiam, non ſe- *Pia credulitas domino grata.*

ſecundum merita hominū, ſed ſecundum diuini cordis incontinentiam, electis impartiri. ¶ Cumque eadem beatæ memoriæ ſoror M. iniungeretur, iſta deſiderio pio ducta vidit dominum Ieſum manu ſua tangentem pręcordia eius & dicentē: Cùm beata anima illa carne ſoluta originí ſuę immergetur, tumentes fluctus melleæ beatitudinis meæ, ſuper omnes pio affectu hic præſentes copioſe diffundam. Hinc aùm prædicta M. agonizaret, & iſta cum alijs per longum tempus orationi intenderet: tandem intellexit dominum triplici beneficio dotare, ditare, & donare omnes aſtantes. Quorum primum fuit, quòd omnium iuſta deſideria perficeret. Secundum, quòd in emendatione defectuum ſuorum laborantibus indefeſſus adiutor eſſet. Quæ duo intellexit meritis beatæ M. deinceps in loco iſto facilius impetrari. Tertium autem beneficium erat, quòd extenta manu largam dedit benedictionem. Quæ cùm iſta nimia gratitudine recoleret, poſt moram apparuit dominus virtutum rex gloriæ præ filijs hominum, imò præ vultibus angelorum, forma ſpecioſus, ad caput infirmæ reſidere, & flatum ex ore ipſius infirmæ tanquam iridem aurei ſplendoris tendentem ad cor diuinum ex parte

te ſiniſtri lateris recipere. Et cùm diutius in delectamento huius viſionis perſtitiſſet, & interim legerentur pſalmi, [Deus Deus meus reſpice in me] in fine illius pſalmi] Ad te domine leuaui animam meam]dominus mira blanditate tanquam oſculum præbiturus ſponſæ ſuæ,ſe ſuper infirmam inclinauit, & poſt paululum ſe erigens, ſecundo ſimiliter fecit. Poſt hæc dum legerentur ſuffragia ſub Antiph. [Vt te ſimus intuentes] apparuit virgo mater inclyta regali ſtirpe genita, purpureis veſtimentis decenter amicta, ſuper ſponſam filij blandè inclinata, delicatis manibus caput infirmæ habilitando tenens, quo directiori linea halitus ipſius ad cor diuinum procedere poſſet. Dum verò inter alia legeretur oratiuncula illa, ſcilicet [Aue Ieſu Chriſte verbum patris] apparuit dominus mira claritate transfiguratus, & ſicut ſol in virtute ſua lucēs, facies diuina tota rutilabat. Ex quo iſta in admirationem verſa & extra ſe ducta, poſt paululum dum intra ſe rediret, vidit cæli roſam præfulgidam, matrem, inquam, virgineam, ſponſo filio quaſi in iubilo congratulationis de tam præiucunda nouæ ſponſæ vnione, cum dulciſsimis amplexibus ſuauiſsima imprimere oſcula. Vnde in-

intellexit iſta, quòd inter hæc perfecta fuiſſet illa felix vnio, qua ſitibunda illa anima introducta eſt ad plena cellaria, imo ipſi abyſſo veræ beatitudinis feliciter immerſa nunquam amplius emergenda.

De anima M. & quid valeat ſuſcipere ſuper ſe aliorum peccata, & dare merita ſua alijs.

CAPVT XI.

DVm piæ memoriæ M.B. agonizaret, iſta omnes affectiones ſuas intra ſe recolligens, per Dei gratiam inueſtigare nitebatur, quæ circa agonizantem agerētur. Sed per longam horam nihil aliud à Deo percipere potuit, niſi quod aliquantulū impedimenti habuit pro eo, quòd quandoq; in exterioribus delectabatur: quod lectus ipſius fuit depoſitus depicto panno, & imaginibus deauratis, & ſimilia. Cùm verò defuncta fuiſſet, & ipſo die miſſa celebraretur pro ea, & iſta ad eleuationem hoſtię offerret pro remedio animæ ipſius eandem hoſtiam, quamuis animam defunctæ non videret: tamen intellexit eam adeſſe. Hinc perquirendo dixit ad dominum: O domine vbi eſt illa? Qui reſpondit: Ipſa venit ad me alba & candida. Vnde intellexit,

quòd

quòd ſuffragia illa quæ in charitate Dei ante exitum fuerant exhibita ei intantũ profuerunt, quòd ſine impedimento euolauit. Videlicet per hoc quod quædam perſonæ delicta ipſius ſuper ſe acceperunt, ex charitate emendanda, & omnia bona ſua illi per gratiam Dei in meritum donauerunt. Cùm autem ſepelienda eſſet ſub miſſa, cùm iterum pro ea oraret, vidit ipſam ad ſiniſtram domini, quaſi ad tabulam in conuiuio ſedentem, & omnia quæ pro ea, in oratione, deuotione, & ſimilibus offerebantur, in ſimilitudine diuerſorum ferculorum ipſi præſentari. Ad eleuationem verò hoſtiæ, cùm dominus oblatam pro ea hoſtiam ſibi præberet in ſpecie cuiuſdam vaſis ad potandum, illa cùm quaſi parum guſtaſſet, ſtatim naturali diuina dulcedine medullitus penetrata, in tantam pietatem eſt commutata, quòd plicatas eleuans manus oraret pro omnibus, quæ ſibi in hac vita cogitatione, verbo, ſiue facto, ſunt aduerſati. Quia iam gaudebat de merito proinde obtento. Et cùm iſta admirando perquireret, cur non etiam pro amicis ſuis oraret, reſpondit: Ego tanto efficacius quãto affectuoſius ex corde ad cor dilecti oro pro amicis meis. ¶ Alia die cùm iſta Gertrudis recoleret, quod omni merito ſuo,

Suffragia precum quid conferant.

CAPVT XII.

QVia, teſte ſcriptura, per quę quis pec cat, per hæc & punietur. Et econtrario, in quo quis benefacit & patitur, in eo & remunerabitur. ſubiungamus iſta ad profectum legentium. Nam apud nos erát duæ perſonæ ſimul ægrotantes tempore vno: quarum vna euidenter apparuit eſſe ptiſica. Vnde & teneriori cura (vt dignum videbatur) à ſibi ſeruientibus reſpiciebatur. Altera cùm genus morbi eius ignoraretur, & ideo non tam indigens videretur, non ea blanditate curabatur. Sed quia hominum iudicia ſæpè falluntur, illa quæ credebatur euaſura, plus quàm per menſem obijt antequã altera. Cùm ergo hæc per multam patientiam & deuotionem ſanctificata, magis quàm purgata, ad extrema perueniſſet: benigna pietas amatoris noſtri in ſponſa ſibi tam dilecta non ferens etiam minutiſsimum puluerem alicuius maculæ, hoc in ea purgauit, quod quandoque ſtudium non habuit ad confeſsionem faciendam. Et cùm eam conſcientia de peccato aliquo non remorderet, ſaltem de venialibus pulueribus (ſine quibus humana vita non ducitur) per verba ſacerdotis abſolui neglexit: ſimulans ſe quandoque dormire, cùm ſacerdos adeſſet, ne *Fructus confeſsionis.*

eiloqueretur. Cùm itaque iam hora adeſ-ſet,qua thalamum cæleſtis ſponſi cum lætitia & exultatione eſſet intratura: hanc ipſi maculam prius fidelis amator abſterſit. Nam anxiè rogauit,vt ſibi confeſſor adduceretur. Et tunc ſtatim loquelam amiſit. Vnde & timor eam inuaſit,quaſi pro neglecta confeſſione oporteret eam poſt mortem purgari: & ſic per eundem timorem eſt purgata. ¶ Tuncque tota pulchra (cui nulla adhæſit macula) cæleſtis ſponſi amica è carcere carnis educta cum inæſtimabili gloria peruenit ad æthereum thalamum, de quibus plura dominus dignatus eſt reuelare. E quibus vnum hoc ad ædificationem legentium hic expono, ſcilicet quod cùm ante thronum regis gloriæ adducta fuiſſet, hoc ſpeciali priuilegio eam donauit: quod ad ſingula quibus eam remunerauit,ſuauiſsima blanditate eam deliniuit, ad ſuſcipiendum ea ſicut dulciſsima mater vnico paruulo ſuo ægroto blandiri ſolet ad ſumendam medicinam, de qua plenam ſanitaté eſſet recuperaturus.Et hoc propterea,quòd quandoque mœrore afficiebatur, quando audiuit ſociam ſuam in ęgritudine, delicatè tractari, cùm ipſam ſerioſius alloquerentur. Poſt hæc adiúxit dominus, dicens ad beatam illam animã: Dic mihi filia

mea,

mea, quid placet tibi vt faciam cum anima ſociæ tuæ, & qualem vis vt impendã ei conſolationem? Nam ſicut in terris in ipſius voluntate fuit, quo cibo vellet refici, & hunc te oportebat ſecũ ſumere quandoq;, quamuis alium elegiſſes: ſic nunc in tuo pendebit iùdicio, qualem conſolationem vel beneficium ego ipſi impendã. Ad quod illa: Eia dulciſsime domine, benefac illi per omnia ſicut mihi benefeciſti, quia aliũ modum non poſſum excogitare qui mihi melius placeret. Quibus verbis dominus benignè annuens, affirmabat ſe ſic facturum.

¶ Poſt menſem autem cùm migraſſet & altera: apparuit quoq; ipſa ſequenti die obitus ſui mirabiliter perornatá, vt decebat, quia per omnem vitam ſuam innocentiſsimæ ſimplicitatis fuerat, & ad hoc etiã valdè deuota & in rigore ordinis ſtudioſa. Illa tamen macula adhuc in ea purganda intelligebatur, quòd ſcilicet in infirmitate (ſicut prætactum eſt) habuit aliqua quibus nõ indiguit, in quibus delectabatur, videlicet xenia & conſolationes amicorum. Hæc itaque macula tali modo purgari monſtrabatur, ſcilicet quaſi ſtaret in ianua contra ſolium regis gloriæ, quia apparuit incomparabiliter forma ſpecioſus, atq; ſupra omnẽ humanum intellectũ dulciſsimus & amabi-

Nota quàm penitus nihil quod coinquinatum ſit, plenè frui poteſt gloria Dei.

bilis: qui tantum blandiebatur prædictæ animæ, quòd ex deſiderio véniendi ad illum poſſit quaſi deficere: ſed nullo modo potuit propius accedere tanquam in oſtio illo veſtis quibuſdam clauis fixæ hærerent, à quibus ſe nullatenus potuit eruere. Et hoc fuit illa delectatio, cui inhęſerat in infirmitate. Cumq́; iſta hæc videns ex corde compaſſa oraret pro ea, ab hoc impedimento diuina clementia eſt relaxata. Tunc iſta perquirens à domino, dixit: Cùm anima iſta inter nos habeat amicos tibi valdè familiares, miror quomodò tantummodo ad preces meas, hoc impedimentum illi dimiſeris: cum tamen non diffidam, quin etiam ipſi deuotas preces pro ea fuderint, & etiam confiſi de tua pietate ſperent ſe exauditos. Ad quod dominus: Ego veriſsimè audiui preces familiarium meorum pro anima illa, & benignus exaudiui, & animæ illi magis benefeci, quàm ipſi credere poſſunt: etiam ſi vidiſſent oculis ſuis me hanc animam ad ſuas preces de purgatorio ad cælum tranſtuliſſe: ſed tamen hoc impedimentum, quod per tuas preces volui relaxare, ipſis non manifeſtaui. Vnde & non orauerunt eo modo pro illa, quo & tu oraſti. ¶ Tunc iſta: Et quali modo hoc perfectè impletum eſt, quòd aſſeruiſti te velle

Quanto magis igitur grauiores maculæ diuidunt inter Deum & nos?

per

per omnia animæ iſti benefacere, ſicut illi quæ ante ipſam obijt: cùm tamen illa diutius in habitu religionis ſeruierit, & inſuper aliquibus virtutibus ſuperabundauerit præ iſta: & ad hoc etiam illa cum maiori gloria ſine impedimento tibi ſit præſentata? Ad quod dominus: Iuſtitia mea in eo ſemper incõmutabilis permanet, quòd vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem. Nec vllo modo fieri poteſt vt ille, qui minus meruerit, plus accipiat, quàm ille qui magis meruerit. Niſi circunſtantia aliqua, vt eſt melior intentio, difficilior pugna, feruentior charitas, & ſimilia, opera ipſa nobilitauerit: ſed remunerationè debitam gratuita pietas mea ſuperauget etiam quandoq; propter fidelium preces, & alias circumſtantias meritorias: & ſecundum hoc tam benefeci iſti ſicut illi, quia ſuperaddidi vtriſq; ſecundum ſuum meritum. Et quoniam valde præcauendum impedimentum ſit inhæſio terreni delectamenti, poſt hæc iterum viſa eſt hæc beata anima nondum plenè liberata à ſuo impedimẽto. Apparuit enim ſtare ante thronum domini, & ſimili deſiderio (ſicut ante deſiderauerat peruenire, cùm in porta teneri videretur) etiam nunc deſiderauit ruere in amplexus & ſociari oſculis

Iuſtitia Dei in retributione.

Terrena delectatio valdè præcauenda.

ſponſi præ filijs hominum forma ſpecioſi,
in quem deſiderant angeli proſpicere: ſed
ſimili impedimento tenebatur, quaſi ſe fle-
ctere non poſſet. Cumque ab hoc iterum
poſt mortem eſſet liberata, tandem appa-
ruit non plenam adepta gloriam: ſed do-
minus videbatur manibus ſuis tenere coro
nam miro modo ornatam, quam dum ipſi
imponeret, cum ea plenum gaudium erat
acceptura. Hæc dum iſta vidit, requiſiuit à
domino, dicens: Num domine poteſt hoc
eſſe in regno tuo, quod anima tali expecta-
tione crucietur? Reſpondit dominus: Non
cruciatur, ſed cum gaudio expectat cõſum-
mationem: ſicut puella, quæ videt in ma-
nibus matris ornamenta, quibus ſequenti
die feſto eſt ornanda, cum gaudio expectat
diem illum. ¶ Poſt hæc anima ſæpè dicta
reſpiciens ad illam perſonam, quæ pro ea
preces fuderat, amicabiliter ipſi grates re-
tulit. Ad quod illa: Quamuis ſemper fue-
ris familiarior, tamen in infirmitate tua vi-
debaris mihi non gratanter ſuſcipere, ſi
quando te admonebam. Et anima: Ex
hoc nunc mihi magis profuit oratio tua,
quia purius in charitate propter Deum
fundebatur.

De

De ſororis G. feruenti deſiderio, deuota præparatione, morte, & gloria.

CAPVT XIII.

ALia quædam puella migrauit poſt hæc, quæ ab infantia per totam adoleſcentiam vſque ad horam exitus ſui veraciter ſe florentem mundum mentis deſpectu calcaſſe, magnificorum operum indicijs teſtabatur. Cuius vocationis die inſtante, cùm agonizare inciperet, omnibus præſentibus amicabiliſsimè valedicēs, promiſit ſe oraturam pro eis, cùm ad ſuperefluentem abyſſum omnium bonorum Deum perueniret. Et cùm vrgente mortis inſtantia maximè greuaretur, ex intimo cordis affectu dixit ad dominum: Domine qui es conſcius ſecretorum meorum, tu noſti quanto deſiderio ſemper optauerim vſque in ſenectam & ſenium omnes vires meas in tuo famulatu fideliter cōſumere. Sed nunc ex quo video aſſe tuam voluntatem, vt veniam ad te, omne deſiderium illud eſt mihi conuerſum in ſitim videndi in te, intantū, quòd ipſa mortis amaritudo in ſuauitatem eſt mihi conuerſa. Attamen ſi tibi placeret, in iſto grauamine iacere, parata ſum vſque ad diem iudicij: etiam ſi hodie eſſet primus dies ſeculi. Sed quia ſcio te hodie me vel-

Nota, paratū cor meū Deus, paratum cor meum.

velle introducere ad requiem, rogo te pro-
pietate tua, vt hoc differas ad laudem tuá,
quouſque pœna mea perſoluat pœnas om-
nium animarum in purgatorio, quas ſpeci-
alius velles liberari. Et in his domine mi tu
ſcis quòd omnino meritum meum vilipen
do, & tuam duntaxat gloriâ quæro. ¶ Poſt
hæc & ſimilia, quæ longum eſſet enarrare,
cum magiſtra infirmorum rogaret eam, vt
præmortua ſibi permitteret crura ſternere,
dixit: Ego ipſa hoc ſacrificiũ domino meo
crucifixo offeram: & ſic velut in impetu
extendit crura contra imaginem crucifixi,
cum his verbis: In ardore amoris illius,
quo patri ſpiritum tuum cum clamore va-
lido commendaſti, commendo tibi omnes
motus pedum meorum: ſimiliter oculos,
manus, aures, os, cor, totumque corpus ſi-
milibus verbis Deo valdè deuotè commen-
dabat. Deinde rogabat ſibi legi paſſionem
dominicà, & ipſa ſuis manibus oſtendit in-
cipiendum eſſe ibi, (Subleuatis oculis Ie-
ſus in cælum) dicens quòd mora non ſuffi-
ceret ad perficiendum, ſi inciperetur (Ante
diem feſtum) Quod & apertiſſimè proba-
tum eſt. Nam cùm deuotiſſimè audiuiſſet
paſſionem vſque ad illum locum (Et incli-
nato capite tradidit ſpiritum) poſtulauit
crucem ſibi porrigi, ſuper cuius ſingula
quinq.

quinque vulnera decumbens tam dulciſsimis ac diuina ſapientia plenis verbis eam ſalutauit, gratias egit, & animam ſuam commendauit, quod mirabile & nimis delectabile fuit ad audiendum. Et inde quaſi feſſa ſuper cuſsinum cecidit, & parua mora inter iecta in domino feliciter obdorimiuit. Quo facto viſa eſt à domino inter ſuauiſsimos amplexus recepta ab ipſo recipere vnum ſpecialem ornatum mirabilem pro eo, quod viriliter certando mundum tam fideliter calcauerit pro Chriſto. Auditi etiã ſunt chori angelorum cum glorioſo tripudio deduceẽdo eam decantare (Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deli. affl. innixa ſuper dilectum ſuum) Cum vero ante thronum gloriæ peruenisſet, Ieſus ſponſus virginum ſtatuens eam ante ſe blande ait. Tu es gloria mea. Dehinc ſurgens impoſuit capiti eius coronam regni: & ſic eam in ſolio gloriæ collocauit. ℞ Sequenti vero die, cum eſſet ſepelienda, iſta iterum orans pro ea vidit eam in tanto gaudio & gloria, quod incredibile eſt humanæ infirmitati. Et dum interrogaret eam pro ſingulis virtutibus, quas in ea in terris cognouerat, quid accepiſſet remunerationis: ſemper obtinuit meritis ſuis apud Deum, vt iſta quæ ab ea quæſiuit, ſaperet in ſpiritu aliquid de beatitudine

ſuæ

ſuæ remunerationis. Et poſt hæc anima defunctæ adiecit. Quid vis amplius ſcire de mea remuneratione? Tota illa cœleſtis arca in qua habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter ſcilicet dulciſſimum cor amatoris mei Ieſu Chriſti, eſt mihi reſeratum, excepta vna clauſula: quæ mihi non patet, quia hoc non promerui in vita mea. Nam quod ibi intus latet, hoc tantummodo reſeratur illis qui tali dilectione Deum amant, in terris, quod omnia bona quæ ſciunt libenter toti mundo notificarent, vt Deus amplius glorificaretur. Quam charitatem ego non habui, ſed delectabar ſola cum ſolo ſcire, quicquid dono eius accepi. Vnde ad id ſuperiucundum gazophylacium non admittor, quod talibus præparatur. Tunc iſta dixit ad animam. Cum familiares tui atque mei interrogant me, quid de tuis meritis intellexerim, quid reſpondebo, cum nullis verbis valeam exponere hoc, quod ego ſenſi? Ad quod anima Si multiplicium florum miro odore recreata eſſes, quid dicere poſſes poſt omnes, niſi quod tibi bene vel optime placuiſſet odor ſingulorum? Similiter nunc cum magis ſolito in ſpiritu perceperis intellectum meæ remunerationis. nihil aliud dicere poteris, quam quod vere bene vel optime longe ſupra condignum pro ſin-

ſingulis cogitationibus verbis & factis remunerauit me dulciſsimus & fideliſsimus amaror meus Ieſus.

De premio fratris S pro ſua fidelitate & beneuolentia.

CAPVT XIIII.

DVm frater Seg. agonizaret, & iſta alijs occupata pro eo neglexiſſet orare, donec defunctus nunciaretur: tunc cum mœrore recoluit, quod optime meruerit ſuffragia congregationis, quia in officio ſuo præ alijs conuerſis ſemper pro poſſe ſuo ſe congregationi exhibuit beneuolum & fidelem Vnde dominum enixius orare cœpit, vt pro pietate ſua ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ animæ ipſius rependeret fidelitatem illam, quam ſæpius Conuentui exhibuerat. Ad quod à benignitate Dei accepit reſponſum. Ego iam fidelitatem illam propter preces congregationis remunerui in tribus. Ex naturali enim beneuolentia ſæpe bene erat cordi ipſius pro eo quod alicui benefecerat. Et nunc ſingulæ illæ delectationes quæ viciſsim cor ipſius poſt beneficium dulcorabant, collectæ ſimul lætificant eam, quia iam omnes ſentit in anima ſua. Adhuc etiam habet lætitiam ſingulorum *Studiũ bene merendi de alijs.*

rum

rum cordium, que ipſe vnquam lætificauit aliquibus beneficijs, vt pauperem denario, puerum xenio, infirmum pomo, vel alia refectione. Super hoc addidi illi gaudium de ſecuritate, qua ſcit quod hæc præſcripta erant mihi accepta. Inſuper ſi quid ſibi prodeſſe debet in plenum remedium, hoc in breui ſupplebitur.

De pœna duri cordis infr itre H. & quomodo per ſanctorum ac viuentium merita iuuabatur.

CAPVT XV.

ORans vice quadam pro anima fratris. Hermanni conuerſi nuper defuncti, cũ perquireret à domino vbi eſſet, domin' reſpondit: Adeſt. Propter orationes enim quæ modo pro eo deuotius fundũtur aduocaui m' eũ, vt aliqualiter epuletur nobiſcũ. Hinc apparuit dominus tanq̃ paterfamilias, ſedẽs ad tabulã ſup quã videbatur præſentari totum, q̃ pro anima illa fiebat, in oblationibus, orationibus, deſiderijs & ſimilibus. Apparuit etiã anima iã dicta ſedẽs in fine tabulæ mœrẽti animo & vultu deiecto, velut nondũ purgata nec digna que iucũda contẽplatione amabilis vultus Dei conſolari mereretur. Videbatur tamen ex eo aliqãtulum ſerenari

nari ꝙ de oblationibus ſupradictis aliquid quaſi vapor de calidis ferculis exiens ad ipſam reflectebatur, vnde mirifice recreabatur. Recognouit quoque iſta in hoc magnũ eſſe defectum, quod anima illa ſuſcipiebat effectum illarum oblationum, tanquam immediate à tabula & non tali modo. ſicut eas dominus in ſe receptas plene beatificatis animabus ex ſeipſo cum pleno gaudio adminiſtrat. Dominus tamẽ propria benignitatę & affectu interceſſorũ allectus, ſemꝑ de ſuo aliqua addidit, quorum virtute anima illa maxime lætificabatur. Similiter & beata virgo, aſsidens filio ſuo in gloria Imperiali etiã de ſuo videbatur apponere ſuper tabulã illam, vt inde anima illa magis conſolaretur pro eo, quod ipſa adhuc viuens in terris ſpeciali deuotione eam coluerat. Similiter etiam quilibet ſanctorũ (cui aliquid ſpecialis venerationis exibuerat in terris) de ſuo appoſuit, ſecundum ꝙ ipſa anima promeruerat adhuc viuens, laboribus ſiue deuotionibus, maioribus aut minoribus, Vnde ex his omnibus, ſed & maxime ex affectu ſupplicantium de hora in horam ſemper amplius ſerenata magis magiſque cœpit cõuertere & leuare oculos ad iucundiſsimũ lumen beatificãtis diuinitatis, quod irreuerberato intuitu inſpexiſſe, eſt omniũ grauaminũ e-

Virtus ſuffragiorum pro defunctis.

Veneratio virginis Matris quid mereatur.

Veneratio ſanctorum.

tiam.

tiam memoriam veraciter depoſuiſſe, & abundantiam bonorum æternæ beatitudinis immarceſcibiliter induiſſe. ¶ Iſta vero quæ pro ipſa orabat, cum videret eam in tali ſtatu quieſcere, requiſiuit ab ea, dicens. Pro qua culpa nunc maxime grauaris? Et anima. Propter propriam voluntatem & proprium conſilium. Nam cum benefeci, delectabar magis ptopriam voluntatem perficere, quam alterius conſilium. Vnde & pro eo nunc tantum grauamen conſcientiæ perfero, quod ſi in vnum redigerentur omnium mortalium cordium grauamina, ſimile mihi non videretur illi quod ego ſentio, Tunc iſta. Quali remedio poſſet tibi ſubueniri? Et anima. Si quis cogitaret me pro his grauatam & caueret ſibi à ſimilibus multũ mihi grauamen alleuiaret. Tunc Iſta. Per quid maxime interim conſolaris. Anima. per fidelitatem, cui magis ſtudui in terris Oratio enim quam fideles mei pro me faciunt de hora in horam proficiendo releuat grauamina mea, ſicut qui optimo nuncio conſolatur. Et ſingulæ notæ, quæ pro me in miſſa vel vigilijs cantantur, ſunt mihi velut quædam ſuauiſsima refectio. Inſuper ad didit mihi diuina clementia meritis interceſſorum meorum, vt omne quod agunt, quod per bonam intentionem dirigitur ad

Propria voluntas.

Oratio pro defunctis.

ad laudem Dei, vt eſt laborare, & etiam comedere, & dormire, & ſimilia etiam, dirigitur ad releuamen meum & ad continuum profectum, eo quod integra fidelitate ad omne commodum earum affectuoſam habui voluntatem. Tunc illa. Quid prodeſt tibi, qnod deſiderauim⁹ tibi à Deo dari, quicquid boni ipſe in nobis perfecit. Anima multum valde prodeſt. Quia vbi proprium mihi deeſt, ex veſtris ornor meritis. Et iſta. Cũ rogaueris te citius ad iuuare per debitas orationes, impediret ne te, ſi aliquis male valens, expectaret quouſque melius haberet? Anima. Quicquid per diſcretionem protrahitur, inde ſpirat tam miræ ſuauitatis fragrantia, quod valde gaudemus prolongari, dum tantummodo accidia ſiue negligentia non incidant. Tunc iſta. Obeſt tibi aliquid quod cum ægrotares ad mortem, nos magis deſiderauimus & orauimus vt conualeſceres ad vitam, quam vt prepareris ad mortẽ ſecundum animam? Ad quod anima. Nihil omnino obſuit mihi, ſed in hoc profuit qđ immenſa benignitas Dei (cuius miſerationes ſunt ſuper omnia opera eius) quanto magis vidit vos ex hnmana fragilitate in charitate tamen affici erga me: tanto magis miſericordia motus benefacit mihi. Et illa. Obſunt tibi lachrymæ fuſæ pro te ex huma

no

no affectu? Reſpondit. Aliter non obſunt, quam amico, qui amicabili compaſsione afficeretur erga amicos ſuos, quos videret dolentes ſuper ſe. Cum vero plenam beatitudinem ſortitus fuero, inde delectabor quemadmodum delectatur iuuenis delicatus, cũ vidit plures ſibi amicabili applaudere affectu. Et hoc totum exinde mereor, quia intentio fidelitatis illius, qua veſtrum promerui affectum, plenis tendebat in Deum. ¶ Iſta vero poſt hoc iterũ orans pro illa, cũ dominicam orationem legeret, & diceret verba hæc (Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debi. noſtris) cõſiderauit animã iam dictã, anxium ꝑtendere geſtum. Quod valde mirabatur. Et cum ꝑquireret, cur hoc fieret, tale accepit reſponſum Ego cũ eſſem in ſeculo multum deliqui in eo, ꝙ illis qui contra me fecerunt, nõn facile remiſi: ſed longiori tempore me ipſis exhibui ſerioſum: & ideo pro emẽdatione ſuffero, quod audito hoc verbo meo quaſi intolerabilis verecũdiæ anxietate perturbor. Iſta vero requirente quam diu hoc ꝑferret, reſpondit: cũ culpa mea fuerit purgata ꝓpter affectũ verbũ, quo tã deuote ꝓ me oratis, diuina pietas ꝑſtabit, ꝙ deinceps in illo verbo maiorem gratitudinem habebo ꝓ eo ꝙ Dei miſericordia mihi culpam illam remiſit.

Difficultas cognoſcendi proximo, quã ſit noxia.

¶ Cum

¶ Cum vero ſacramentum corporis Chriſtum in miſſa offerretur ꝑ anima, apparuit ipſa anima miro modo clarificata ſimul & iucundata. Tunc iſta dixit ad dominũ. Vicit ne anima iſta domine nunc omnia q̃ tenebatur pati. Reſpondit dominus plus vicit q̃ tu vel aliquis hominum æſtimare poſſet, etiã ſi videretur de infernalibꝰ incendijs ad cœleſtia euolare. Sed tamen adhuc nequaq̃ tã plene purgata eſt, q̃ digna ſit mea iucũda penitẽtia cõſolari. Tamẽ de hora in horã ad ſingulas preces ꝑ ea fuſas magis magiſque conſolatur & alleuiatur. Et adiecit dominꝰ. Orationes veſtræ tã velociter nõ poſſunt illi ſecurrere, ſicut facerent, ſi culpã illã non haberet, qđ in ſeculo tã durũ & inexorabilẽ ſe exhibuit ad flectendã voluntatem ſuã ſecundum voluntatem illorum, qui eum pro qualicumque cauſa rogabant, quam ipſe voluntate non habebat.

Virtus ſacrificij miſſa pro defunctis.

De pœna fraudis & premio laboris in fratre Ioan.

CAPVT XVI.

QVamuis iuſtum ſit, vt animæ decedentes à corpore, primo purgentur à maculis contractis, quas hic neglexerunt mẽdare, pro bene actis poſtea remunerẽtur

miſe-

miſericors tamen Dei clementia ſicut ſæpius, ita & tunc reuelauit incontinentiam ſuę pietatis nam cum defunctus eſſet frater Ioan. procurator Curiæ, qui grauibus & diuturnis laboribus prefuerat congregationi. apparuerunt omnia opera laborum ſuorum in ſimilitudine cuiuſdam aſcenſus, ſuper quem anima ipſius egreſſa de corpore & adhuc pro aliquibus negligentijs purganda quaſi de vno gradu aſcendens ad alium cũ magis magiſque eleuaretur, pœna temperantior illi videbatur. Sed cum multis curis difficile ſit negligentiam vitare: quam iuſtitia Dei, quamuis modicam non ſinit remanere impunitam, inter aſcenſum illum dum aliquos gradus cõſcenderet, quaſi obſtupeſcens contremuit tãquam gradus ſub ipſo nutans ruinam minaretur. Vnde iſta intellexit quod hæc erant opera illa, in quib' aliquam fraudem commiſerat. & hæc culpa purgabatur per iam dictum ſtuporem. Cũ vero aliquis de congregatione aliquo verbo vel cogitatu oraret pro anima illa, ſtatim videbatur ipſi quaſi manus porrigi deſurſum in adiutorium, vnde anima illa multum iuuabatur. Intellexitque poſt hæc, q̃d dominus hoc ſpeciale priuilegium ex pietate ſua iſti contulit congrepationi, vt qui ſibi in vna ſua aliquod beneficium laborib'

ſuis

ſuis impendiſſent, ſtatim decedentes à corpore, inter ipſas etiam purgationes culparum pro beneficijs congregationi impenſis merentur conſolari. Et hoc donum ipſa congregatio retinebit, quandiu à ſuo ſtatu non peioratur.

Quomodo anima fratris The. orationibus ad quinque vulnera & alijs liberatur.

CAPVT XVII.

FRatris The. conuerſi noſtri obitus, qui etiam multis fidelibus laboribus præfuerat monaſterio pluribus annis: dũ huic decumbenti nunciaretur, etiam ipſa ſtatim conuerſa ad dominum, deuotè orauit pro eo. Viditque in ſpiritu animam eius valdè ſordidam & nigram, quæ in ſeipſa per remorſum conſcientiæ inexplicabili cruciatu videbatur miſerabiliter torqueri. Tunc iſta miſerijs eius medulitus compaſſa, legẽs v. pater noſter in honorem v. vulnerum domini blandiſſimo affectu, eadem deoſculabatur pro remedio animæ ipſius. Et dum poſt quintum pater noſter deuotiſſima intentione deoſcularetur vulnus ſanctiſſimi lateris Chriſti, mox videbatur de ipſo ſanguis & aqua quodam vapore reſilire. In-

Virtus orationis pro defunctis.

tellexitque quòd anima illius pro qua orabat, viuifico vapore illo tacta ſalubriter interius conualuit, ſed adhuc quaſi quorundam vulnerum exteriorum nimio cruciabatur dolore. Ex virtute verò ſanguinis & aquæ translata eſt in hortum quendam virentium olerum, per quæ omnia opera eius notabãtur, quæ perfecerat in hoc ſeculo: quibus oleribus dominus per orationes iſtius, & etiam totius congregationis talem videbatur contuliſſe virtutem, quod cum quolibet olere opus bonum ſignante quaſi quadam herba medicinali aliquod vulnus confricaret, ipſum ſanabat: ſicque ſingula vulnera animæ eius intellexit per temporum interualla eſſe curanda, & quanto efficacius ſubſidium orationum congregationis ſibi ſuccurreret, eo citius ab omni cruciatu pœnarum deberet liberari. Intellexit etiam, quòd quando aliquis olus operis alicuius (in quo fraudulenter egerat) vulneribus appoſuit, nullum exinde ſentiebat medicamenti releuamen ſed potius augebat eius cruciatum. Hinc dum poſt ſepulturam eius more ſolito cantaretur [Media vita] Et ad illa verba, ſcilicet, Sancte Deus, ſancte fortis, ſancte & immortalis, Conuentus venias faceret ſuper terram, viſa eſt etiam anima illa cum maxima grati-

tudine

tudine leuatis ad cælum oculis & manibus ſimul cum congregatione genua flectendo laudes domino perſonare pro eo, quòd ad talem locum ipſum perduxiſſet, in quo ex laboribus ſuis per merita earũ, quibus prouiderat, ſaluberrimum animæ ſuæ conſecuturus eſſet effectum: confitens ſe recognoſcere, quoniam vbicunque locorum in toto mundo fuiſſet, ſemper ſecundum conditionem ſuam victum neceſſarium laboribus manuum ſuarũ acquiſiſſe ipſum oportuiſſet: ex quibus tamen nunquam talem fructum ſalutis obtinuiſſet in anima, qualem nunc per merita ipſius Conuentus ex laboribus ſuis fuit adeptus.

De pœnis fratris F. *pro torpore, proprietate, & rebellione. Et de virtute feruentis affectus.*

CAPVT XVIII.

CVm oraret pro anima fratris F. conuerſi noſtri nuper defuncti, vidit animam eius in ſpecie bufonis teterrimi in ſeipſo horribiliter ardentis pœnis pro delictis ſuis cruciari. Videbatur enim, quòd quaſi ſub vno brachio aliquid haberet reconditum, vnde ineffabiliter torquebatur. Inſuper videbatur pœnam eius

multum aggrauari ex eo quòd quaſi mole grauiſſima deprimebatur ad terram adeo, vt nullatenus ſe poſſet erigere. Vnde intellexit, quòd ideo in ſpecie teterrimi bufonis appareret, quia in habitu religionis intelligentiam ſuam neglexerat dirigere ad diuina. Ardebatque ac diuerſis in ſeipſo torquebatur cruciatibus pro varijs, quas commiſerat, culpis. Cruciatum verò quem ſub vno brachio ſuſtinebat, quaſi in occulto, intellexit eum commeruiſſe, pro eo quòd ſine licentia prælati ſui nimis in acquirenda ſubſtantia temporali laborabat, & quandoque etiam conquiſita occultabat. Sed & depreſſionem ad terram, quæ eum maximè grauabat, pro eo tolerabat, quòd prælato ſuo rebellis fuerat. Hinc alia vice legens pſalmos & vigilias debitas, interrogabat dominum quid remedij anima eiuſdem ex hoc conſequeretur: reſpondit dominus: Quamuis animabus multũ proſit quicquid fit pro remedio earum in vigilijs ceteriſq; orationibus: tamẽ multo plus valet eis, cùm ex affectu & paucis quinque verbis oratur pro eis. Ad ſimilitudinẽ ſicut ſi aliquis habens lutoſas manus, ſi frequentius ſuper eas aquam funderet, tandẽ mundarentur, cùm lutum liquefieret, & cùm aqua deflueret. Si verò violenter eas lauaret,

Pœna proprietatis in religioſo.

Pœna rebellionis.

De virtute feruentis orationis.

ret, etiam modica aqua contentus, citius mundarētur: Sic ſciendum eſt, quod ſupra multas lectas vigilias & alias orationes maiorem habet effectum, vnum verbum ex affectu ardenti oratum, & multo maiorē obtinet relaxationem animabus, quoniam ſi multum pro eis eſſet lectum tepido corde.

Quod peccatores inueterati carent ſuffragijs eccleſiæ, difficulterq́; liberantur.

CAPVT XIX.

DVm obitus cuiuſdam propinqui iſtæ audiente, nunciaretur cuidam perſonæ, quæ intantum inde turbabatur, quòd iſtam flexit ad compaſſionem, ita, quòd pro anima defuncti intētius ſe exhiberet ad orandum: edocta eſt à domino, quod hoc diſpenſatione diuina factum eſſet, vt ſe pręſente prædictæ perſonæ obitus nunciaretur. Ad hoc cùm iſta diceret: Domine, ſine iſta compaſſione benè potuiſſes mihi dediſſe gratiam orandi pro anima iſta. Dominus reſpondit: Speciali delectamento mihi in hoc opere complaceo, cùm homo naturalem commotionem cum bona voluntate ad me dirigit: & ſic bonum opus perficit. Poſt hæc dum diutius pro iam

&a anima oraret, apparuit eadem in ſpecie bufonis nigra ſicut carbo, & ex immenſitate pœnarum tanquam in ſeipſam retorta. Nec videbatur aliquis tortorum adeſſe, ſed in ſeipſa in ſingulis membris torquebatur à culpis illis, quas commiſerat cum quolibet membro. Iſta verò dum negocijs amoris inſtans dulciſsimo amatori ſuo blandiretur, inter cætera dixit ad eum: Eia domine mi, velles ne cauſa mei animæ illi miſereri? Cui dominus tanquam blandiendo dixit: Non ſolùm animæ illi, ſed etiam mille millibus animabus volo amore tui miſereri. Et adiecit domin9: Quomodo vis vt impendam illi miſericordiam, an vis vt omnem culpam dimittens ab omni tormento eam liberem? Ad quod iſta: Fortè nō expediret hoc iuſtitiæ tuæ. Et dominus: Benè expediret, ſi tantūmodo cum fiducia hoc à me peteres: Quia ego Deus futurorum preſcius in agone ſuo aliquibus intentionibus ipſum ad hoc coaptaui. Tūc iſta: Eia ſalus animæ meæ, perfice hoc ſecundum quod tua miſericordia potuerit obtinere, quia ex dono tuo verè confido de tua pietate. Quod cùm diceret, confeſtim anima defuncti exurgens, ſtetit in forma humani corporis, & depoſita omni nigredine, prætendit albedinem cutis ſqualidæ cum

cum ingenti lætitia & gratiarumactione, tanquã de omnibus pœnis liberatæ. ¶ Intellexit tamen iſta, quòd ſqualida cutis illa adhuc eſſet purganda vſque ad albedinem niuei coloris, antequam digna eſſet frui præſentia deitatis. Et illa purgatio hac ſimilitudine fiebat in anima, tanquam ſi tonſionibus ferreis purgaretur à rubigine. Inſuper propter conſuetudinẽ peccãdi (quia per tam longũ tempus in peccatis permanſerat) anima ipſius tam difficulter ſuſcepit candorem ſicut humanum cor difficulter poſſet tolerare, quod corpus per circulum anni permaneret diſtenſum in ſole ad dealbandum. Iſta quoq; dum miraretur quomodo inter tales moleſtias anima illa ita læta eſſe poſſet: ſic inſtructa eſt, quòd anima quę tam magnis & diuerſis peccatis decedit, communibus ſuffragijs eccleſiæ adiuuari non potəſt: vſque dum aliquantulum purgata Deo miſerante deponat illud pondus culparum, quod ſibi obſtitit, vt non participaret ſuffragijs Eccleſiæ, quæ ſingulis momentis deſcendunt ſuper purgandos, velut ros ſaluberrimus & vnguentum ſuauitatis, ſeu potius dulciſsimæ refectionis. ¶ Tunc iſta gratias agens, requiſiuit à domino, dicens: Notifica mihi amantiſsime domine, quibus laboribus ſiue

orationibus homo hoc à tua miſericordi
poſſet obtinere, vt anima cuiuslibet defu
cti liberetur ab hoc terribili pódere, quo
eſt impedimentum ſuffragiorum eccleſia
cùm viderem hanc animam hoc ſolo dep
ſito ita lætam, ac ſi de profundo inferni a
thronũ gloriæ in ſummo eſſet gaudio co
locata, & veraciter videam eam nunc qua
benè valere ex ſuffragijs Eccleſiæ, quibu
ſine intermiſſione lætificatur. Ad quod do
minus: Nullos labores facere ſeu oratione
dicere potes, quibus alicui animæ tale a
tantum adiuuamen proueniat, quia ho
cum nullo conatu repente acquiri poteſt
niſi per talem amoris affectum, qualem
tu ſenſiſti in hac hora. Et ſicut hoc nu
lus homo per ſe poteſt habere, niſi ego de
derim: ſic etiam tale auxilium nulli an
mæ præſtari poteſt poſt mortem, niſi qu
ſpeciali gratia hoc promeruerit in hac v
ta. Scias tamen hocipſum intolerabile gr
uamen proceſſu temporis releuari quib
libet orationibus ſiue laboribus amicoru
fideli intentione peractis: & ita citius v
tardius liberantur, ſecundum quod con
tus fidelium pro eis affectuoſiori inſtat de
uotioni: & etiam ſecundum quod in ha
vita promeruerunt. Anima igitur ſæpiu
dicta cùm ſentiret remedium ab oratio

ne, expandens manus ſuas ad Deum orauit, vt ſuſciperet illud in effectu amoris illius, quòd ipſe per ſe deſcendendo de cælis ſubijt mortem, & ex eodem illis reſtitueret, qui pro ſe orabant, cùm optimè indigerent. Tunc dominus in ſignum exauditionis videbatur quaſi de manibus animæ accipere drachmam vnam, & eam reponere ad rependendum orátibus in remunerationem.

De oblatione hoſtiæ ſalutaris & vigiliarum pro parentibus.

CAPVT XX.

Dominica qua agitur communis memoria pro animabus parentum congregationis, dum poſt ſumptam ſanctã communionem hoſtiam illam offerret domino in remedium prædictarum animarũ, & ſtatim magnam multitudinẽ videret de quibuſdã infimis tenebris aſcendere, ſicut ſcintillæ ſparguntur ab igne quaſdã in ſimilitudine ſtellarum, quaſdam verò alterius ſpeciei: illa perquirens, ſi numeroſa illa multitudo eſſet ex parentibus noſtris, tale à domino accepit reſponſum: Ego propinquiſſimus veſter ſum, pater, & frater, & ſpõſus, ergo affiniſsimi vobis ſunt mei ſpeciales, quos

Virtus oblationis hoſtiæ ſalutaris.

quos nolo expertes eſſe à communi memo
ria parentum veſtrorũ. Vnde cum his ſu
intermixti. Et ideo iſta diſpoſuit ſemper o
rare potius pro ſpecialibus domini. Seque
ti verò die ſub miſſa poſt oblationem h
ſtiæ, intellexit dominum dicentem: N
conuiuati ſumus cum his, qui parati eran
& huc venerunt. Sed nunc mittamus pa
tes his, qui nondum potuerant adeſſe. Ite
alio anno, cùm vigiliæ pulſarentur, vidit
gnum quendã niuei candoris (ſicut agnũ
paſchalis ſolet depingi) quaſi ex vulnerat
corde ſuo emittentem roſeos riuos ſangui
nis in aureum calicem, & dicentem: Eg
ipſe ſum propitiaturus omnibus illis an
mabus, quibus hodie in loco iſto paratu
conuiuium.

De effectu magni pſalterij, & quam cito dominu exaudiat amantem animam.

CAPVT XXI.

CVm conuentus legeret magnum pſal
terium pro animabus (quod dicitu
animabus multum proficuum) & iſta vic
quadam communicatura, deuotius oraret
pro animabus, interrogauit dominũ. Vnde
hoc eſſet, quòd ipſe pſalteriũ illud tanto pe
rè acceptaret, quòd etiam animabus tantũ
pro-

proficeret: cùm (vt ſibi videretur) ex multiplicitate tam pſalmorum quàm orationum ad quemlibet verſum pſalmis aſſignatorum, magis gigneretur tædiũ quàm deuotio: Dominus reſpondit: Nimius amor quem habeo ad redemptionem earũ, inſtigat me. Vnde ad ſimilitudinem, ſi rex aliquis qui detineret quoſdam amiciſsimorum ſuorum in captiuitate, quos libenter dimitteret abſolutos, niſi eum iudicium iuſtitiæ prohiberet: tandem nimio zelo redemptionis eorum impellente, dum non haberent vnde ſe redimerent, rex vtique à quocunque militum ſuorum acceptaret, ſi vel ſaltem pro argento & auro, aliud quid pro liberatione eorum illi ponderaret ad menſuram debiti eorum, vt vel ſic occaſionem dimittendi eos haberet: Sic & ego accepto, quicquid mihi pro animabus eorum (quos precioſo ſanguine & morte mea redemi) offertur: vt habeam occaſionem eas à pœnis abſoluendi, & ad gaudia ipſis ab æterno præparata perducendi. ¶ Tunc illa: Quàm acceptus eſt tibi labor earum, quæ tibi hoc perſoluunt pſalterium? Reſpondit dominus: Tam acceptus certè, ac ſi memetipſum toties ſuo precio à captiuitate liberaſſent: quoties aliqua liberatur anima per orationes earum:

Et hoc ipſis indubitanter reſtituam in tempore opportuno, ſecundum omnipotentiã meæ liberaliſsimæ pietatis. Hinc illa: Et quot animas, inquit, dignatur tua clementia cuiuslibet orationibus donare abſolutas? Reſpondit dominus: Secundum quod cuiuslibet affectus meretur. Et ſubiunxit dominus: Amor ingenitæ benignitatis meę inſtigat me quòd ad vniuſcuiuſq; preces nimium numerum abſoluo animarum. Attamen ad quemlibet verſum pſalterij tres animas aſsignabo redimendas. Tunc iſta ex ſupereffluentia diuinæ pietatis prouocata, cùm pſalterium ſibi aſsignatum infirmitate præpedita nondum cœpiſſet, ſtatim in feruore ſpiritus ipſum inchoabat. Et dum compleſſet verſum, interrogauit dominũ, quot animas ſupereffluẽs miſericordia ſua dignaretur ad preces eius liberare. Cui dominus: Vſqueadeo vincor orationibus amantis animæ, quòd animarum tot multitudines aſſigno ad orationes tuas perſoluendas, quot vicibus linguam commoueris ad aliquod verbum pſalterij huius proferendum. Pro quo ſit tibi laus, benigniſſime Ieſu, per æterna ſecula.

Benignitas domini inexaudiendo animã amantis.

De *horribili pœna cuiuſdam militis.* Et *de magni pſalterij virtute.*

CA-

CAPVT XXII.

ALia vice dum iterum oraret pro animabus, vidit animam cuiuſdam militis (qui, vt æſtimo, ante xiiij. annos vel amplius obierat) in ſpecie immanis beſtię, quę videbatur tot habere cornua grandia, quot aliæ beſtiæ crines ſolent habere. Et videbatur hæc beſtia deſuper os inferni vno tantum ſtipite ſub latere ſiniſtro (cui tota incumbebat) ſuſtētata. Contra quam omnis pœna & miſeria inferni euaporans, intolerabili & ineffabili eam cruciatu torquebat. Nec omnino aliquod remedium ex aliquibus ſuffragijs Eccleſiæ recipiebat. Iſta verò in conſideratione beſtiæ illius admirans, intellexit diuinitus inſpirata, quòd vir ille viuens adhuc in córpore, maximè deliquiſſet in ſuperbia & elatione. Et ideo peccata eius in modum cornium creuiſſent ſuper eum, & in tantum induruiſſent, quòd quandiu in pelle ſua beſtiali anima eius maneret, nullum omnino remedium percipere poſſet. Per ſtipitem verò cui ſoli incumbens ſuſtentabatur, ne incideret in infernum, intellexit, quòd quandoque (quamuis raro) voluntatem bonam habuerat adhuc viuès, per quã cooperante ſibi miſericordia Dei detentus eſſet: ne tartarus eum penitus abſorbuiſſet. Tũc iſta Deo do-

Pœna ſuperbiæ & elationis.

donante miſericordia mota ſuper eum, legit magnum pſalterium, & ipſum obtulit diuino cordi pro remedio animæ ipſius. Et ecce ſtatim videbatur repentè diſſolui beſtialis illa pellis, & anima illius in ſpecie pueruli valdè adhuc maculoſi exiuit. Hinc iterum iſta orante pro ea, translata eſt in domum quandam, vbi plures animæ videbatur congregatæ. Quo cùm perueniſſet, videbatur ilico tanta lætitia exultare ac ſi de profundo inferni iam euolaſſet ad amœna paradiſi. Et hoc ideo, quia cognouit quòd in illo loco ſuffragia eccleſię ſibi poſſent ſubuenire, quarũ ſolatio ab hora mortis ſuæ vſque in illam horam (qua ad preces huius electæ Dei à beſtiali pelle liberata, & in hunc locum eſt translata) caruerat. Animæ verò ibidem commorantes, multum benignè ſuſcipientes animam illam, quaſi locum ſibi inter ſe præparare videbantur. Quod iſta conſiderans, ex intimo cordis affectu dominum exorabat, vt animabus illis talem benignitatem animæ illi exhibitam recompenſare dignaretur. Cuius precibus dominus acclinatus mox tranſtulit eas ad refrigeria diuerſis delitijs valdè amœna. ¶ Hinc iſta iterũ requiſiuit à domino, dicens: Quem fructũ conſequitur congregatio noſtra, domine, de magno pſal-

pſalterio quod legit? Reſpondit dominus. Illum, de quo dicitur. Oratio tua in ſinum tuum conuertetur. Inſuper ex obundantia benignißimæ pietatis meæ hunc fructum ipſis ſuperaddam (propter charitatem, que fidelibus meis ſubueniunt ad laudem meam) quod vbicunque poſt hoc in toto mũdo idem pſalteriũ perſoluitur, ex hoc quælibet earum tam gratioſe participabit, ac ſi pro ſui ſolius remedio legeretur. ¶ Hinc vice alia dixit ad dominum. O pater miſericordiarum, ſi quis amore tuo inſtigatus hoc pſalterium ad laudem tuam perſoluere deſideraret pro remedio tuorum fidelium defunctorum, nec poſſet tot miſſas & eleemoſynas obtinere, quod ad idem pertinet pſalterium quid tibi poſſet obſequij facere, quod ſimili modo acceptares? Reſpõdit dominus. Vt ſecundum numerum miſſarum ipſe ſuſcipias corporis mei ſacramentum pro remedio animarum. Et pro qualibet eleemoſyna iterum legat, pater noſter, cum collecta. (Deus cui proprium eſt) pro conuerſione omnium peccatorum & vnum opus charitatis faciat etiam pro ſingulis eleemoſynis. ¶ Et illa. Loquar adhuc ſemel ad te dominum meum deſiderans ſcire, ſi videlicet, aliquam orationem, aliquanto bre-

uiorem

uiorem admittere dignareris, quam æque ſi-cut hoc pſalterium acceptare velles pro remedio & abſolutione fidelium defunctorum. Reſpondit dominus. Si quis per ſingulos verſus pſalterij diceret orationem. Aue Ieſu Chriſte ſplendor. Et primo incipiens peteret veniam cum illo verſiculo. In vnione illius ſupercœleſtis laudis. &c. Et in illo amore, quo ego humanam naturam ſuſcepi pro redemptione generis humani, diceret verba illa prænominatæ orationis, quæ ſpectant ad conuerſationem meam & poſt hoc genua flectens in vnione illius amoris, quo ego creator vniuerſorum pro redemptione hominum ab hominibus ſum iudicari & pati, diceret, illa verba quæ ſpectant ad meam paſsionem. Et poſtremo dicens hæc verba, quæ ſalutant meam reſurrectionem & aſcēſionem ſtando laudaret me in vnione fiduciæ illius, qua ego mortis imperio deſtructo victor reſurgens & in cœlum aſcendens humanam naturam in dextra patris exultaui. Ac deinde iterum petens veniam legeret Antiph. (Saluator mundi) in vnione illius gratitudinis, qua omnes ſancti congratulantur ſe per incarnationem, paſsionem, & reſurrectionem meam, beatificatos. Et ad hoc, vt ſupra dixi, ſecundum numerum miſſarum ad illud pſalterium pertinentium,

ſuſci-

ſuſciperet corporis mei ſacramentum, ac pro eleemoſynis vnũ leperet pater noſter, cum collecta (Deus, cui proprium) & aliquod opus charitatis per ſingula ſuperadderet: hoc vtique ſimili modo vt magnum pſalterium acceptarem.

Declaratio magni pſalterij. Et de VII. *miſsis Gregorianis.*

DE hoc magno Pſalterio, quid ſit, aut quomodo legatur, fortaſſe dubitabit lector, quandoquidem minus hic quam vt ſatiſfieri poſsit vnicuique, expreſſum eſt. Videtur igitur quantum ex libris exercitiiſque huius virginis accurrate perſpectis extrahi potuit, hic qui ſequitur, tenendus modus. Primo vid. ſumpta venia flexis genibus dicens. In vnione illius ſuper cœleſtis laudis, qua ſuper glorioſa trinitas ſola ſuiipſius perfecta laus eſt, que deinde manat in benedictam humanitatem tuam, dulciſsime domine Ieſu Chriſte, atque in glorioſam matrem, omneſque angelos, & ſanctos tuos: & iterum refluit ab eis in abiſſum diuinitatis tuæ, vnde fluxerat: offero tibi hoc pſalterium ad laudem & gloriam tuam Atque ex affectu totius vniuerſitatis adoro ſaluto, & benedico te, gratias agens pro

a mo-

amore, quo propter nos incarnari, naſci, ac xxxiij. annis fame, ſiti, laborib. & dolorib. affici, ac teipſum nobis in ſacramento relinquere dignatus es, obſecrans te, vt hoc Pſalterium. (quod pro anima illa vel illis, aut ꝑ viuis ſeu defunctis, ꝑ quib. orari vis offero) vnire & ꝑmiſcere digneris merito ſanctiſsimæ vitæ & conuerſationis tuæ. Et ex eiuſdem abundantia ſupplere & ꝑfecte reſtaurare quicquid neglexerunt aut omiſerunt in tui laude, gratiarũ actione, dilectione, orationibus, virtutib. cæteriſque bonis opib. & obſequijs tibi debitis, q̃ per gratiã tuã facere potuiſſent & nõ fecerũt, ſeu impure & imꝑfecte fecerũt. ¶ Secũdo ſumpta venia flexis genibus, dic. Adoro, ſaluto, & benedico te. dulciſsime domine Ieſu Chriſte, gratias agens ꝑ amore quo tu creator vniuerſorũ ad redimendũ nos, ab hominib. dignatus es capi, ligari, trahi, cõculcari, verberari, conſpui, flagellari, ſpinis coronari, condemnari, crucem baiulare, nudari, crucifigi, & acerbiſsima morte occidi lanceaque configi. Atque in eiuſdem amoris vnione offero tibi has indignas orationes meas, obſecrans te, vt per meritum tuæ ſanctiſsimæ paſsionis & mortis delere & perfecte abſtergere digneris quicquid animæ, pro quibus oro, vnquam contra volũ-

tatem

tatem tuā peccauerunt, cogitationib. locutionib. & opib. malis. Et vt offeras Deo patri omnem vulnerati corporis & doloroſæ animæ tuæ pœnā & dolorē, merita & exercitia, ꝑ omni pœna, cui apud iuſtitiam tuā detinenter obligatæ. ¶ Tertio ſtando dic deuote. Adoro, ſaluto, & benedico te dulciſſime domine Ieſu Chriſte, gratias agens, ꝑ amore & fiducia, quibus noſtram carnē deuicta morte reſurgens glorificaſti, in cœlūque aſcendens ad dexteram patris collocaſti, obſecrans te, vt animas, ꝑ quibus oro, tuæ gloriæ & victoriæ participes efficere digneris. ¶ Quarto ſumpta venia, dic. Saluator mundi ſalua nos omnes, ſancta Dei genitrix virgo ſemper Maria ora pro nobis, precibus quoque ſanctorum apoſtolorum martyrum, & confeſſorum atq; ſanctarum virginū ſuppliciter petimus, vt à malis omnibus eruamur, boniſq; omnib⁹ nūc & ſemper ꝑfrui mereamur. Adoro, ſaluto, & benedico te dulciſsime domine Ieſu Chriſte, gratias agens pro omnibus beneficijs que glorioſæ Matri omnibuſq; electis tuis vnq̄ impendiſti, in vnione illius gratitudinis, qua omnes ſancti gratulātur ſe ꝑ incarnationē, paſsionē, & reſurrectionē tuā beatificatos: obſecrās te vt ex eiuſdē glorioſæ virginis & ſanctorū meritis & ꝓcibus ſup-

ſupplere digneris iſtis animabus, quicquid eis deeſt ex proprijs. ¶ Quinto legas deuote C.L. pſalmos vt habentur in ordine pſalterij, ſubnectendo poſt quemlibet pſalterij verſum hanc oratiunculam (Aue Ieſu Chriſte ſplendor patris, princeps pacis, ianua cœli, panis viuus virginis partus, vas deitatis.) & in fine cuiuſlibet pſalmi flexis genibus. Requiem æternam dona eis domine, & lux perpetua luceat eis. Præterea deuote dices aut dici facies C.L. aut ſaltem L. vel ad minus XXX. miſſas, ſeu loco earũ toties communicabis. Item C.L. eleemoſynas facies, ſeu loco cuiuſlibet Pater noſter, & Deus cui proprium, &c. ſuſcipe deprecationem noſtram, & quos delic. &c. dices pro conuerſione omnium peccatorum. Et C.L. opera charitatis ſuperaddes. Opus charitatis eſt, quicquid ex charitate Dei impenditur proximo, vtputa illi benefacere, aut verbum bonum dare, aut laborare, vel orare pro alijs. Hæc de magno pſaltereo cuius virtus in præcedentibus commẽdatur, dicta ſint. ¶ Cæterum his non abſurde adijciendas putamus VII. miſſas beato Gregorio papæ diuinitus (vt maiorum noſtrorum habet traditio) reuelatas, eo ꝙ ad liberandum animas à pœnis ſuis miræ ſint virtutis & efficaciæ, vtpote quæ meritis

De 7. Miſſis Gregorianis.

tis

tis Chriſti (quibus omne debitum ſolui-
tur)potiſsimum ſunt ſubnixæ. Debes au-
tem ſub qualibet harum miſſarum(ſi fa-
cultas adſit)in honorem paſsionis Chriſti
VII. luminaria accendere,& ſeptem dieb⁹
quolibet die XV.Pater noſter & Aue ma-
ria legere,& VII.eleemoſynas dare,& vnã
vigiliam defunctorum legere quolibet ho
rum dierum. ¶ Prima itaque miſſa eſt
(Domine ne longe)cum paſsione integra,
vt in die palmarum.Sub cuius memoria ro
gandus eſt dominus per capiuitatem ſuam
(qua ſponte ſe tradidit in manus peccato-
rum)vt liberet animam à captiuitate pœ-
narum,quam ſua propria meruit volunta-
te. ¶ Secunda miſſa(Nos autem gloria-
ri)cum paſsione domini,vt feria tertia poſt
Palmarum.Sub qua rogandus eſt dominus
per iniuſtam ſui condemnationem ad mor
tem,vt animam liberet à iuſto iudicio ſuo
cui ſua propria voluntate ſe ream fecit.
¶ Tertia miſſa(In nomine domini) cum
paſsione ſicut feria quarta poſt Palmarum
Sub qua rogandus eſt dominus per inno-
centem ſui affixionem pendentiamque do
loroſiſsimam in cruce:vt liberet animam à
debitis pœnis,quibus ſua ſe voluntate af-
fixit. ¶ Quarta miſſa erit etiam)Nos au-
tem gloriari)vt ſupra cũ paſsione (Egreſ-
ſus

ſus Ieſus, vt in die Paraſceues. Sub qua rogandus eſt dominus per ſuam acerbiſsimā mortē, & trāsfixionē cordis, vt ſanet animā à pœnis & vulnerib. peccatorū, quę ſua volūtate cōtraxit. ¶ Quinta miſſa, Requiem æternā, Sub qua rogand⁹ eſt domin⁹ p ſanctam ſepulturā ſuā, qua ipſe cœli terræque dominator dignabatur in terra recōdi, vt animā eruat à fouea peccatorū, q̄ ſua volūtate incidit. ¶ Sexta miſſa, Reſurrexi, vt p gloriā iucundæ reſurrectionis ſuæ animā ab omnib⁹ peccatorū maculis mūdare, & ſuę glorię participē facere dignetur. ¶ Septima miſſa eſt, Gaudeam⁹, vt in die Aſſumptionis beatæ Mariæ. Qua dominus Ieſus & mater ſua rogādi ſunt p gaudiū, q̄ in die Aſſumptionis ſuæ ſuſcepit ipſa mater miſericordiæ, vt detur animæ p̄cibus & meritis ipſius glorioſæ virginis, ab omni impedimēto abſolui, & cœleſti ſpōſo feliciter ſociari. ¶ Hæc ſi p̄ alijs feceris, in hora mortis oratio tua in ſinū tuū multiplicato fructu reuertetur. Si autē hæc ipſe p te feceris dū viuis, hoc vtique lōge melius eſt, q̄ poſt mortem ea ab alijs expectare, & fidelis dominus, qui occaſionē benefaciēdi q̄rit, cuſtodiet reddetq; ea tibi in tpe ſuo p viſcera miſericordiæ ſuæ, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.

Quid lucretur, qui ſua merita dat alteri.

CAPVT XXIII.

PRo anima cuiuſdam defuncti cum offerret Deo omne opus bonum, ꝙ ipſe pius dominus vnq̃ dignatus eſt in ea & per eam operari, vidit illud ante thronũ diuinę maieſtatis preſentari in ſimilitudine diuerſorum pulcherrimorum xeniorũ. Vnde tã dominus, q̃ omnes ſancti, videbantur mire iucundari. Et dominus illud valde benigne attraxit, quaſi gauderet ſe aliquid habere vnde indigentibus benefacere poſſet, qui proprijs factis non meruerant beneficia ſua, hinc vidit benigniſsimum dominũ cuilibet operi ſibi ab ipſa oblato aliquid addere ex liberaliſsima pietate ſua: & ſic illi remittere, vt pro bona voluntate nunc duplicatum reciperet, & conſeruaret in æternam remunerationem. Per quod intellexit quod homo non perdit, ſed multum lucratur in charitatę alios adiuuando.

Quam gratum ſit Deo pios diligere & pro defunctis orare. Item de pœnis inobedientiæ & detractionis.

CAPVT. XXIIII.

DIe quodam dum celebraretur miſſa pro anima cuiuſdam paupercula ipſo die ſepeliendæ:iſta miſericordia mota legit pro animæ ipſius remedio quinque pater noſter in honorem V.vulnerum domini.Tunc inſpirata diuinitus obtulit etiam in charitate domino omnia,quæ diuina pitas in ea & per eam vnquam dignata eſt, operari ad augmentum beatitudinis eiuſdē fœminæ.Quod cum feciſſet,ſtatim vidit animam eius in locum ſuum ſibi in cœlis à domino præparatum honorabiliter ſublimari.Et exinde ſedem ſuam tanto ſublimius eleuari,quanto chorus ſeraphicus à choro infimorum angelorum exaltatur. Tunc iſta requiſiuit à domino, vnde anima illa hoc promeruiſſet, quod ad prçces ſuas, & oblationem factam pro ea tantum beneficium conſecuta eſſet.Reſpondit dominus Cum tribus hoc promeruit.Primo quia videlicet ſemper bonam habuit voluntatem & deſiderium in religione ſeruiendi mihi, ſi facultatem habuiſſet.Secundo,quia religioſos & quoſque bonos homines dilexit. Tertio etiam,quia libenter ipſius ob honorem mei ſeruiuit & benefecit.Et ſubiunxit dominus. Quantum à quoquam hominū hæc tria prædicta acceptem,in animæ illius ſublimatione,perpende. ¶ Cum quæ-

dam

dam obijſſet, quæ per omnem vitam ſuam pro remedio animarum plures facere ſolebat orationes: ſed humana fragilitate in perfectione obedientiæ aliquantulum negligens extiterat, præferens quandoque rigorem ieiunij, vigiliarum, & ſimilia virtuti obedientię, viſa eſt quaſi diuerſis monilibus ornata: ſed ſub illo ornatu graui pondere lapidum impedita duci ad dominum à pluribus. Cumq; iſta videns hoc miraretur, edocta eſt quòd perſonæ ducentes erãt animæ ipſius orationibus liberatæ. Ornatus verò verba orationum, ſed lapides culpa inobedientiæ. Tunc dominus: Ecce, inquit, quomodo animæ iſtæ gratitudine inſtigante non permittunt me conſueto ordine culpas prius purgare, & poſtea ornamenta monſtare: cùm tamen oporteat eam purgari adhuc pro culpis inobedientię & proprij ſenſus. Ad quod illa: Nonne domine in fine admonita recognouit hoc, & quomodo potuit, pœnituit. Vnde ſcriptura dicit: Cùm homo agnoſcit, Deus ignoſcit. Reſpondit dominus: Si cognitio illa nõ interueniſſet, pondus in tantum eum dimerſiſſet, quòd vix vnquam ad me veniſſet. Videbatur enim ſub ornatu habere quaſi ollã terribiliter coquentẽ, vnde duritia lapidũ debeat reſolui in ſudorem, vſque dum an-

nihilaretur. Perſonis verò prædictis & orationibus fidelium promouebatur tanquã ſeruitoribus. ¶ Poſt hoc dominus oſtendit viam animarum ad cælum in ſimilitudine valdè ſtricti aſſeris parum procliuius, qui difficilime poterat aſcendi, & oportebat, vt aſcendentes ſe iuuarent ambabus manibus, aſſerem hincinde cautè tenentes. Per quod notabatur, quòd per opera bona animas oportere iuuare, Qui etiam angelos promotores merentur habere, multum proficiunt. Nam videbantur ex vtraq; parte terribiles griphones, ſcilicet dæmones circumuolare ad impediendũ animas. Sed oſtendebatur ſolatium religioſorum ſub obedientia viuentium, quaſi idem aſſer haberet ex vtraq; parte perticas, per quas tenere ſe poterant ne caderent. In illa verò parte, vbi prælati negligunt ſubditos per obedientiam regere, videbantur perticę deficere, & anxiè caſus timebatur. Illæ autem animæ, quæ ſe voluntarias ad obedientiam exhibuerant, manibus proprijs in perticis ſe tenentes ſecurè tranſibant angelis adiuuantibus & omnia impedimenta remouentibus ab ipſis. ¶ Alia quædam dum defuncta eſſet, apparuit quaſi ex auribus ipſi creuiſſet aliqua durities ad modum cartilaginis, quam cum magna difficultatę vngu-

gulis radi oportebat, vſque dum annihilaretur. Et hoc pro eo, quòd audierat murmurationes & detractiones. In ore etiam videbatur habere hoc impedimentum, quaſi corio ſibi eſſet os obtectum interius, ne ſaperet ſibi ſuauitas diuina. Et hoc pro eo, quoniam aliquando detraxerat. Vnde edocta eſt à domino, quòd ſi iſta, quæ ſimpliciter hoc fecerat, & frequentius pœnituerat, talia meruit: hi qui contumaciter ſimilia faciunt, ſimul cùm corio habent lanceolas à lingua ad palatum: & de palato ad linguam pungentes, quæ pœnaliter lácerando quaſi deteſtabilem ſániem effluere faciunt. Vnde valdè indecēter diuinæ pręſentiæ adeſſent, cùm abominabiles ſint omnibus cæliciuibus. Tunc iſta dixit gemens ad domminum: Heu domine, cùm quondam oſtendere ſolebas merita animarum: nunc magis oſtendis purgationes culparum. Ad quod dominus: Homines tunc magis inuitabantur donis gratiarum: ſed nunc pœnis vix terrentur à peccatis. ¶ His adiungere libet aliqua, quibus benigniſſima Dei pietas hanc virginem Gertrudem ad exitum ſuum dignata eſt præparare.

Pœna murmurationis et detractionis.

De mortis deſiderio, quòd dominus in eo ſuccendit.

CAPVT XXV.

IN feſto beati Martini ſub Reſponſorio, [Beatus Martinus obitum ſuum] iſta in ardeſcens dicebat ad dominum: O domine, quando mecũ ſimiliter facies? Reſpondit dominus: Nimis cito volo te de hac vita ſumere. Ex quibus verbis iſta nimio deſiderio ſuccenſa, optabat diſſolui, & eſſe cum Chriſto, cùm tamen antea nulla ſibi de hoc cura fuiſſet. Hinc feria quarta poſt diem paſchæ, dum ſumptam communionem adhuc in ore teneret, diuino affatu taliter eſt ſalutata: Veni electa mea, & ponam in te thronum meum. In quibus verbis ſenſit illam horam adueniſſe, de qua in præcedenti beati Martini feſto dictum audierat hoc verbum, ſcilicet, Nimis cito volo te de hac vita ſumere. Tunc adiecit dominus: Quantumlibet temporis hodiernæ diei ſuperuixeris, hoc non tibi ſtudebis viuere: ſed laudem meam ſecundum deſiderium tuũ in omnibus lucraberis. Quod igitur obitus eius ad tempus poſtea ſit dilatus: ideo factum eſt, quia dominus noluit eam tranſire abſq; merito deſiderij & præparationis illius, ad quam eam per prædi-

cta

ctaverba incitarat. Nā q̃do teſte ſcriptura dilata deſideria creſcunt, creſcit etiam per conſequens cumulus meritorum. ¶ Alia vice, dum die quadam dominica iterũ recoleret deſideriũ abſolutionis à carne, dominus ſubintulit: Si vniuerſa quæ à primæua ætate vſque in præſens præmeditari potuiſti, in emigratione tua perficerem, parum eſſet reſpectu gratiæ iſtius, quam ſola gratuita pietate mea abſque tuo deſiderio contuli tibi. Et adiunxit dominus: Elige quod vis, an iam exire de corpore, an infirmitate diutius exornari, quamuis in longa infirmitate ſciam te puluerem negligentiarum abhorreſcere. Tunc illa ſubijciens ſe tantæ dignationi Dei, ſic ait: Fiat domine mi voluntas tua. Et dominus: Iuſtè, inquit, mea eſſet iſta electio. Ergo ſi tu propter amorem meum conſentis peregrinari in corpuſculo, ego manens in te, quaſi columba in nido, ſic in ſinu meo te confouebo: donec tandem poſt obitum tuum ad amœna perducam viriditatis æternæ. Hinc per tempus deſiderium eius eſt temperatum. Et poſt hæc ad tempus quoties ad ſe redijt, hunc verſiculum audiuit ſibi interius replicari: Columba mea in foraminibus petræ. ¶ Poſt hæc cùm creſcente iterum deſiderio expeteret accelerationem re-

Infirmitas animam exornat.

reſolutionis ſuæ. Dominus reſpondit: Quę vnquam ſponſa tanto deſiderio accelerauit venire ad locum illum, in quo ſciret ſponſum oportere deſiſtere ab augmentatione ornatus ſui, & in quo ipſa deinceps nō permitteretur aliqua ſponſo xenia præparare? Poſt mortem enim, nec animæ meritum creſcit, nec vltra poterit aliqua pro domino ſuſtinere.

Quibus virtutibus anima Deo obuiam vehitur in morte.

CAPVT XXVI.

COmmunicatura vice quadam, dum nimio defectu virium laboraret, requiſiuit à domino, ſi per inſtantem debilitatem debitum carnis eſſet ſolutura. Vnde & tale accepit reſponſum: Cùm puella viderit nuncios ſponſi ſæpius aduenire & negotiari de his, quæ ſpectant ad nuptias perficiendas: dignum eſt etiam, vt ipſamet ſe præparet in his, quæ ipſam ad ſponſalia decent. Simili modo conuenit, vt tu cùm ſentias ægritudinem, nihil eorum negligas quibus velles ante obitū præparari. Tunc iſta: Et quomodo ſcire potero deſiderabilem illam horam aduentus tui, qua educes me de carcere carnis huius? Et dominus:

Ego

Ego duos angelos ex principibus cæleſtis Curiæ per aureas tubas faciam ad vtranq; aurem tuam ſuauiter decantare. Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Et illa: Quid erit domine vehiculum meum, cùm per regnum illud iter faciam tibi dulciſsimo vnico meo pręſentanda? Reſpondit dominus. Præualens tractus diuini deſiderij ex intimo amore meo ad te directus te in meum regnum ducet. Tunc addidit illa: Quid tunc domine mi habebo pro ſella? Et dominus: Plena fiducia (qua de liberaliſsima pietate mea omne bonum ſperas) in hoc conductu ſellam tibi præbebit. Et illa: Quo freno tunc regar? Reſpondit dominus: Feruentiſſimus amor, quo totis pręcordijs anhelas in amplexus meos, fiet tibi pro freno. Tunc illa. Cùm ignorem quid plus pertineat ad equitatum, nunc etiam vlterius neſcio perquirere, cum quibus in illa exoptabili via ſim profectura. Ad quod dominus: Quantumcunque nunc explorares, tamen in infinitum plus te inueniſſe gaudebis: & in hoc ſunt delitiæ meæ, quòd nunquam humani ſenſus tantum poterunt inueſtigarè, quantum ego meis electis ſoleo præparare.

De aurea ſagitta amoris.

CAPVT XXVII.

Amor. DVm quidam frater in capella prædicans inter cætera dixit: Amor eſt aurea ſagitta, qua ſi quid ſagittauerit homo, hoc ſibi quodammodo vendicaret: ergo ſtultus eſt, qui amorem ſuum terrenis occupat, cæleſtia negligendo. Ad hæc verba iſta inardeſcens dixit ad dominum: O vtinam ego haberem hanc ſagittam, quia abſque dilatione te vnicum dilectum animæ meæ transfigere vellem, vt te ſemper retinerem. Quod cùm diceret, vidit dominum verſus eam tenentem auream ſagittam, & ſic reſpondentem: Tu proponis me vulnerare, ſi auream ſagittam haberes: ergo cùm ego hanc habeam, volo te transfigere intantum, quòd nunquam amplius ad priorem redibis ſanitatem. Iam dicta ergo ſagitta videbatur tripliciter reflexa, ſcilicet, in prima parte, in media & prope finē. Per quod dabatur intelligi triplex vis amoris, quam in anima efficit eam vulnerando. Prima enim reflexio cùm pertranſierit animam, eo modo ipſam vulnerat, vt more languentis omnia tranſitoria penitus ſibi reddat inſipida, intantum, vt de cætero in nullo talium valeat delectari aut conſolari. Secunda

Triplex vis amoris.

da autem pertranſiens facit animam more febricitantis (qui ex acerbitate doloris cum maxima impatientia expetit medicinam) ſupra modum impatienti deſiderio æſtuare adhærendum Deo: cùm omnino ſibi impoſſibile videatur citra ipſum aliquo modo poſſe reſpirare. Tertia deinde pertranſiens animam ad eam inæſtimabilia perducit, quòd nulla alia ſimilitudo dici poteſt, quàm quòd animam quaſi à corpore ſeparando, nectareis torrentibus diuinitatis facit iucundè ingurgitari. ¶ Poſt prædictam reuelationem iſta humana ſenſualitate ducta, importune deſiderabat carnis debitum in antedicto loco, ſcilicet in capella perſoluere, quaſi corporalis locus ſpiritualia promoueret. Et cùm hoc quandoque orationibus ſuis annecteret, quadam die à domino tale accepit reſponſum: Ego te in exitu animę tuæ faciam ſub vmbra paternitatis meæ confoueri: ſicut mater dilectum vteri ſui in ſinu veſte ſua contectum facit pauſare, dum per horrida maria tranſnauigat. Et poſt debitum mortis in amœnis pratis cæleſtium viriditatum mecum faciam delectari: ſicut mater vult paruulum expertem eſſe ſalutis in portu, quem tamen voluit à moleſtia periculorum eſſe immunem in mari. Hinc iſta gra-

tias agens Deo, & a deſiderio illo pueri-li deſiſtens, totam ſe prouidentiæ diuinæ commiſit.

Quàm fideliter Deus nobis cuſtodiat mortis præparationes olim factas.

CAPVT XXVIII.

IN oratione ſua vice quadam pro hora exitus animæ ſuæ Dei miſericordiam implorabat. Vnde tale accepit reſponſum: Quomodo deceret me vt benè cœpta tecũ non optimo fine compleré? Et illa: Si tunc domine tranſitum meum perfeciſſes, quando ex tuis reſponſis exiſtimabam me morituram: tunc credo quòd gratia tua me paratiorem inueniſſet, ſed ex dilatione timeo quòd propter teporem deſidiæ meæ magis negligens depræhendar. Ad quod dominus: Omnia, inquit, ſuum tempus habent in prouidentia ſapientiæ meæ. Vnde ſi quidquolibet tẽpore feceris, pietas mea tibi reſeruat. Et inſuper quicquid addideris, non perit tibi. In quibus verbis domini intellexit, quia ſicut fieri conſueuit inter mundanos, quãdo aliquis nobilis diſponit nuptias celebrare: tunc antea tempore meſſis (dum ad futurum feſtum frumenta congregat) per omnium ora volitat rumor de nuptijs

Similitudo.

celebrandis: ſimiliter etiam fit tempore vindemiæ, cùm vinum congregatur. Dùm verò hæc repoſita ſunt in horrea ſiue cellaria, quamuis vulgo rumor conticeſcat: non tamen ideo minorantur, ſed tempore nuptiarum abundè miniſtrantur: Similiter agitur dum inſpiratur electis, vt ſe præparent ad obitum, cùm tamen poſtea per multum temporis differatur.

Exercitium mortis annue ſeruandum, & deuotæ præparationes ad eam. Et de pietate Mariæ.

CAPVT XXIX.

INſtructionem quandam valdè vtilem conſcripſerat, qualiter videlicet quilibet homo ſaltem ſemel in anno memoria mortis ſuæ deuotè peragat, & incertam illam horam, qua poteſt, deuotione præueniat: ita, vt videlicet primum diem aſſignet extremæ ſuæ infirmitati. Secundum confeſſioni. Tertium vnctioni. Quartum communioni, & Quintum morti. Cùm verò hoc vt alios docuerat, etiam ipſa recolere proponeret, & die dominico præcedente hos dies per ſanctam communionem auxilium diuinum in ſuum ad-

iutorium inuocaret, legeretq; deuotè pſalmum [Quemadmodum]cum hymno]Ieſu noſtra redemptio]in vnione illa, qua amans anima vnus ſpiritus fit cum Deo. Ait illi dominus: Incumbe ſuper me ſicut Heliſæus propheta incubuit ſuper puerum, quem à mortuis ſuſcitauit. Ad quod illa: Qualiter, inquit, hoc perficiam? Reſpondit dominus: Applica manus tuas manibus meis, id eſt, commenda mihi omnia opera manuum tuarum. Item applica oculos tuos oculis meis, ſingúlaq; membra tua coapta membris meis. Id eſt, in vnione membrorum meorum innocentiſſimorum commenda mihi ſingula membra corporis tui, cum omni motu ſuo: vt de cætero nunquam niſi ad laudem & gloriam meam, & propter amorem meum commoueantur. Quod cùm faceret, videbatur velut quædam zona aurea prodire de corde Dei, qui circumcingens animam eius, ipſam indiſſolubili vinculo amoris domino aſtrinxit. Hinc circa horam communionis, dum recoleret quòd præcedenti die libenter confeſſa fuiſſet, ſi facultatem habuiſſet, ac deſideraret à domino ab omnibus peccatis & negligentijs abſolui, viſus eſt dominus de ſingulis membris ſuis velut vncos quoſdã aureos emittere,

Pia commendatio.

tere,& animam illam beatam in ſe conclu. dere,virtute ſuæ incompræhenſibilis diuinitatis: ſicut gemma includitur auro. ¶ Sequenti vero die,ſcilicet feria ſecunda, dum ad iudicium inualeſcentis languoris bis legeret prædictum pſalmum, Quemadmodū cum hymno (Ieſu noſtra redemptio) in memoriam vnionis illius,qua diuinitas cauſa humanæ ſalutis adiuncta eſt humanitati,videbantur vnci ſupradicti prodeuntes de membris domini ad includendum in ſe animam duplicari. Die quoque tertio dum eundem pſalmum legeret ter in reuerentiā vnionis illius,qua Chriſtus cauſa glorificationis noſtræ ſemperq́; venerandæ Trinitati vniter,videbantur vnci triplicari, Feria denique quarta, dum extremæ infirmitatis ſuæ memoriam celebraret,cum deuotione & orationibus ad hoc aſsignatis: apparuit anima eius crucifixo adiunctā, velut gemma auro incluſa:& videbatur, quod quaſi de auro illo prodirent flores ad inſtar foliorum vitis qui ſuper gemmam reflexi iſtam miro modo decorabant. Per quod dabatur intelligi, quod paſsio Ieſu Chriſti (in cuius vnione ipſam infirmitatem ſuam obtulit domino (animam ipſius ſanctæ Trinitati decenter placitam faciebat: feria quoque quinta, dum ſub forma confeſsionis
pecca-

vero duo animam deducentes obuiam domino præſentabant. Quam dominus blande ſuſcipiens pectori ſuo ipſam acclinauit, & viuifico ſacramento altaris (quod quaſi in forma veli manibus tenebat) ſe & ipſam operiens eam ſibi feliciter ſotiauit & vniuit ¶ Dominico itaque die, dum recoleret diem extremæ ſuæ expirationis, cum orationibus ad hoc aſſignatis deuotione qua potuit, affuit ei iterum dominus dignantiſsima blanditate & ſingula membra eius (quę ipſa ſibi offerebat mundo moritura ſibique ſoli deinceps in laudem æternam & amoris exhibitionem victura) venerabili manu ſua benedicendo tam efficaciter cõſignauit, & in quolibet membro animæ, ſignum crucis aureæ tam efficaciter impreſsit, quod ex vtraque parte mẽbri crux clare reſplẽderet. Vnde per hoc, quod crux apparuit aurea, figurabatur, quod omnia opera & commotiones ſingulorum membrorum ipſius de cætero ex virtute diuinæ vnionis deberent nobilitari. Per crucem vero notabatur, quod omnes maculæ, quas poſtea cõtractura eſſet ex humana fragilite per virtutẽ paſsionis Chriſti ſine mora deberent aboleri. ¶ Ad eleuationem hoſtiæ, dum offerret domino cor ſuum mũdo moriturum, & oraret vt dominus dignaretur

ani-

aureum enim ſtipitem figurabatur diuinitas,& per argenteam anima iſtius ſibi inuoluta. Cumque oraret pro ſibi commiſsis, videbatur arbor iam dicta producere fructum pomorum pulcherrimorum flamma diuini amoris refertorum. Quæ poma declinata demittebantu tad quemlibet eorũ, pro quibus orabat, vt ea per deſiderium, & deuotionem decerperent ſibi ad veram ſalutem. Poſt hoc dum multum debilitata ſe ad pauſandum lecto reclinaret dicens. Domine quicquid deinceps admitto commoditatum, hoc offero tibi ad laudem æternã deſiderans, vt ſuſcipias omnia tanquam membris tuæ ſanctiſsimæ humanitatis adminiſtrata. Reſpondit dominus. Et in quibuſcunque deinceps delinquens ex humana fragilitate, ſint per virtutem meæ diuinitatis emendata. ¶ Hinc illa requiſiuit à domino, vtrum eam per infirmitaté (qua tunc laborabat) educere dignaretur de hoc exilio. Cui reſpondit dominus. Ego per hanc infirmitatem deducam te quaſi in locum mihi propiorem. Ad ſimilitudinem, ſicut ſponſus habens ſponſam prędilectam in remotioribus partibus commorantem (cuius amore æſtuat) euocat quidem & proprio ducatu numeroſque principum ac militum ſuorum circumuallatu (qui omnes *Pia oblatio.*

nes

ad locum tibi ab æterno prædeſtinatum perueneris:hoc eſt,ad tantum defectum virium,quod morti approximare videberis: tunc ego coram omnibus ſanctis oſculum tibi præbebo ſuauiſsimum & annulum fidei ſponſalis,id eſt,ſacramentum extremæ vnctionis. Et hoc per oſculum, quia certe vnctionem ex intima ſuauitate diuini ſpiraminis mei tibi efficaciter infundam: ex cuius pinguedine ita delibuta eris,quod de cætero nullus puluis peccatorum aut negligentiarum (qui, meum blandiſsimum reſpectum ad ictum oculi à te auertere poſſit)tibi poterit adhærere. ¶ Et quanto vnctionem ſacri olei accelerauerís, eo amplius adaugebis beatitudinem tuam: ſicque in tali ſtatu tam prope mihi commoraberis,quod quam primum ad deducendum te in regnum meum æternum me præparare voluero,ſtatim propter vicinitatem commanſionis hoc per intellectum ſenties. vnde exultabũt omnia tua intima ſimul in occurſum meũ ſe præparãtia.Sicq; ego delitijs plen⁹ inter ſtrictos amplexus meos deducam te per torrentem mortis temporalis,& intraham penituſque immergam & abſorbebo te pelago meæ excellentiſsimæ diuinitatis:quo vnus ſpiritus mecum effecta,mihi conregnabis in ſecula ſeculorum.

Tunc

ſuam voluntatem: & ſuſcipiet eum dextra miſericordiæ meæ, deducetque eum, cum inæſtimabili gloria, & honore ad regnum claritatis æternæ. ¶ Dominica proxima poſt hoc dum celebraret feſtum illud iucundiſsimum, quo de hoc egreſſa exilio conſpectui beatiſsimæ trinitatis primo deberet aſsiſti, & tanquam in exceſſu mentis oculo internæ cõtemplationis perluſtraret omnia merita & gaudia ſingulorum ordinum angelorum & ſanctorum: & inſuper in affluentibus bonis, quibus tam feliciter dotati ſunt, miro modo delectaretur: ex intimo cordis affectu cœpit gratias agere pro eis. Similiter collaudabat dominum pro omni dignitate, gratia, & gloria beatiſsimæ virgini matri impenſa. Deprecabaturque ipſam matrem virgineam Mariam, vt ob amorem filij ſui dignaretur in ſupplementum indigentiarum offerre pro ea domino illas virtutes, per quas ſe maxime cognoſceret ipſi domino virtutum cõplacere. Tunc cœlorum regina precibus deuotæ ſuę prouocata, obtulit filio ſuo quaſi pro camiſia candidiſsima virgineam ſuam caſtitatem: & tanquam pro tunica viridi, ſuam placitiſsimam humilitatem. Et velut pro amictu purpureo ſuam immarceſcibilem charitatem. Quibust virutum

or-

ſolari & præmuniri. Qua conſolatione oportet me indignam carere, cum nulli ſanctorum tuorum condignum exhibuerim obſequium: nec etiam (vt verum fatear) alicuius ſancti ſciam deſiderare ſolatium, niſi duntaxat tuum ſolum, qui omnium ſanctorum es ſanctificator. Reſpondit dominus. Nequaquam propterea, priuaberis honore illo ac ſolatio ſanctorum meorum, quod me ſolum, vt dignum eſt, præfers omnibus illis. ſed potius ipſi ꝓpter hoc benignius erga te afficiũtur, tibiq; miniſtrare delectantur. Vnde tempore exitus tui cũ cæteri homines magis ſolent anxiari aderunt tibi ſanctorum meorum ſolatia. Cum vero appropinquauerit hora illa præiucunda, qua alijs ſuffragari ſolent ſolatia ſanctorum: tunc nimirum egomet totus floridus & amœnus omnibus delitijs plenus cum omni delectamento diuinitatis & humanitatis meæ me tibi exhibebo. Tunc illa. Eia quando dignaberis, fideliſſime Deus, de carcere exilij ad requiem beatam me deducere? Reſpõdit dominus cui vnquã ſponſæ tantus parabatur applauſus populorum, vt cauſaretur de mora, qua ſponſus ſibi blandiretur per amplexus & oſcula? Et illa. Quid ergo in me omnium creaturarũ peripſemate poteris inuenire,

in

in quo taliter delecteris, vt hoc amplexib' & oſculis ſponſalis blanditatis æqui parare digneris. Reſpondit dominus. Hoc, inquã, quod toties me tibi communico in ſacramento, altaris, quod poſt vitam hanc fieri nequit. Et in hoc ego in infinitum plus delector, quam omnes ſimul qui vnquam in humanis amplexibus & oſculis ſunt delectati, potuerunt experiri. Nam delectatio amplexuum & oſculorum humanorum vilis eſt & cum tempore tranſit. Suauitas vero vnionis illius, qua ego me tibi comunico per ſacramentum altaris, nobiliſsima eſt nec vnquam deficit aut tepeſcit: ſed quanto ſæpius renouatur, tanto efficacius viget in æternum.

De priuilegijs & gratijs magnis à Deo per iſtam mundo effuſis.

CAPVT XXXI.

CVm igitur, vt ſupra dictum eſt, ab ipſo domino diuerſimodè inſtigata eſſet ad deſiderandam carnis abſolutionem atque poſt hoc per tempus epatis vitio ægrotare cœpiſſet, & à medicis, qui eam cõſiderauerant, intellexiſſet, quod impoſsibile videretur ipſam de cætero priſtinam recipere ſanitatem: cnm mira ſpiritus exultatio

tatione gratias proinde Deo referens, hæc verba interſerebat. Quãuis domine mi præ omnibus delitijs hoc mihi exoptabile ſit & iucundum, vt carcere carnis educta tibi ad iungar: tamen ſi tibi hoc placeret, eligerẽ vſque in diem iudicij hic permanere, & tibi ad laudem in extrema miſeria degere. Ad quod dominus. Talis voluntas tantum apud meam diuinam benignitatem obtinuit effectum, ac ſi omnia quæ deliberaſti, perfectiſsimo modo opere perfeciſſes. Et hæc dicens viſus eſt dominus tam incontinentibilis ſuauitatis delitijs ſuperabundare, quod ex omnibus ſenſibus ſuæ deificatæ humanitatis: ſcilicet ex oculis, auribus, naribus, ore, & manibus, liquor quidam nectareus emanabat: ex quo omnes ſancti communiter nouam gloriæ gaudij & delectationis hauſerunt ſuauitatem: Et ait dominus. In illa die, cum videlicet te totam intraxero mihi, ſtillabunt montes (id eſt ſancti) hanc dulcedinem: quod tunc ad cumulũ beatitudinis tuæ per totum mundum melliflui fient cœli. Et colles (id eſt, terreſtres) fluent lac & mel, id eſt, conſolatione alicuius ſpiritualis gratiæ ob meritũ tuum donabuntur. ¶ Hoc diuinæ dignationis benigniſsimum reſponſum iſta cũ maxima gratitudine ſuſcipiens, ad ſuauio-

rem cumulandum gratitudinem ſimul recolligere cœpit, quæ alijs vicibus etiam ſibi dominus tã per ipſum, quã etiã per interpoſitas perſonas huiuſmodi fecerat ꝓmiſſiones, & pro ſingulis deuotas Deo perſoluebat gratiarum actiones. Acceperat enim in promiſsis ab incontinentiſsima diuinæ pietatis ſupereffluentia: quod reuera amor diuinus omnes vires eius conſumere deberet. Item, quod nulla mors ipſi præualere deberet, præterquam illa nobiliſsima virtus amoris, quæ in filio Dei præualuit & precioſam ipſius animã à delicato corpore ei⁹ ſeparauit. Item, ꝙ ſpiritui ſancto cõmiſſum eſſet ex conſilio ſemp̱ venerandæ Trinitatis vt in eodem amore, quo ipſe precellentiſsimam incarnationem amantiſsimi filij Dei ineffabili modo operat⁹ eſſet in vtere virginali, etiã omnia ſua quæ tã p̱ totam infirmitatẽ, q̃ etiã in morte circa ipſam agerentur, feliciter perficeret virtute & operatione ſua diuina. Itẽ, quod amor ei ſeruire deberet, & omnes qui ei affectu vel factis, aliquod in charitate miniſterium exhiberent in ſua infirmitate à diuina liberalitate: hoc recepturi erant in remunerationem quod ipſis etiam amor Dei miniſtrare deberet in extrema ſua infirmitate. Item, quod dominus tanta eam gratia perfundere

re dignaretur, quantum tunc temporis aliquis hominum percipere poſſet. Item, ꝙ in hora dormitionis ſuæ beatæ, magna multitudo peccatorum per veram pœnitentiam deberet cõuerti ex gratuita pietate Dei. Et inſuper omnes, qui vnquam ad gratiã Dei eſſent peruenturi, aliqualiter illa hora deberent adaptari. Item, quod infinitæ multitudines animarum etiam ipſa hora à pœnis ſoluerentur augmentum meriti & gaudij eius, quæ ſimul cum ea tanquam familia cum ſponſa regnum gloriæ cœleſtis intrare deberent. Item certificata erat per ineffabile diuinæ veritatis promiſſum, quod quicquid aliquis pro ea à Deo poſtularet, illius effectum ſalutarem in ſeipſo feliciter deberet experiri ille, qui pro ipſa oraret. Item quot vicibus aliquis Deum cum deuotione laudaret, aut gratias ageret domino pro beneficijs ipſi collatis, tot virtutibus ſiue gratijs ſpiritualibus dominus ipſum laudantem vellet ditare: ſi non in inſtanti, certe tamen tempore congruenti. Item, quod ſi quis deuote ꝓ ea dominũ laudans & gratias agẽs oraret ꝓ quacunq; re, primo per amorem illũ quo eã dominus ab æterno ad ſpecialem gratiam elegit: ſecundo, quo eam ſuauiter attraxit: tertio, quo eam ſibi familiariter vniuit; quarto quo
iu-

iucunde frueretur ea:& quinto,quo feliciter eam conſummare dignaretur:illius preces indubitanter vellet adimplere, ſi ſalubria ſibi eſſent quæ peteret.Item, quod iurauit ei dominus per veritatem paſsionis ſuæ ſub ſigillo mortis ſuæ precioſæ, quod ſi quis in charitate cum bona voluntate in hora mortis ante mortem vel etiam poſt mortem eius præmuniret aut ſubſequeretur eam in omnibus quibus ipſe exitum ſuum proprium deſideraret communiri: & hoc tali intentione,quod adiungeret ei omnes,pro quibus dominus vellet orari:& ante inceptionem orationis offerret domino ſtudium ſuum in vnione illius amoris,quo ipſe de cœlo deſcendit ad terras & omne opus humanæ redemptionis perfecit: poſt finem vero orationis offerret domino ſtudium ſuum in vnione amoris,quo dominus mortem pertulit & eam cum omni fructu ſanctiſsimæ humanitatis in die Aſcenſionis ſuæ Deo patri præſentauit·ille in morte ſua propria inuenire deberet omne, quod aliquis in mundo pro ipſa faceret,ac ſi ipſe ſolus cum magna deuotione omnia pro ſeipſa perfeciſſet.

Pe

De ſuaui pauſatione, deque mira ſuppletione omnium neglectorum, & ignitis oratiunculis.

CAPVT XXXII.

HInc vice quadam apparuit ei dominus Ieſus præ filijs hominum inæſtimabiliter forma ſpecioſus, mira blanditate ſuſcipiens eam inter amplexus ſuos præſuaues, ac præparans ipſi quietem ſuauiſsimā in ſiniſtro brachio prope cor ſuum dulciſſimum & omni beatitudine plenum. Videbatur enim quaſi pro puluinari ſternere ipſi omnem dolorem totius corgoris ſui ſanctiſsimi, quē in cruce pertulerat pro ſalute mundi, vt illius fructum ſaluberrimum animā ſibi intraheret ad ſalutem æternam. Suppoſuit etiam capiti eius velut pro cuſſino omnem dolorem cordis ſui dulciſsimi, quem in cruce perſenſerat ex eo quod præſciebat amariſsimam, turpiſsimam, & innocentiſsimam paſsionem & mortem ſuam in tam multis fore infructuoſam. His quaſi pro linteaminibus, candidiſsimis ſuppoſuit deſolationem illam miſerabilem, qua ipſe amicus fideliſsimus ab omnibus amicis derelictus velut fur vel latro crudeliter comprehenſus & immiſericorditer vnctus, ad mortem eſt propul-

ſus, & inſuper ab inimicis contumelioſe deriſus, ſubſannatus & iniurijs afflictus. Deinde contexit eam dominus omni fructu ſuæ precioſiſsimæ mortis, vnde ſanctificaretur ſecundum omne beneplacitum diuinæ pietatis. ¶ Cumque ſic verſus amantiſsimum cor Dei quaſi in ſiniſtro brachio ipſius ſuauiſsime repauſaret, aſpiciens vidit idem cor Deificum (in quo reconditum latet omne bonum) ſibi in ſimilitudine horti vel paradiſi, omni amœnitate & delectatione ſpirituali pleniſsime patefactum arridere. In quo vernabant omnes anhelitus Chriſti ſanctiſsimæ humanitatis, quaſi pro viridiſsimo gramine, ac redolebant omnes cogitationes eius cordis ſanctiſsimi in ſpecie roſarum liliorum ac violarum, cæterorumque diuerſorum florum amœniſsimórum. Nec non procera venuſtate præpollebant ſingulæ virtutes domini Ieſu in ſpecie vitis vberrimæ tanquam vineæ Engaddi, cuius botri ſunt ſuauiſsimi: quæ nimirum arbores virtutum diuinarum, ac vites verborum dulciſsimorum, ramos & palmites ſuos circa animam vndique dilatantes ipſam mira & ineffabili delectatione releuabant. Dominus etiam de ſingulis fructibus arborum diuerſarum ſcilicet virtutum ſuarum, videbatur animam

nam eius blande reficere, & de botrorum dulcedine ſuauiter potare. Egrediebantur inſuper quaſi per medium cordis diuini tanquam tres riuuli puriſsimi, qui in ſe inuicem influentes miraculoſe conuoluebant. Et ait dominus ad eam: Ex his riuulis in hora mortis tuæ tam efficaciter potaberis, & anima tua ex hoc tam ſaluriter conualeſcet ad ſummam perfectionem, quod vltra in carne permanere non poteris: ſed interim horum aſpectibus delectare ad meriti tui, profectum æternum. ¶ Cumque deuote exoraret Deum patrem, vt eam reſpicere dignaretur per innocentiſsimam Ieſu Chriſti humanitatem puram & immaculatam ab omni peccato, ac per excellentiſsimam ipſius diuinitatem, ditatam & ornatam omnigena virtute, qua eadem glorioſa diuinitas floruit per ſanctiſsimam humanitatem, precum ſuarum ſatis affectuoſum promeruit conſequi effectum. Dehinc cum oraret, dicens. Da mihi amantiſsime pater, amatoriam beuedictionem tuæ diuinæ pietatis, & cætera, extendens dominus omnipotentem manum ſuam, eam ſigno ſanctæ crucis deſuper conſignauit. Quæ benedictio gratioſa mox in ſpecie aurei tentorij videbatur lectulum eius cooperire.

In quo dependere videbantur tympana, organa, cymbala, aliaque diuerſa aurea muſica inſtrumenta: per quæ omnia ſignificabatur inæſtimabilis fructus ſaluberrimæ paſsionis Ieſu Chriſti, qui eam diuerſimode lætificabat. ❡ Pauſans igiter inter tales tantaſque delitias, non ſicut æger decumbens lecto, ſed ſicut ſponſa delicata in thalamo, imo ſicut Deum ſitiens anima, quæ poſt Liæ fœcunditatem baſia Rachelis ſuauia inter diu optatos amplexus auidiſsime haurit, ſic afflante leniori auſtro diuinæ propitiationis, recogitabat nō in amaritudine animæ, ſed quaſi gaudens de bonis domini ſui ſterilitatem præteritorum conatuum ſuorum & ex abundantia ſaluberrimorum paſcuorum loci illius, in quo fuerat collocata, ea ſingula pinguedine ſapidiori condire ſategit, intantum, quod non ſolum neglecta perſolueret, ſed etiam perfectis operibus ſuis ſuperadderet, multo decentiorem ornatum. ❡ Vnde collegit deuotiores oratiunculas, & etiam in inſtanti deuotiſsimas compoſuit, & illas vice omnium membrorum replicans cum his perſoluere ſeu redimere nitebatur primo debita ſua, quib. negligentius ſe inſtitiſſe iudicabat, videlicet, horas canonicas, horas beatæ virginis, &

vi-

vigilias defunctorum, cæteraque ſimilia. His quoque ſuperaddidit redimere ſingulas virtutes, in quibus ſibi videbatur minus iuſto exercitata fuiſſe, ſcilicet amorem Dei & proximi, humilitatem, obedientiá, caſtitatem, ſocialitatem, gratitudinem, congratulationem, compaſsionem, & ſimilia. His etiam adiecit redimere ſpiritualia exercitia, quibus ſe negligentius inuigilaſſe reputabat, ſcilicet laudes Dei, gratiarumactiones, emendationes, & orationes, non ſolum pro ſe, ſed etiam pro tota eccleſia. Hæc ſigula ſtudebat redimere deuotiſsimis oratiunculis. Nec ſuffecit ſibi quolibet vna tantum emendatoria ſuppletione reſpondere, ſed potius pro ſingulis, vt prædictum eſt, vice omnium membrorum ſuorum. ccxxv. oratiunculas perſoluit, pater noſter & Aue maria propter dignitatem interſerens, & cuilibet (vt prædictum eſt) orationes tam melleas interponens, quod non ſolum humanum cor trahere poſſent ad deuotionem, verumetiam ipſum Deum regem & ſponſum æternarum delitiarum ad delectandum allicere præualerent. Sed & eadem fidelia promiſſa, quæ, vt ſupra dictum eſt, à teſtimonio infallibilis veritatis acceperat, ſingula ſingulariter redimere laborabat. Et quamuis om-

nino certa eſſet exconſtantia confidentiæ, tamen indignitatis ſuæ nunquam obliuiſcens, ad ea quæ certiſsime credebat ſe accepturam à liberaliſsima ſupereffluentia pietatis Dei, quibus poterat oratiunculis pro modulo ſuo ſe capaciorem exhibere ſatagebat. ¶ Inter hæc etiam regulam ſuam intentiſsime relegens, ſingula verba tā deuotiſsimis ſupplicationibus ac ponderoſis ſuſpirijs remetiebatur, quod non ſolū (vt prædictum eſt) neglecta, imo cooperante pietate Dei etiam perfecta nobiliſsimo ornatu decorare valebant. ¶ His per Dei gratiam intentiſsime perfectis omnes vires & ſenſus corporis & animę ad altiora diſtendebat: inter alia deuotiſsime ruminando millenis vicibus eructabat tales verſiculos, qui feruentiorem æſtum deſideriorum ſuorum ad Deum exprimerent & per conſequens efficaciori attractu ipſum (cuius amore languebat) ſibi medullitus intractum copularent. Et in his intentionem ſuam extendebat quantum altiſsime præualuit, in vnione amoris mutui affectus & gratitudinis ſemper venerandę Trinitatis, & ex parte affectus totius creaturæ: vt deinceps eo veraciori confidentia ruminare poſſet verſiculum illum, qui ſolitus erat hærere memoriæ ipſius, ſcilicet, deſiderate

mil-

millies. Hunc enim cum alijs, ſcilicet: Veni feſtinans, propere: Sitiuit anima mea: Tuus præualens amor, &c. diſtinxit cum verſiculo: O amantiſſime pater, ſanctiſſimam conuerſationem (quem etiam miro & incredibili effectu ſibi diuinitus infuſum ſuſceperat, & etiam eundem miro modo ab omnibus legentibus acceptari à domino recognouit) per totam infirmitatem illam tam indeſinenter & aſſiduè replicabat, quòd non ſinebat ſe impedire, quantumuis magno laboraret defectu virium, quin ſingulis diebus vice omnium membrorum ſuorum iſta ſuppleret. Excepto, ſi maiori affectu ad altiora duceretur. Sæpius etiam ex abundantia ſuauitatis, qua ſpiritus crebro paſcebatur, pluribus ſe affectuoſius viſitantibus tam dulcifluas eructabat oratiunculas & inſtructiones, ex quibus tantam conſolationem ſpiritus ſe recipere teſtabantur, quòd libentiſſimè ipſi infirmanti miniſtraſſent, quo talis conſolationis & inſtructiõis ſubſidio (quod per verba ejus recipiebant) perfrui mererentur. Vnde & quædam perſonæ ſæpius orationes ſpeciales tam magno deſiderio perſoluebant pro ea, vt eam dominus ſanitati reſtitueret, vel ſaltem ſic infirmam in hac vita ad ipſarum conſolationem ſuſtentaret, quòd non

eſt dubium, quin eam dominus (qui nunquam ſpernit vota humilium) propter ipſarum preces diutius in hoc corpore ſuſtentauit, ipſius nimirum prouidens meritis, iſtarum charitati congaudens. ¶ Prædicti verſus poſſunt etiam hoc modo recitari, ſcilicet: Deſiderate milies mi Ieſu, quando venies, me lætum quando facies, de te me quando ſaties. Veni, veni, rex optime, pater immenſæ gloriæ: effulge clarè lętius, iam expectans ſæpius. Tua te cogat pietas, vt mala noſtra ſuperes parcendo, & voti compotes nos tuo vultu ſaties. Sitiuit anima mea, &c. vt in pſal. XLI. Hos diſtingue cum verſiculo: O amantiſſime pater, qui habetur libro ſecundo, cap. xxiij.

Suppletio beatæ virgini grata.

CAPVT XXXIII.

DVm igitur ſpecialibus orationibus, ſicut ſupra ſcriptum eſt, redemiſſet neglecta, quæ ſe contraxiſſe doluit in diuerſis obſequijs beatiſſimæ virgini debitis, & illo die quædam filio Dei offerret, orans vt ipſe eadem matri ſuæ beatiſſimæ pro ſe dignaretur præſentare, in ſuppletionem omnium ſuarum negligentiarum in ſeruitio virginis glorioſæ: exurgens rex gloriæ, cor

ſuum

ſuum deificum obtulit prædigniſſimæ genitrici ſuæ, dicens: Ecce mater amantiſſima, exhibeo tibi cor meum, ſicut eſt ſuperabundans omni beatitudine, & in ipſo tibi præſento omnem affectum diuinum, quo te ab æterno præ omni creatura gratuito prædeſtinaui, creaui, ſanctificaui, mihique in matrem ſpeciali affectu adaptaui: omnemque benignitatis dulcedinem, qua tibi vnquam blanditus ſum in terris, cùm me infantem in ſinu tuo confoueres, & aleres, omnemqe fidelitatem, quam deinceps tibi per totum tempus, quo cum hominibus conuerſatus ſum, filiali affectu tibi exhibui, in omnibus ſubiectus tibi ſicut filius matri, qui eram gubernator cæli, & ſpecialiter in hora mortis, dum quaſi proprij cruciatus oblitus, & tuæ deſolationi ac mœrori compaſſus medullitus cuſtodē tibi ac filium loco mei fideliter prouidi. Et inſuper affectum dignationis illius inæſtimabilis, quo te in die iucundiſſimæ Aſſumptionis ſuper omnes choros angelorū & ſanctorum exaltaui, cæli terræque dominam & reginam conſtituendo. Quæ omnia modò ob amorem huius dilectricis meæ quaſi totaliter renouata & duplicata tibi exhibeo in ſuppletionem negligentiarum, quas vnquam in tuo mater pia ſerui-

tio contraxit, vt ſic quaſi cum duplicata tibi omni tua felicitate procedas, obuiam ipſi ſponſæ meæ in hora mortis ſuæ, ſuſcipiens eam materna pietate. Quod gratioſa mater blandiſſima alacritate acceptans, & ſe ad omnia paratiſſimam declarans, dixit: Præſta mihi etiam nunc, fili amantiſſime, vt in eadem ſuſceptione (dum ſecundum tuum beneplacitum huic electæ tuæ obuiauero) ſingula mihi à te collata ſibi infundant diuinam ſuauitatem nobilem ſuper balſami liquorem, quæ ipſa feliciter ſuſcipiat in affluentia plenarum delitiarum. ¶ Iſta verò beata ad tantam dignationem diuinæ pietatis commota, dixit ad domiminum: Heu me benigniſſime Deus, quod neglexi ſuppletionem illam licet exiguam (quam perſolui pro negligētijs contractis in horis meis canonicis, cæteriſque ſeruitij tui debitis, ſimili deuotione tibi commendare, cùm tua incontinentibilis pietàs tantoperè dignata ſit exiguitatem tantilli ſtudioli mei nobilitare. Ad quod dominus: Ne ſoliciteris chariſſima, quia ego ſuſcepi omnia illa in vnione amoris illius, quo eadem in corde meo diuino nobilitata æternaliter & dulcificata tibi infudi. Et conuniuicis omnem deuotionem & intentionē, quam vnquam humanum cor influxu meo

per-

perſenſit: & ſic perfectiſsimo modo ſanctificata obtuli ea Deo patri meo pro vniuerſis negligentijs tuis in placitiſſimam emendationem & acceptabiliſſimum holocauſtum. Vnde & ipſe inæſtimabili modo placatus, totum ſuum paternum, imò diuinum ad te inclinauit affectum.

Quomodo officia agonizantium hæc ſponſa ſibijpſi perſoluit. Et de præoſtenſione eius exitus.

CAPVT XXXIII.

CONſueuit iſta virgo ferijs ſextis circa nonam abſtrahere ſe ab omnibus exterioribus tanquam pauſatura, ne ab aliquo impediretur, & intendere ſoli Deo intima deuotione ſibiquemetipſi quaſi agonizãti perſoluere omnia, quæ fieri ſolẽt circa agonizantes, etiam ſupra quàm optari poſſet, tam in orationibus deuotis, quàm in meditationibus ſalubribus. Cumque hoc ad tempus ſumma cum deuotione peregiſſet, & iterum die quodam ſimili modo in ſexta feria ſe recollegiſſet, ac in pacata mentis tranquillitate ſuauiter quieſceret: benignus dominus (qui magnis beneficijs maxima ſuperaddere ſolet) eidem quaſi raptæ in ſpiritu, in hac ſimilitudine præoſten-

oſtendit, quàm felici migratione eam de hoc mundo dignaretur euocare. Videbatur enim ſibi, quòd in ſinu domini brachio ſiniſtro eius ſuſtẽtata verſus cor ipſius deificum repauſaret, agonizans in ſpecie puellæ valdè delicatæ & mirabiliter perornatæ. Tunc aduolabat cum ingenti gaudio infinita nimis multitudo angelorum & ſanctorum: quorum ſinguli ferebant thuribula in manibus ſuis, in quibus collectas offerebant, orationes & deuotiones totius eccleſiæ, vt adolerent ea ibi in laudem regis & ſponſi gloriæ, ac in profectum ſponſæ illius, ſcilicet huius beatæ animæ. ¶ Dum verò ipſa faceret inuocationem beatæ virginis per Antipho. Salue Maria, *S. Maria.* aduocauit dominus matrem ſuam beatiſſimam, vt ſe ad conſolationem electæ ſuæ adaptaret. Tunc acclinans ſe virginum regina, nouo ſplendore præfulgida delicatis manibus caput infirmæ mira blanditate ſuſtentabat. Huic etiam affuit angelus ſanctus cuſtos ipſius infirmæ in ſpecie cuiuſdam illuſtriſſimi principis ſibi commiſſæ congaudens felicitati. *S. Angelus cuſtos virg.* Deinde cùm infirma inuocaret ſanctum Michaelem archangelum, *S. Michael.* repræſentãs ſe & ipſe princeps magnificus cum angelorum maxima multitudine, exhibuit ſe ipſi ad obſequendum,

op-

oppoſuitque ſe ex aduerſo ad expugnandas inſidias dæmonum, qui ibidem aderāt quaſi in quodam angulo domus in ſpecie buſonum & ſerpentum tam inualidiorum, quòd cùm erigere capita, aut ſe quoquam conarentur aduerſus animam commouere, ſtatim à gloria tantæ maieſtatis deuicti & confuſi velut amentes decidebant: ex quo & illa non modicam conſolationem recipiebat. Hinc videbatur quaſi de ore ipſius infirmæ in ſpecie columbæ ardentis progredi deuotio cordis intus latētis, quæ vſque ad thronum gloriæ diuinæ maieſtatis protendebatur in tanta virtute, quod anima illa iam neceſſe non habuit angelorum defenſione ab infeſtatione dæmonum inſidiantium, quoniam ex virtute deuotionis per labia aſcendentis perterriti, adeo confundebantur, quod certatim per fugam elabi & latere quærebant. ¶ Et cùm infirma ſingulos ſanctorum ordines (ſicut fieri ſolet ſuper agonizantes) in ſuum auxilium inuocaret, quilibet ſanctorum chorus ſe cum ſumma reuerentia in obſequiū eius præparabat. Nam Patriarchæ accedentes afferebant in manibus in ſimilitudine ramorum virentium fructus omnium bonorum operum ſuorum, & ipſos circa manſionem infirmæ componebant. Prophetæ

Chori ſanctorum.

Patriarchæ.

Propheta. phetæ ſancti in ſimilitudine ſpeculorū aureorum ferentes meritacognitionum diuinarum, ea in prædictos ramos appendebāt contra faciem infirmæ: ex quorum aſpectu anima eius ineffabiles ſibi delectationes intrahebat. Dehinc procedens electus

Ioan. Euang. ille & delicatus diſcipulus Ioannes Euangeliſta & Apoſtolus (quem ſpecialis dilectionis priuilegio inſigniuit Ieſus, cui & ob certum fidelitatis teſtimonium matrem ſuam in cruce commendarat) blanda amicabilitate duos aureos annulos annulari ipſius impoſuit, quem omnes Apoſtoli reuerenter ſequentes, & ſingulatim ſinguli eorum ſingulis annulis aureis (per quos ſpecialis fidelitas, qua domino adhæſerant in terris, ſignificabatur) reliquos di-

Martyres. gitos ipſius perornabant. Poſt hos martyres ſancti bracteolis aureis (in quibus elucebant omnia, quæ ipſi vnquam pro amore Dei pertulerant in terris) ipſam mi-

Confeſſores. rificè decorabant. Confeſſores quoq; ſancti flores aureos & iucundos ipſi offerebāt. Per quos ſignificabatur voluntas eorum optima, & ad ſeruiendum Deo iugiter, pro poſſe ſuo parata. In quibus etiam relucebant mira claritate omnia, in quibus vn-

Virgines. quam Deo placuerunt, Virgines etiam beatæ obtulerunt ei roſas, aureos habentes

vncos recuruatos. Per quos ſignificabatur ſpecialis ſuauitas, qua incorruptio facit ipſas proximas eſſe Deo, & arctiori vinculo intimæ viſionis conſtringit. Nam dominus Ieſus rex & ſponſus integerrimæ virginitatis videbatur in veſtibus ſuis ſimilibus floribus perornatus ſecundum numerum virginum, quæ apparebant ibi merita ſua huic communicantes, quorum florum vnci ſinguli ſingularum virtutum floribus aptiſsimè coniungebantur, cùm ſeipſi domino Deo amatori ſuo ob priuilegium ſpecialis innocentiæ familiarius applicarent. Vnde per illam coniunctionem videbatur quælibet ſibi intrahere ſpecialem dulcorē diuini ſaporis. Et hinc etiam iſta cum ſingularum virginum floribus videretur perornata, (dum dominus ſeipſi acclinaſſet) quaſi quot vncis ipſi adhærebat, tot etiam inæſtimabiles ſuauitates diuini dulcoris ſibi intrahebat: ſicque feliciter & iucundè experiebatur, quid fauor & benignitatas tantarum ſponſarum ob fauorem ſponſi exhibitus, beatitudinis poſſit conferre. Viduæ verò & cæteri ſancti in ſpecie olfactoriolorum aureorum, omnium bonorum operum ſuorum fructum obtulerunt. In ſimilitudine verò ſingulorum xeniorū, quæ quilibet ſanctorū offerebat, arridebāt ani-

Viduæ & reliqui ſancti.

animæ ipſius beatæ omnia bona, in quibus quilibet ipſorum complacuerat Deo, & reſplendebant in animam, tanquam ipſa ſola perfeciſſet omnia. Vnde etiam inæſtimabiliter conſolabatur. Innocentes vero ſancti, quamuis minus videbantur habere de proprijs: tamen ob reuerentiam domini ſui, cuius ſe precioſo ſanguine redemptos & gratuita pietate regnum æternum gaudent adeptos, etiam cum ſuo fauore reuereri minime neglexerunt: ſed ſplendore quodã clariſsimo ſuæ puriſsimæ innocentiæ in vnione predigniſsimæ innocentiæ Ieſu Chriſti nobilitatæ, animam ipſius irradiantes miro modo decorabant. Hinc filius altiſsimi rex gloriæ cum inæſtimabili blanditate inclinans ſe quaſi oſculum ſponſæ ſuæ ſic in ſinu ſuo delitianti præbiturus, intraxit ſibi totam animam illam beatiſsimam in virtute ſua diuina: quemadmodum meridiani ſplendoris feruor intrahit & in ſe adnihilat ſtillam exiguã roris, cum effectu omnium virtutum & bonorum operum ſibi á ſanctis omnibus in ſpecie prædictorum xeniorum oblatorum. Et ſic eam totam circundans & penetrans ſibi conſimilem efficiebat: ſicut ferrum inflammatur ab igne.

De commendatione & authoritate huius libri.

CAPVT. XXXV.

CVm liber iſte conſcriptus eſſet, appa‑ruit illi dominus Ieſus, habens ipſum impreſſum pectori ſuo, dicens. Hunc librũ meum ad hoc intimis pectoris mei impreſſi, quo ſingulas literas in eo cõſcriptas dulcedine diuinitatis meæ pertranſeam medullitus (ſicut medo ſuauiſsimus micam recentis ſimilaginis efficaciter pertranſit) vt omnis qui ad laudem meam cum humili deuotione legerit in ipſo fructum ex hoc conſequatur æternæ ſalutis. Tunc orauit dominum, vt eundem librum ab omni cõſeruare dignaretur errore, ad ſuijpſius laudem & gloriam. Qui extenſa venerabili manu ſua ſuper illum ſigno ſanctæ crucis eum communiuit, dicens. Eodem Effectu quo in hac miſſa panem vinum tranſſubſtantiaui omnibus in ſalutem, etiam omnia in libro iſto conſcripta, cœleſti benedictione mea modo ſanctificaui omnibus (ſicut ſupra dixi) cum humili deuotione in ipſo legere volentibus in veram ſalutem. Et ſubiunxit dominus. Sic, inquit, delectat me labor hunc librum meum mihi conſcribentis, quaſi tot olfactoriola mihi ad ornatum appen‑

appenderet, quot literas in ipſa conſcripſit: ex quibus ſingulis miro modo afficior triplici delectamento. Quia profecto in eis ſapit mihi inexplicabilis dulcedo diuini amoris mei, ex quo cuncta in eo conſcripta profluxerunt. Et afficit me ſuauis redolentia bonæ voluntatis ipſum ſcribentis. Nec non alludit mihi forma meæ gratuitæ pietatis, quæ patet in ſingulis eiuſdem libri ſcriptis. Ego enim in eodem amore, quo omnia in libro iſto conſcripta gratuita pietate mea tibi infudi, eodem etiam amore ipſa memoriæ à te audientis commendaui, componens & ordinans, ac per manus eius ſecundum optimum beneplacitum meum conſcribens vniuerſa Ego enim ipſum ſæpe dictum librum meum ſanctiſsima conuerſatione mea operiam, roſeiſque monilibus quinque vulnerum meorum, adornabo, ac ſeptem donis ſpirituſſancti tanquam ſeptem ſigillis diuina pietate mea, conſignabo: vt non ſit, qui ipſum de manu mea poſſit eruere.

De acceptatione huius libri, deque fructu lectoris humilis, & pœna peruerſoris.

CAP.

CAPVT XXXVI.

HInc alia vice, dum compilatrix huius libri communicatura, eundem occulte in manica ſub pallio ſuo deferret ad offerendum illum domino in laudem æternam, hoc nullo penitus hominum ſciente, & more ſolito flexis genibus in obuiationem dominici corporis profunde inclinaret ſe: viſus eſt ab alia perſona dominus quaſi ex incontinentia profuſiui amoris cum ingenti gaudio obuiam vadens, ipſam ſua genua flectentem blande circumplecti dicens. Ego dulcedine diuini amoris mei penetrabo & penetrando fœcundabo omnia verba libri huius mihi modo oblati, imo veraciter impulſu ſpiritus mei conſcripti. Et quicunque humiliato corde ad me veniens amore amoris mei in eo legere voluerit, huic ego reuera in ſinu meo quaſi digito proprio ſingillatim quæque ſibi vtilia demonſtrabo, & inſuper me illi tam dignanter acclinabo, quod quemadmodum quis diuerſis ſpeciebus ſaturatus afflatu ſuo dulcem odorem aſpiraret ſe oſculari volenti: ſic ego ex afflatu diuinitatis meæ, effectum animæ ſuæ ſalutarem, ipſi efficaciter inſpirabo. Qui vero curioſa inſtigatur elatione, à tergo mihi aduenions quaſi dorſo meo incubuerit,

ad

ad introſpiciendum & perſcrutandum vt peruertat huius libri mei textum: hunc certe cum pondus eius amplius ſupportare noluero, diuina virtute mea confuſum deijcere non verebor.

Oblatio huius libri ad laudem Dei.

CAPVT XXXVII.

ET fluxum hunc nectareum tuæ gratuitæ pietatis (quem ex intimis tui amoroſi cordis produxit efficax dulcor tuæ inueſtigabilis diuinitatis, ad influendum, irrigandum, fœcundandum, & beatificandum tibique intrahendum ac indiſſolubiliter conglutinandum cor & animam electæ tuæ Chriſte Ieſu fontale lumen ſempiternorum luminum) offero tibi ex affectu totius vniuerſitatis in vnione illius excellentiſsimæ charitatis, qua tu altiſsimi patris vnigenitus omnem influxum diuinitatis qui tuam deificam humanitatem deſcendit cum plena gratitudine offerens refudiſti in abyſſum originis tuæ: orans cũ deſiderio & affectu omnium creaturarum, vt ipſum tibi intrahas, per affectum ſuauifluí ſpiritus tui in laudem æternam, immẽſam & incommutabilem: quam inſcru-

tabilis

tabilis ſapientia tua altiſſimè cognoſcit ſuper excellentem Dei patris omnipotentiam condecere, ac inæſtimabiliter ſuauifluam ſpiritus paracleti beneuolentiam oblectare, & in plenè ſufficientiam gratiarum actionem totius felicitatis, quam per eundem operatus es, operaris, & in æternum operari dignaberis in corde & anima ipſum recipientis, & etiam omnium qui vſque in finem ſeculi ſecundum verbum veritatis tuæ aliquam ex eo ſuſcepturi ſunt illuminationem, conſolationem, vel eruditionem: ſeu etiam reciperent, ſi bonitas tua Deus meus habilitatem in eis inueniret; & in dignam emendationem omnium, in quibus paruitas meæ intelligentiæ, negligentius ſtudium ac imperitius ingenium meum omiſit dona tua mihi ad diſpenſandum commiſſa ſatis dignè & vtiliter explanando elucidare, omniumque quæ ex humana fragilitate ſeu diabolico inſtinctu gratifluam pietatem tuam in ipſo clarè lucentem, ſuauiter redolentem, ac dulciter ſapientem vilipendendo conculcaturi ſunt (quod opto miſericordia tua protegente vt abſit) ac in efficacem impetrationem omnis gratiæ, quæ per affectum & gratitudinem diuini cor-

dis tui poterit obtineri omnibus, qui cum humili deuotione amore amoris tui, cum affectuoſa gratitudine ipſum dignabuntur legere, & quæque eius vtilia documenta pro tui (à quo profluxerunt) reuerentia ſtudebunt imitari. Poſtremò in gratiarumactionem pro eo, quod me extremæ vilitatis ac omnium, imò (vt veriùs dicam) vniuerſæ creaturæ tuæ exterminium, incompræhenſibilis bonitas tua Deus cordis mei eligere dignata eſt, in prænobilis diſpenſationis eius miniſterium: cùm in nullo paruitas mea tibi reſpondere poſsit: offero tibi cor tuum dulciſſimum ac vnicè digniſſimum in ea dignitate, qua plenum eſt diuina gratitudine, ac omnimodæ beatitudinis perfectione ſuperexcellens in perpetuum.

Concluſio huius libri.

CAPVT XXXVII.

AD laudem & gloriam Dei amatoris humanæ ſalutis conſcriptus eſt liber iſte: ſed breuitatis gratia punctis multis, imò penè innumeris, omiſsis conſumma-

ma-

matus eſt tam euidenti, & (vt ita dicam) tam miraculoſo adiutorio diuinæ miſericordiæ, quod vel ex hoc ſolo conijci potuit, quam vberem animarum fructum ipſe præuentor & ſubſecutor optimorum datorum ex eo requirat, nequaquam tamen exhauſto riuulo diuinarum influxionum in hanc electam ſuam directo, ſed partito in nos munere quod nobis congruebat, electam ſuam quaſi per aſcenſorios gradus imaginationum ad ſecretiores, puriores, & excellentiores ſapientiæ hauſtus perduxit: qui nequaquam corporearum imaginationum adumbrationibus ad intellectum inexpertorum poſſent verbis explicari. Quæ omnia incontinentiſsima Dei pietas cum vniuerſis hic ſcriptis ad ſalutem legentium tam copioſe faciat exuberare, vt adepto centuplicato fructu in libro vitæ ſcribi digni inueniantur. Et interim ſimpliciores huius libelli lectores (qui per ſeipſos neſciunt natare in fluuio diuinæ pietatis) ſaltem hoc vehiculo iter arripiant, & quaſi manuductione beneficiorum proximi ſui delectati, vacando lectionibus, meditationibus, & contemplationibus, & ipſi tandem guſtare mereantur, quàm dulcis eſt

dominus, & quàm reuerà beatus eſt, qui ſperans in eo, totum cogitatum ſuum iactat in ipſum. Quod benignitate ſua nobis præſtare dignetur, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus, per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

FINIS LIBRI QVINTI.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

CANDIDO LECTORI
Tilman. Bredenbach.
S. D.

IRrepſerunt in præcedentes Epiſtolas aliquot mendæ, candide Lector, cùm propter exemplar obſcuriùs ſcriptũ, tùm propter Chalcographorum præproperam feſtinationem. Et metuebam quidem hoc euenturum, eoq́; mandaram Typographo, vt priores hoſce quaterniones non plenè excuderet, niſi exhibito mihi primùm ſpecimine, vt mendæ tollerentur. Cæterùm me paulò remotiùs habitante, admodumq́; properantibus Chalcographis, id omiſſum eſt. Quod cùm malè quidem me haberet, emendari autem plenè non poſſet: erratorum catalogum ſubiecimus, ex quo vt quicquid per incuriam neglectum eſt, pro tua humanitate benignè corrigas, te amanter rogatum volumus. Vale.

A.2. pag.1. lin.12. recolere, & apud
Ibidem lin 3. à fine, conſilia ſua
A.3. pag.1. lin.10. venerantur
Ibid. lin.7. à fine, obductam
Ibid. pag.2. lin.7. à fine, ſempiternis præconijs celeb.
A.4. pag.1. lin.13. Quocircà
Ibidem lin.16. pro, ſemper, lege, frequenter

ter inuiſeris

A.7.pag.1.lin.5.cuiquam

Ibid.lin.7.exuberantiam

Ibid.pag.2.lin.7.pacatior

A.8.pag.1.lin.4.Gertrude

Ibid.lin.9.venerabilem,editum quidem

Ibid. pag.2.lin.5. à fine, commodis prouehendis

In iudicio D.Bloſij de his libris, pro, illuſtriſsimis, lege, illuminatiſſimis

Sunt & alia quædam minutiora, quæ Lector per ſe poterit corrigere.

8-1

Google